PERA LIBRORUM IUVENILIUM: LOCVLAMENTVM QVARTVM : INSUNT:...

Johann Christoph Wagenseil

Digitized by Google

Paed. Pr. 3914 Wagenseil
V. 1958.
~~Paed 385~~
Digitized by Google

<36628076630015
<36628076630015
33
Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

R

Digitized by Google

LOCVLAMENTVM QVARTVM.

Insunt:

Logicæ, & Philosophiæ Practicæ ac Theoreticæ Rudimenta.

Scilicet:

Synopsis Logicæ.
Methodus Disputandi.
Synopsis Ethicæ.
Synopsis Oeconomicæ.
Synopsis Politicæ.
Synopsis Physicæ.
Synopsis Artis Valetudinis.
Synopsis Metaphysicæ.

Digitized by Google

Digitized by Google

PROOEMIVM.

ENim vero, non utile tantum, ſed & neceſſe fuit, ut priusquam Filius, eam diſciplinam, quam Vlpianus, *veram, non ſimulatam Philoſophiam* vocavit, & in quam, a teneris unguiculis, inclinatione quadam voluntatis propendebat, affectaret, iis artibus bene præpararetur pectus, quæ vulgo Philoſophiæ nomine veniunt. Quippe, alteram illam ſanctiorem ſeverioremque, illotis manibus tractare ſi inſtituat, metus erat, ne hæc faſtidiret, ipſum inter veneratores admittere. Ergo mature de Præceptis Rudimentisq; mememoriæ penitus infigendis ei proſpexi, ex illorum libris qui Ariſtotelis ſemita inceſſere, eadem excerpens. Iſtius enim Philoſophi placita, a longo ſeculorum decurſu, pro veris, in ChriſtianorumScholas fuere recepta; iis ego adoleſcens imbutus ſum; hæc,in legitimi Syſtematis formam modumq; redacta extant; denique, hæc, Theologia & Jurisprudentia in contubernium admiſere, ita ut ad illorum normam, in ſuis rebus rationibusque tradendis, ſe componant; imo & eadem in ſuum penitus ſuccum ac ſanguinem converterint. Dixi, non impediturum me, quo minus poſtquam Ariſtotelis ſcitis mentem

ſubegit, etiam addiſcat quæ Recentiores, ſalubriter invenere, & ut in Carteſii, aliorumq; caſtra, ſe conferat, non tanquam transfuga, ſed ut explorator. Verum in diem id differendum eſſe, nec mihi placere recentem conſuetudinem, qua pueri, ut ille ait, adhuc naſcentes, velut peſtilenti quodam ſidere afflati, ſtatim pro Philoſophis eclecticis ſe gerunt, & Ariſtotelem, alto ſupercilio, nihili reputant, antequam ſciunt, ater ne an albus is natus fuerit. Vah! quoties ii ſe mihi obtulerunt, qui illam ex Peripato, & plerisque Sanctis Patribus probatam definitionem, *Homo eſt animal rationale*, pipulo ante Sapientiæ ædes differendam eſſe dejerabant perſancte, ſed, jusſi cauſam exponere, aut meliore nos beare, mox pax, & hic magis mutos ſe præſtabant quam piſces. Tales, Filium cane pejus & angue odiſſe, imprimis autem, id etiam atque etiam cavere juſſi, ne unquam verbum illud fœdum & aperte falſum ex eo audiam, quod tam frequens eſt in iſtorum ore, non Ariſtotelem tantum (hoc vero tolerari poteſt) ſed adeo Divina Eloquia, ſubinde album calculum adjeciſſe, Philoſophiæ veræ adverſis, popularibus erroribus.

SYNO-

SYNOPSIS
LOGICÆ.

Digitized by Google

SYNOPSIS LOGICÆ.

CAPUT I.

De Præcognitis quibusdam.

Quid discimus in Scholis?

STudia Pietatis & Humanitatis, quæ proponuntur in quatuor Facultatibus.

Quæ sunt istæ Facultates?

Theologia, Jurisprudentia, Medicina & Philosophia.

Quid est Theologia?

Theologia, est doctrina credendorum & faciendorum.

Quid est Jurisprudentia?

Jurisprudentia, est ars justi & æqui.

Quid est Medicina?

Medicina, est ars de sanitate corporis humani.

Quid est Philosophia?

Philosophia, est comprehensio liberalium disciplinarum, quæ subserviunt tribus superioribus Facultatibus.

Quotuplex est Philosophia?

Philosophia est duplex: Theoretica & Practica.

Quid est Philosophia Theoretica?

Philosophia Theoretica est, quæ in nuda consistit contemplatione.

Quid

Digitized by Google

Quid est Philosophia Practica?

Philosophia Practica est, quæ finem primarium habet actionem.

Quæ sunt partes Philosophiæ Theoreticæ?

Philosophiæ Theoreticæ partes sunt tres: Metaphysica, Physica, & Mathesis.

Quid est Metaphysica?

Metaphysica, est scientia, tractans de Ente quatenus ens est, sive, quæ persequitur generalia entis.

Quid est Physica?

Physica, est scientia corporis naturalis, ac proinde velut theatrum naturæ.

Quid est Mathesis?

Mathesis, est scientia, quæ circa quantitatem, quatenus extensa est, occupatur.

Quæ sunt præcipuæ disciplinæ Matheseos.

Præcipuæ disciplinæ Matheseos sunt: Arithmetica, Geometria, Cosmographia, Astronomia, Geographia, Optica, Musica, & Architectonica.

Quid est Arithmetica?

Arithmetica, est scientia bene numerandi.

Quid est Geometria?

Geometria, est scientia bene metiendi.

Quid est Cosmographia?

Cosmographia, est scientia de sphæræ mundi dimensione.

Quid est Astronomia?

Astronomia, est scientia de sphæræ cœlestis dimensione.

Quid est Geographia?

Geographia, est scientia de sphæræ terrestris dimensione.

Quid est Optica?

Optica, est scientia bene videndi; dicitur alio nomine Perspectiva.

Quid est Musica?

Musica, est scientia bene canendi; dicitur alio nomine Harmonica.

Quid est Architectonica?

Architectonica, est scientia bene ædificandi.

Quæ sunt partes Philosophiæ Practicæ?

Philosophiæ Practicæ partes sunt tres: Ethica, Politica, & Oeconomica.

Quid est Ethica?

Ethica, est prudentia de bono morali.

Quid est Politica?

Politica, est prudentia de bono civili.

Quid est Oeconomica?

Oeconomica, est prudentia de bono familiæ.

Quæ supersunt Artes Liberales?

Artes Liberales supersunt septem: Grammatica, Rhetorica, Logica, Oratoria, Poëtica, Mnemonica, & Historica.

Quid est Grammatica?

Grammatica, est certa loquendi & scribendi ratio.

Quid est Rhetorica?

Rhetorica, est ars tradens modum ornate dicendi.

Quid

Quid eſt Logica?

Logica, eſt ars tradens modum bene ratiocinandi.

Quid eſt Oratoria?

Oratoria, eſt ars copioſe dicendi.

Quid eſt Poëtica?

Poëtica, eſt ars bene effingendi orationem ligatam.

Quid eſt Mnemonica?

Mnemonica, eſt ars bene excolendi memoriam.

Quid eſt Hiſtorica?

Hiſtorica, eſt commemoratio rerum geſtarum.

CAPUT II.

De Logicæ Natura.

Quid eſt Logica?

L*Ogica*, eſt ars diſputandi, ſeu faciendi ſyllogiſmum bonum, & refutandi malum, ad inveniendum veritatem. *Seu:* Eſt diſciplina, mentem hominis in rerum cognitione & veritatis inveſtigatione ita dirigens, ut modum eam in omni materia eruendi commonſtret.

Quis eſt Finis Logicæ?

Finis Logicæ duplex eſt, Internus, & Externus: *Internus*, eſt Syllogiſmus bonus; *Externus*, Veritatis indagatio.

Quot ſunt Partes Logicæ?

Partes Logicæ ſunt tres: *Prima*, quæ dirigit primam mentis noſtræ operationem, in terminorum ſimplicium apprehenſione conſiſtentem: *Secunda*,

quæ dirigit ſecundam mentis noſtræ operationem, in terminorum compoſitione conſiſtentem: *Tertia*, quæ dirigit tertiam mentis noſtræ operationem, in ratiocinatione ex compoſitis conſiſtentem.

CAPVT III.
De Terminis.

Quid eſt Terminus?

T*Erminus*, latiore ſignificatu, notat omne vocabulum, quod eſt in aliqua propoſitione; ſtricte, notat Extremum propoſitionis, hoc eſt, ejus vel Subjectum, vel Prædicatum.

Quid eſt Terminus Finitus?

Terminus Finitus eſt, qui non habet præfixam negandi particulam: ut, *Homo*.

Quid eſt Terminus Infinitus?

Terminus Infinitus eſt, qui habet præfixam negandi particulam: ut, *non-homo*.

Quid eſt Terminus Abſtractus?

Terminus Abſtractus, ſeu Abſtractum, eſt vox, involvens unicum tantum conceptum, nempe formæ, neque ſimul ſignificans aliquod ſubjectum: v. g. *Paternitas*, *Albedo*.

Quid eſt Terminus Concretus?

Terminus Concretus, ſeu Concretum, eſt vox, involvens duos conceptus, unum formæ, alterum ſubjecti, v. g. *Pater*, *Album*.

Quid eſt Terminus Connotativus?

Terminus Connotativus eſt, qui ſignificat aliquid

adja-

adjacens alteri, ut adjacens; sic, *Album*, significat albedinem, ut adjacentem parieti, nivi.

Quid est Terminus Absolutus?

Terminus Absolutus est, qui significat aliquid tanquam per se existens: ut, *Albedo*, *Homo*.

Quid est Terminus Intrinsece denominans?

Terminus intrinsece denominans, est, qui tribuitur ei, in quo est forma per ipsum significata, uti cum dico: *Cygnus est albus:* albedo enim tanquam forma denominans est in Cygno.

Quid est Terminus Extrinsece denominans?

Terminus extrinsece denominans, est, cum forma denominans non inest subjecto denominato, sed est extra illud: uti cum dico, *Paries est visus.* Visio enim, tanquam forma denominans, non est in pariete, sed extra parietem, in animali aliquo, parietem vidente.

Quid est Terminus Univocus?

Terminus Univocus seu Synonymus, est vocabulum, quod res plures ita significat, ut illis singulis æqualiter possit attribui eadem definitio, secundum illud vocabulum: uti *Homo* est terminus univocus respectu Johannis, Petri, Pauli: quia definitio hominis, quod sit animal rationale, potest æque attribui Johanni, ac Petro vel Paulo.

Quid est Terminus Æquivocus?

Terminus Æquivocus sive Hononymus, est vocabulum, quod res plures ita significat, ut illis singulis non possit attribui eadem definitio secundum illud vocabulum. Sic *Homo* est terminus æquivocus, respectu hominis vivi, & picti, quia definitio hominis,

nis, quod ſit animal rationale, poteſt quidem applicari homini vivo, ſed non homini picto.

Quid eſt Terminus Analogus?

Terminus Analogus, eſt vocabulum, quod res plures ita ſignificat, ut illis ſingulis eadem definitio attribuatur, ſed non æqualiter, verum inæqualiter, videlicet, uni primario, alteri ſecundario. Sic *Riſus* dicitur de Homine, & Prato: homini vero Riſus proprie competit, Prato autem ſecundum ſimilitudinem tantum. Sic *Sanum*, dicitur de Animali, Medicamento, Vrina, ſed Animal revera ſanum eſt, Medicamentum ſanum dicitur, quia cauſa eſt ſanitatis in animali, Vrina ſignum eſt ſanitatis. Et vero, Analogum per ſe poſitum, ſtat pro nobiliore ſignificatu.

Quotuplicia ſunt Analoga?

Analoga ſunt *duplicia*: Analoga Attributionis, & Analoga Proportionis.

Quid ſunt Analoga Attributionis?

Analoga Attributionis ſunt, quæ formaliter communem rationem nominis participant, cum dependentia unius ab altero, aut, ut unum formaliter & intrinſece, cætera tantum extrinſece & denominative rationem participent. Sic Deus & Creatura rationem *Entis*; Homo & Medicina, rationem *Sani* participant.

Quid ſunt Analoga Proportionis?

Analoga Proportionis ſunt, quæ de uno quidem proprie, de aliis metaphorice tantum, vel per quandam ſimilitudinem cum primo dicuntur: ut, *ridere* de homine & Prato.

Quid est Terminus Prædicamentalis?

Terminus Prædicamentalis ſignificat rem in aliquo Prædicamento locabilem: Vti, *Homo*, *Animal*, *Albedo.*

Quid est Terminus Transcendentalis?

Terminus Transcendentalis eſt, qui ſignificat rem vel conceptum Prædicamenta tranſcendentem: Ita ſe habet *Ens* cum Affectionibus ſuis, *Vnitate*, *Veritate*, *Bonitate.*

Quid est Terminus Simplex?

Terminus Simplex, eſt terminus unicus quoad vocem & ſignificationem; ut, *homo*, *equus*, *leo.*

Quid est Terminus Complexus?

Terminus Complexus eſt, qui conſtat ex pluribus terminis: ut, *animal rationale*, pro homine.

Quid est Categorema?

Categorema, eſt terminus, qui poteſt per ſe eſſe prædicatum vel ſubjectum Enunciationis: ut, *Homo.*

Quid est Syncategorema?

Syncategorema, eſt vox, quæ neque ſubjectum, neque prædicatum, imo nec copula aut negatio eſt Enunciationis; addita tamen huic, certum ſignificandi modum illi tribuit. Sic ſe habent *Signa* in Propoſitionibus Vniverſalibus & Particularibus; item *Modi*, in propoſitionibus Modalibus.

Quid ſunt Termini Repugnantes?

Termini Repugnantes ſunt, qui de ſe invicem univerſaliter negari poſſunt, ut, *Homo* & *Brutum*. Dico enim recte: *Nullus homo eſt Brutum*: &, *Nullum Brutum eſt homo.*

Qui-

Quid sunt Termini convertibiles?

Termini Convertibiles sunt, qui de se invicem universaliter affirmari possunt: ut, *Homo* & *Risibile*: Dico enim recte: *O. Homo est Risibilis*: &, *O. Risibile est Homo.*

Quid sunt Termini Magis & Minus Communes?

Termini magis & minus communes sunt, quorum unus de altero universaliter affirmari potest, sed non contra: Vt *Animal* est terminus magis communis quam *Homo*; quia O. Homo est Animal, sed, non O. Animal est Homo.

Quid sunt Termini Excedentes & Excessi?

Termini Excedentes & Excessi sunt, qui de se invicem particulariter tantum affirmari & negari possunt: ut *homo*, & *albus*. Datur enim homo, qui non est albus, ut Æthiops; datur Album, quod non est homo, ut Cygnus; datur quod est utrumq; ut Germanus.

Quid est Terminus Denominativus seu Paronymus?

Terminus Denominativus seu Paronymus est, qui rem ab aliqua forma denominat, a qua terminatione differt; sicut vox *Albus* hominem denotat ab Albedine.

Quid est Notio prima?

Notio prima est, cum intellectus rem concipit, prorsus ut est: puta cum *Petrum* apprehendit ut hominem, ut animal, ut album vel nigrum.

Quid

Quid est Notio secunda?

Notio Secunda est, cum Intellectus rem aliter concipit quam revera est. Vti, cum multos homines inter se vere distinctos, concipit ut unum quid, cum revera tamen multi sint; aut *Animal*, ut subjectum vel prædicatum in propositione. Atque tales notiones vocantur *Entia Rationis*, quia ratio tantum ista fingit; cum Notiones primæ, Notiones Reales seu *Entia Realia* appellentur.

CAPVT IV.

De Vniversalibus seu Prædicabilibus.

Quid est Vniversale?

V*Niversale* est, quod de pluribus vere, divisim & univoce prædicari aptum est, ut *animal de homine & leone.*

Quid est Singulare?

Singulare est, quod de uno solo particulari vere, divisim & univoce prædicari aptum est, ut, *Petrus, Johannes, Bucephalus.* Singulare alias etiam appellatur *Individuum.*

Quotuplex est Vniversale?

Vniversale est *Quintuplex:* Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens.

Quid est GENVS?

Genus est, quod de pluribus Specie differentibus in Quid prædicatur: ut *Substantia* de Spiritu & Corpore; *Animal*, de homine & bruto.

Quotuplex est Genus?

Genus *duplex* est: Summum, & Subalternum.

Quid est Genus Summum?

Genus Summum sive Generalissimum, est, supra quod non est aliud genus, ut *Substantia*, *Quantitas*.

Quid est Genus Subalternum?

Genus Subalternum est, supra quod est aliud Genus, seu, quod potest esse Species, ut *Animal*, *Magnitudo*.

Quid est SPECIES?

Species est, quod in lineâ recta subjicitur Generi, ut *Homo* & *Brutum* respectu Animalis.

Quotuplex est Species?

Species *duplex* est: Specialissima & Subalterna.

Quid est Species Specialissima?

Species Specialissima, *seu Infima* est, quæ infra se non habet Speciem, & tantum de pluribus solo numero differentibus in *Quid* prædicatur, ut *Homo* respectu Petri & Pauli.

Quid est Species Subalterna?

Species Subalterna est, quæ infra se habet aliam Speciem, seu, quæ potest esse Genus: ut *Animal* species est respectu viventis; Genus vero respectu hominis & bruti.

Quid est DIFFERENTIA?

Differentia est, quæ de pluribus Specie vel Numero differentihus in *Quale essentialiter* prædicatur, atque generi juncta constituit speciem: ut *sensitivum* de homine & bruto; *rationale*, de Petro & Paulo.

Quid est PROPRIUM?

Proprium est, quod de pluribus specie vel numero differentibus in *Quale accidentaliter & necessario* præ-

prædicatur: ut *nutribile*, de animali & planta: *risibile*, de Petro & Paulo.

Quot modis dicitur Proprium?

Proprium dicitur 4. Modis: atque Proprium Primi Modi est, quod accidit soli, sed non omni: ut, *esse Grammaticum* homini. Proprium Secundi modi est, quod accidit omni, sed non soli, ut homini *esse aptum ad habendum duos pedes*. Proprium Tertii modi est, quod accidit omni & soli, sed non semper, ut homini *canescere*. Proprium Quarti modi est, quod accidit omni, soli, & semper, ut risibile homini.

Quid est ACCIDENS?

Accidens est, quod de pluribus specie vel numero differentibus, in *Quale accidentaliter* & contingenter prædicatur. Seu: quod potest abesse, vel adesse citra subjecti interitum: *ut album* de Homine & Cygno; *doctum*, de Socrate & Platone.

Quid est Accidens Separabile?

Accidens Separabile est, quod reipsa a suo subjecto separari potest, ut *nigredo a facie fabri.*

Quid est Accidens Inseparabile?

Accidens Inseparabile est, quod reipsa à suo subjecto separari non potest, ut *nigredo a corvo.*

CAPUT V.

De Prædicamentis.

Quid est Prædicamentum?

P*Rædicamentum* est classis quædam, in qua sub uno summo genere, multa genera subalterna, species ac individua, certa serie & ordine disponuntur.

Quot ſunt Prædicamenta?

Prædicamenta ſunt *decem:* Subſtantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Paſſio, Quando, Ubi, Situs, Habitus.

Quid eſt SUBSTANTIA?

Subſtantia, eſt ens per ſe ſubſiſtens: ut *homo*, *leo*, *lapis:* ei opponitur *Accidens*, ſive ens, exiſtens in alio ut in ſubjecto inhæſionis: ut *calor* in igne, *eruditio* in homine.

Summus Ariſtoteles, trutinando cacumina rerum,
In duo diviſit, quicquid in Orbe fuit.

Nempe in Subſtantiam & Accidens.

Quotuplex eſt Subſtantia?

Subſtantia *duplex* eſt: Prima, & Secunda. *Subſtantia Prima*, eſt Subſtantia Singularis, ut *Petrus*, *Bucephalus*. *Subſtantia Secunda*, eſt Subſtantia Univerſalis, ut *Homo*, *Equus*.

Quæ ſunt Proprietates Subſtantiæ?

Proprietates Subſtantiæ ſunt 4. *Prima* eſt, non eſſe in alio ut in ſubjecto. *Secunda eſt*, unam ſubſtantiam, alteri, per ſe, ſeu ratione ſui, non eſſe contrariam; per accidens enim, ſeu ratione qualitatum, v. g. caloris & frigoris, Ignis Aquæ contrarius eſſe dicitur. *Tertia* eſt, non recipere magis & minus. Unus enim homo, non eſt magis homo, quam alter, nec una aqua, magis eſt aqua, quam altera. *Quarta* eſt, poſſe recipere contraria ſucceſſive, ſeu diverſo tempore: ut, eadem aqua, nunc calida eſt, nunc frigida.

Quid eſt QUANTITAS?

Quantitas eſt, qua aliquid dicitur quantum, vel aliqua dicuntur aliquot. Ut, ſi quærenti, quantum ſit

ſit lignum? reſpondeas, eſſe bipedale: aut, ſi quærenti, quot aurei ſint in marſupio? reſpondeas, decem.

Quotuplex eſt Quantitas?

Quantitas eſt *duplex*: Continua & Discreta. *Quantitas Continua* eſt, cujus partes aliquo communi termino copulantur: ut, Linea copulatur punctis. *Quantitas Discreta* eſt, cujus partes communi termino non copulantur, ut Numerus & Oratio.

Quotuplex eſt Quantitas Continua?

Quantitas continua eſt *Triplex*: Linea, Superficies & Corpus. *Linea*, eſt magnitudo longa, non lata, nec profunda, cujus partes copulantur puncto. *Superficies*, eſt magnitudo longa & lata, non profunda, cujus partes copulantur lineâ. *Corpus*, eſt magnitudo, longa, lata, & profunda, cujus partes copulantur ſuperficie.

Quæ ſunt Proprietates Quantitatis?

Proprietates Quantitatis ſunt tres: *Prima eſt*; Quantitati nihil eſſe contrarium per ſe. Per accidens enim, ſeu ratione qualitatum, æque ac Subſtantiæ, ei aliquid contrarium eſt; uti ſuperficies alba, & ſuperficies nigra dicuntur contrariæ ratione albedinis & nigredinis, quæ qualitates ſunt. *Secunda eſt*: Quantitatem non recipere magis & minus. Una enim linea, non eſt magis linea quam altera; nec unus numerus, eſt magis numerus, quam alius. *Tertia eſt*: Quod a ſola Quantitate, res proprie & per ſe dicuntur æquales vel inæquales. Ut, linea pedalis, æqualis eſt alteri pedali; inæqualis vero alteri bipedali.

Quid est QVALITAS?

Qualitas est, a qua res dicuntur quales, non essentialiter tamen, sed accidentaliter: ut, ab albedine homo dicitur albus, a justitia justus.

Quot sunt Species Qualitatis?

Species Qualitatis sunt 4. quæ omnes duplici voce, sub disjunctione exprimuntur. 1. Habitus vel Dispositio. 2. Potentia naturalis vel Impotentia. 3. Patibilis qualitas vel Passio. 4. Figura vel Forma.

Quid est Habitus?

Habitus est qualitas, crebris actionibus acquisita, subjecto firmiter inhærens: ut habitus pingendi in artifice.

Quid est Dispositio?

Dispositio, est qualitas imperfecta, & tantum inchoamentum habitus, ideoque subjecto neutiquam firmiter inhæret. Sic se habent artium & scientiarum prima in animo rudimenta.

Quid est Potentia Naturalis?

Potentia Naturalis, est qualitas innata, subjecto per modum potentiæ inhærens, ad aliquid perfecte agendum patiendumve: v. g. potentia clare seu acute videndi.

Quid est Impotentia Naturalis?

Impotentia Naturalis, est qualitas innata, subjecto per modum potentiæ inhærens, ad aliquid imperfecte agendum patiendumve: v. g. potentia debiliter videndi in habentibus visum hebetem.

Quid

Quid est Patibilis Qualitas?

Patibilis Qualitas, est vel in corpore durabile objectum sensus, vel in anima durabilis affectus: v. g. Rubor in facie nativus, odium inveteratum.

Quid est Passio?

Passio, est vel in corpore objectum sensus minus durabile, vel in anima affectus minus durabilis: v. g. Rubor ex pudore, odium languidum.

Quid est Figura?

Figura, est qualitas, ex terminatione quantitatis orta: uti Circulus, Triangulum, Quadrangulum.

Quid est Forma?

Forma, est qualitas, ex varia diversarum partium magnitudine, proportione & colore orta: ut, forma hominis, equi.

Quæ sunt Proprietates Qualitatis?

Proprietates Qualitatis sunt tres: *Prima est*, Qualitates inter se, ratione sui, seu per se, esse contrarias. Ita Calor contrarius est Frigori, Albedo Nigredini, Justitia Injustitiæ. *Secunda est*, Qualitates non quidem in abstracto, sed tamen in concreto, recipere magis & minus. Quæ enim calida sunt, eorum aliud magis calidum est, aliud minus calidum. *Tertia est*, quod a sola qualitate, res proprie dicuntur similes vel dissimiles: uti Petrus dicitur similis Paulo, eruditione, albedine.

Quid sunt RELATA?

Relata sunt, quæ nihil aliud denotant, quam respectum ad aliud. Vt Pater & Filius, Dominus & Servus.

Quæ concurrunt ad Relationem?

Ad omnem Relationem concurrunt *quatuor*: 1. *Relativum* ipſum, ſeu ſubjectum quod refertur: ut homo dicitur Pater: 2. *Fundamentum* relationis ſeu id quod cauſa eſt, cur unum ad alterum referatur: ſicut potentia generandi cauſa eſt, quod homo dicatur Pater. 3. *Ratio fundandi*, ſeu fundamentum proximum, i. e. conditio, ſub qua relatio, ſeu fundamentum remotius ſequitur, ſicut actio generandi eſt in paternitate; quod enim potentiam generandi habet, tum demum fit Pater, cum actu ipſo generat. 4. *Terminus Relationis*, ſeu id, ad quod relativum refertur, ſicut Pater refertur ad Filium.

Quæ ſunt Proprietates Relatorum?

Proprietates Relatorum ſunt tres: *Prima eſt*, quod uno Relatorum poſito, ponatur & alterum, & negato uno, alterum quoque negetur. Sic, ſi Pater quis eſt, eſt & Filius aliquis, & contra: ſi autem nemo eſt Pater, nemo etiam eſt Filius. *Secunda eſt*: Quod uno Relatorum cognito, etiam alterum cognoſcatur, ſi non diſtincte, certe confuſe. Ita qui novit quid ſit ſervire, facile etiam intelligit quid ſit dominari. *Tertia eſt*: Quod Relata ſint ſimul natura: ſtatim enim atque aliquis incipit eſſe Pater, adeſt & qui ſit Filius, & vice verſa.

Quid eſt ACTIO?

Actio, eſt forma, a qua quippiam dicitur agere; ut calefactio, per quam ignis dicitur calefacere aquam.

Quid eſt PASSIO?

Paſſio, eſt forma, a qua quippiam dicitur pati: ut Calefactio, per quam aqua dicitur calefieri ab igne.

Quomodo dividuntur Actiones?

Actiones dividuntur in Transeuntes & Immanentes.

Quid est Actio Transiens?

Actio Transiens vocatur, quæ non recipitur ab eo, a quo oritur, sed ab alio oritur, ab alio recipitur: sicut *verberatio*: verbera enim a Petro proficiscuntur, & recipiuntur a Paulo.

Quid est Actio Immanens?

Actio Immanens vocatur, quæ in eodem subjecto recipitur ex quo oritur: sicut *intellectio* ex intellectu oritur, & in intellectu manet.

Quæ sunt Proprietates Actionis & Passionis?

Proprietates Actionis & Passionis sunt duæ: *Una est*, Recipere contrarium: frigefacere enim & calefacere, sicut & frigefieri & calefieri, contraria sunt, *Altera est*, Recipere magis & minus: nunc enim magis aliquid calefacit aut calefit, nunc minus.

Quid est QUANDO?

Quando, est existentia rei in tempore: ut fuisse heri, esse hodie.

Quid est UBI?

Ubi, est præsentia rei in loco: ut esse in schola, foro, templo.

Quid est SITUS?

Situs, est dispositio partium in toto, in ordine ad locum: ut stare, sedere, cubare.

Quid est HABITUS?

Habitus, est indumenti vel ornamenti ad corpus applicatio: ut, esse calceatum, coronatum.

CAPUT VI.

De Postprædicamentis.

Quid sunt Postprædicamenta?

POstprædicamenta, dicuntur termini quidam, quorum in Prædicamentis facta est mentio, & quorum proinde tractationem Aristoteles iis subjecit.

Quot sunt Postprædicamenta?

Postprædicamenta sunt *quinque* : Repugnantia, Modi Prioris, Modi Simul, Species Motus, & Modi Habendi.

Quid sunt Repugnantia?

Repugnantia sunt, quæ de eodem subjecto singulari, simul, vere, simpliciter & eodem respectu, affirmari non possunt : *ut, homo & leo : calidum & frigidum.*

Quotuplicia sunt Repugnantia?

Repugnantia sunt duplicia : Opposita & Disparata.

Quid sunt Opposita?

Opposita, sunt Repugnantia, quorum neutrum alicui tertio æque, vel magis repugnat, eodem repugnandi modo : ut *Album & Nigrum*, Album enim nulli tam repugnat quam Nigro, eodem repugnandi modo.

Quotuplicia sunt Opposita?

Opposita sunt *Quadruplicia* : Relative opposita, Contraria, Privative opposita, & Contradictoria.

Quid sunt Relative opposita?

Relative, inter se opponuntur duo correlata : ut, *Pater & Filius, Dominus & Servus.*

Quid

Quid ſunt Contraria?

Contraria, ſunt duæ qualitates, quarum una, alteram ex ſubjecto ſuo pellit, niſi una forte a natura inſit, hoc eſt inſeparabiliter: *ut albedo & nigredo: calor & frigus.*

Quotuplicia ſunt Contraria?

Contraria ſunt *duplicia*, Mediata & Immediata.

Quid ſunt Contraria Mediata?

Contraria Mediata ſunt, quorum neutrum neceſſe eſt eſſe in ſubjecto, ut *album & nigrum*; contingit enim, ut corpus, quod albedinem & nigredinem habere poteſt, neutrum habeat, & ſit rubrum aut viride.

Quid ſunt Contraria Immediata?

Contraria Immediata ſunt, quorum alterutrum neceſſe eſt eſſe in ſubjecto, ut *ſanitas & ægritudo in animali*; omne enim animal, neceſſario eſt ſanum vel ægrum, cum quod nec ſanum nec ægrum ſit, in rerum natura non detur.

Quid ſunt Privative oppoſita?

Privative opponuntur habitus ſeu forma, & privatio ejus. Per *Habitum* autem ſeu formam, intelligitur omne quod ponit aliquid in re, vulgo, poſitivum vocant. *Privatio* vero, eſt abſentia illius formæ in ſubjecto apto, ut eam non habeat, & quidem eo tempore, quando habere debebat. Sic, ſi abſit *viſus* in animali, quod natura aptum erat videre, & abſit tum, quando per naturam videre debebat, privatio eſt, & cæcitas vocatur. Ejusmodi privationes, ſunt *tenebræ, mors, ſurditas, calvitium*, & infinita alia.

Quid sunt Contradictoria?

Contradictoria sunt, quæ pugnant, ficut esse & non esse simpliciter, ut *homo, non homo: album, non album.* Atque hæc oppositio, est omnium fortissima & amplissima, quia nullum potest dari ens, de quo non possit prædicari alter terminus, e data quacunque contradictione: v. g. nullum est ens, quod non sit aut homo, aut non homo; aut ferrum, aut non ferrum.

Quotuplex est Contradictio?

Contradictio *duplex* est, Implicita & Explicita.

Quid est Contradictio Implicita?

Contradictio Implicita, seu *Contradictio in Adjecto*, item *Oppositum in Apposito* est, cum alicui termino additur terminus repugnans, v. g. *ferrum ligneum.*

Quid est Contradictio Explicita?

Contradictio Explicita est, cum idem terminus repetitur, addita negandi particula: v. g. *ferrum, non ferrum.*

Quid sunt Disparata?

Disparata, sunt Repugnantia, quorum unum alicui tertio, æque, vel magis repugnat eodem repugnandi modo, ut, *homo & leo: flavum & viride.* Homo enim eodem repugnandi modo, nempe disparato, æque repugnat equo, ac leoni; & flavum, magis repugnat nigro, quam viridi.

Quot modis dicitur aliquid Prius altero?

Prius aliquid altero dicitur *quinq;* modis: *Primo* aliquid dicitur prius tempore: ut prior est Cyrus Persarum Rex, Alexandro Magno. *Secundo* aliquid dicitur

citur prius ratione naturæ, & τῦ esse: ut binarius ternario prior est. *Tertio* aliquid dicitur prius ratione Ordinis, ut Consul prior est Senatore. *Quarto* aliquid dicitur prius ratione nobilitatis: ut Aurum Argento prius est. *Quinto* aliquid prius dicitur, sicut causa effectu: ut, Sol Luce.

Quot modis aliqua dicuntur esse Simul?

Simul aliqua esse dicuntur *tribus* modis: *Primo aliqua simul* dicuntur, si eodem tempore existant, ut Abraham & Loth. *Secundo, simul* dicuntur, quorum unum est, si sit alterum: ut pater & filius, & omnia correlata. *Tertio simul* dicuntur diversæ species ejusdem generis: ut homo & brutum, earumq; differentiæ constitutivæ; ut rationale & irrationale.

Quot sunt Species Motus?

Species Motus sunt *Sex: Generatio*, cum res oritur. *Corruptio*, cum res interit. *Accretio*, cum quantitas fit major. *Decretio*, cum quantitas fit minor. *Alteratio*, cum res acquirit novam qualitatem: *Et* Φορὰ, *seu Latio*, cum res ex uno loco in alium transfertur.

Quot sunt Modi Habendi?

Modi Habendi sunt *sex: Primo* dicitur habere aliquid, qui qualitatem habet, v. g. doctrinam, vel sanitatem. *Secundo* dicitur habere aliquid, qui quantitatem habet; v. g. magnitudinem septem pedum. *Tertio* dicitur habere aliquid, qui ea quæ sunt circa corpus habet, ut vestem vel gladium. *Quarto* dicitur habere aliquid, qui habet ut partem: v. g. manum. *Quinto* dicitur habere aliquid, quod rem complectitur: ut dolium habet vinum. *Sexto* dicitur habere aliquid, qui rem possidet, v. g. domum.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

De Nomine & Verbo.

Quid est Nomen?

NOmen est vox seu dictio simplex, significans secundum impositionem, sine tempore. Nimirum, significat *secundum impositionem*: nam, gemitus, sibilus, & similes soni, quibus homo & bruta, animi affectus produnt, sicut significant naturaliter tantum, ita ex iis orationes minime fiunt. Deinde significat *sine tempore*: nam, in eo Nomen differt a Verbo, hoc enim semper tempus connotat. Sic, qui dicit *Homo*, tantum rem denotat sine tempore.

Quid est Verbum?

Verbum, est vox seu dictio simplex, significans secundum impositionem, cum tempore, & semper est nota eorum, quæ de alio dicuntur. Sic, qui dicit *Currit*, *Disputabit*, non tantum rem, id est cursum aut disputationem notat, sed & una tempus innuit, puta, cursum nunc institui, disputationem futuram esse. Proinde, vocabula, *Annus*, *Mensis*, *Hora*, Nomina sunt, non Verba; tantum enim denotant rem, quæ est tempus, non vero præter rem ipsam tempus consignificant, seu temporis differentiam addunt, in qua sit illa res.

CAPUT II.
De Enunciatione.

Quid est Enunciatio?

ENunciatio *seu Propositio*, est oratio, quæ aliquid de aliquo affirmat vel negat; seu, est oratio, verum vel falsum significans. ut, *Homo est Animal.*

Quot sunt Partes Enunciationis?

Partes Enunciationis sunt *tres*: Subjectum, Prædicatum, & Copula.

Quid est Subjectum Enunciationis?

Subjectum Enunciationis, est prior illius pars, de qua aliquid affirmatur, vel negatur.

Quid est Prædicatum Enunciationis?

Prædicatum Enunciationis, est posterior illius pars, quæ de subjecto affirmatur vel negatur.

Quid est Copula?

Copula, est Verbum substantivum Sum, quod subjecto & prædicato interpositum, utrumque connectit. Vt in hac Enunciatione, *Homo est animal*: vox *Homo*, est subjectum: vox *Animal*, est prædicatum; vox *Est*, copula habetur.

Verbum Est, *quot modis pro copula in Enunciatione stare potest?*

Verbum Est *duobus modis* pro copula in Enunciatione stare potest: *Vno*, cum expresse post se habet prædicatum distinctum: ut, *Deus est misericors. Altero*, cum post se nullum habet prædicatum, implicite tamen certum prædicatum connotat; & ita simul copulæ & prædicati totius vim habet. v. g. *Deus est. Vtopia non est*, Prior casus vocatur *Est tertii adjecti*, posterior,

sterior, *Est secundi adjecti.* Atque latet in Est Secundi adjecti, implicite verbum Ens.

Quid hic notandum est?

Notandum primò: tam Subjectum quam Prædicatum, interdum una, interdum pluribus vocibus constare. Vna, constat in hac Enunciatione: *Homo est Animal:* At, plures habet in ista: *Homo pietate doctrina ac virtute præstans, est ab omnibus merito laudandus, & in pretio habendus.* Subjectum enim hic est totum illud: *Homo pietate doctrina ac virtute præstans:* Prædicatum, reliqua omnia, quæ copulæ subjiciuntur, nempe: *ab omnibus merito laudandus, & in pretio habendus. Deinde notandum:* Copulam nonnunquam expresse poni, nonnunquam in verbo latere. Sic, in hac Enunciatione, *Homo est animal*, copula *Est* expresse ponitur. At, cum dicitur, *Homo currit*, copula latet in verbo *currit;* perinde enim est, ac si dicas, est currens.

Quot modis dividi potest Enunciatio?

Enunciatio, dividi potest vel ex parte materiæ, vel ex parte formæ.

Quomodo dividitur Enunciatio ex parte Materiæ?

Enunciatio ex parte Materiæ, dividitur in Veram & Falsam.

Quid est Enunciatio Vera?

Enunciatio Vera est, quæ est conformis objecto, seu rei significatæ: ut, *Homo est rationalis.*

Quid est Enunciatio Falsa?

Enunciatio Falsa est, quæ est difformis objecto, seu rei significatæ: ut, *Homo est lapis.*

Quo-

Quomodo dividitur Enunciatio ex parte Formæ?

Enunciatio ex parte Formæ variis modis, tribus tamen præcipue, dividitur, ſecundum tres quæſtiones: *Quæ? Qualis? Quanta?* Atque notat *Quæ?* an Enunciatio ſit Categorica, an Hypothetica: *Qualis?* an ſit Affirmativa vel Negativa: *Quanta?* an ſit Vniverſalis, Particularis, Indefinita, an Singularis.

Quid eſt Enunciatio Categorica?

Enunciatio Categorica ſeu Simplex eſt, in qua unum prædicatum de uno ſubjecto affirmatur vel negatur: ut, *Chriſtus reſurrexit. Pater cœleſtis reconciliatus eſt nobis.*

Quid eſt Enunciatio Hypothetica?

Enunciatio Hypothetica ſeu Compoſita aut Conjuncta eſt, in qua ſimplices propoſitiones per conjunctionem aliquam conjunctæ ſunt in unam. Vt: *Si Chriſtus reſurrexit, ſequitur quod Pater cœleſtis reconciliatus ſit nobis.*

Quotuplex eſt propoſitio Hypothetica ſeu Compoſita?

Propoſitio Hypothetica ſeu Compoſita, eſt *triplex:* Conditionalis, Disjunctiva, & Copulativa.

Quid eſt Propoſitio Conditionalis?

Propoſitio Conditionalis ſeu Hypothetica in ſpecie ſic dicta, eſt, in qua ſimplices propoſitiones, per conjunctionem conditionalem, *Si*, *Niſi*, aut ſimiles, connectuntur: ut, *Si fueris felix, multos numerabis amicos.*

Quid

Quid notandum de propositione Conditionali?

Notandum de propositione Conditionali, eam nihil ponere in esse. Hoc est: Ad veritatem propositionis conditionalis, non requiritur, ut ejus simplices sint veræ, sed tantum, ut connexio seu consequentia sit bona. Sic, hæc Enunciatio, *Si Asinus volat, habet alas*: est vera, licet neque volet asinus, neque alas habeat. Sufficit enim, quod ad volatum asini, si dandus illi esset, alæ requirantur.

Quid est Propositio Disjunctiva?

Propositio Disjunctiva est, in qua simplices propositiones, per conjunctionem disjunctivam, *Aut, Vel, Sive*, ac similem connectuntur: ut: *Petrus aut est sanus, aut ægrotus.*

Quid notandum de Propositione Disjunctiva?

Notandum de Propositione Disjunctiva, ad veritatem ejus requiri, ut membra disjuncta sibi repugnent. Unde bona est disjunctiva, cum dico: *Petrus aut valet, aut ægrotat*: nam valere &, ægrotare, pugnant. At, vitiosa est, cum dico: *Petrus aut valet, aut est homo*: valere enim & hominem esse, non pugnant, sed juxta consistunt.

Quid est Propositio Copulativa?

Propositio Copulativa est, in qua simplices propositiones, per conjunctionem copulativam *Et, Ac, Atque, Cum Tum*, similesq; connectuntur. Vt: *Nox & amor, vinumq, nihil moderabile suadent.* Atque sunt Propositiones Copulativæ triplices: *In quibusdam* enim multa subjecta junguntur uni prædicato; ut,

ut, *Aristoteles & Xenocrates fuerunt discipuli Platonis*. *In aliis* multa prædicata junguntur uni subjecto; ut, *Aristoteles fuit discipulus Platonis, & Præceptor Theophrasti*. *In aliis* deniq; multa subjecta junguntur multis prædicatis; ut, *Plato & Aristoteles fuerunt præceptor & discipulus*.

Quid notandum de Propositione Copulativa?

Notandum de Propositione Copulativa, ad veritatem ejus requiri, ut omnia membra sint vera. Ita hæc propositio est vera: *Homo habet duas manus, & decem digitos*. At falsa est ita: *Homo habet duas manus, & digitos centum*.

Quid est Enunciatio Affirmativa?

Enunciatio Affirmativa est, quæ dicit prædicatum inesse subjecto: ut, *Homo est risibilis*.

Quid est Enunciatio Negans?

Euunciatio Negans est, quæ dicit prædicatum non inesse subjecto: ut, *Homo non est equus*.

Quotuplex est Propositio Negans?

Propositio Negans *duplex* est: nempe Negans Formaliter, vel Virtualiter.

Quid est Propositio Negans formaliter?

Propositio Negans formaliter est, quæ habet negationem expressam: ubi nihil refert, an ea manifeste, an occulte anteposita sit copulæ: ut, *Petrus non est lapis. Nullus homo est quadrupes*.

Quid est Propositio Negans Virtualiter?

Propositio Negans Virtualiter est, quæ negationem non habet expressam; sed implicite latentem in ali-

quo vocabulo, vim negandi virtualiter habente: ut, *Solus homo est rationalis. Pauci sunt docti.*

Quid est Enunciatio Universalis?

Enunciatio Universalis est, cujus subjecto præfixum est Signum Universale. Qualia sunt: *Omnis, Quicunq;, Quotcunq;, Uterq;:* item, *Nullus, Nemo, Neuter.*

Quid est Enunciatio Particularis?

Enunciatio Particularis est, cujus Subjecto præfixum est Signum Particulare. Qualia sunt: *Aliquis, Quidam, Alter.*

Quid est Enunciatio Indefinita?

Enunciatio Indefinita est, cui nullum Signum præfixum est, ita tamen, ut subjectum ejus sit terminus universalis, atque sic Signum vel Universale vel Particulare admittat. ut, *Homo est Animal: Homo est doctus.*

Quid est Enunciatio Singularis?

Enunciatio Singularis est, cujus subjectum est singulare seu individuum, adeòque non tantum non signum ei præfixum est, sed nec præfigi potest. ut: *Petrus scribit. Petrus non scribit.*

Quid est Enunciatio Finita?

Enunciatio Finita est, cujus & subjectum & prædicatum est terminus finitus: ut, *Homo est animal.*

Quid est Enunciatio Infinita?

Enunciatio Infinita est, cujus vel subjectum, vel prædicatum, vel utrumque, est terminus infinitus. Ut: *Omnis non doctus est rudis. Omnis homo est non leo. Omne non animal est non homo. Prima* dicitur Infinita infiniti subjecti. *Altera*, Infinita infiniti

finiti prædicati. *Tertia*, Infinita infiniti tam subjecti quam prædicati.

Quid est Enunciatio Absoluta?

Enunciatio Absoluta est, quæ dicit rem esse vel non esse, citra particulam determinantem seu modum: ut, *Homo est rationalis.*

Quid est Enunciatio Modalis?

Enunciatio Modalis est, quæ dicit rem esse vel non esse, cum particula determinante seu modo: ut: *Necesse est hominem esse rationalem.*

Quot sunt Modi?

Modi sunt *quatuor: Necesse, Contingens, Impossibile & Possibile.* ut: Necesse est hominem esse animal. Contingit hominem esse doctum. Impossibile est hominem esse lapidem. Possibile est hominem mori.

Quid significant hi Modi?

Necessarium est, quod non potest non esse. *Contingens est*, quod, cum sit, potest non esse. *Impossibile* est, quod esse plane nequit. *Possibile est*, quod, cum non sit, esse potest. Atque, Necesse & Impossibile, sunt Modi Universales: Contingit, & Possibile est, sunt Modi Particulares.

Quid requiritur ad veritatem Propositionis Modalis?

Ad veritatem propositionis modalis requiritur, ut modus formalis congruat cum conditione materiæ. Sic hæc propositio: *Contingit hominem esse animal*, est falsa, quia contradictoria est vera: *Non contingit hominem esse animal.*

Quomodo resolvi debent Propositiones Modales?

Propositiones Modales ita debent resolvi, ut ex Infinitivis modis dicti seu enunciationis absolutæ cui modus apponitur, fiant modi finiti; modales vero particulæ inter subjectum & prædicatum collocentur, & referantur ad copulam. V. g. hæc propositio: *Necesse est hominem esse animal*: sic resolvitur: *Homo necessario est animal.* Ista: *Impossibile est hominem esse lapidem*: sic resolvitur: *Homo impossibiliter est lapis*: vel, *Homo non potest esse lapis.* Hæc: *Contingit hominem esse doctum*: sic resolvitur: *Homo contingenter est doctus.* Denique ista: *Possibile est hominem mori*; sic resolvitur: *Homo possibiliter moritur*: vel, *Homo potest mori.*

Quid est Propositio Exponibilis?

Propositio Exponibilis est, in qua reperitur particula Exponibilis.

Quotuplex est Propositio Exponibilis?

Propositio Exponibilis, est *Triplex*: Exclusiva, Exceptiva, & Restrictiva.

Quid est Propositio Exclusiva?

Propositio Exclusiva est in qua reperitur particula exponibilis exclusiva: quales sunt: *Solus*, *Tantum*, *Duntaxat*, & similes. Atque est Propositio Exclusiva *triplex*: Exclusiva exclusi subjecti: Exclusiva exclusi prædicati, & Exclusiva exclusi Signi.

Quid est Exclusiva exclusi Subjecti?

Exclusiva exclusi Subjecti est, in qua excluduntur alia subjecta a participatione ejusdem prædicati. Ut: *Solus Deus est adorandus.* Atque cum quælibet propositio

positio exclusiva resolvatur in duas propositiones; hæc ita resolvenda est: *Deus est adorandus. Quod non est Deus, non est adorandum.*

Quid est Exclusiva exclusi Prædicati?

Exclusiva exclusi prædicati est, in qua excluduntur alia prædicata a participatione Subjecti: ut, *Petrus bibit tantum aquam.* Hæc, ita resolvitur: *Petrus bibit aquam. Petrus non bibit aliquid, quod non est aqua,*

Quid est Exclusiva exclusi Signi?

Exclusiva exclusi Signi est, quæ Signum Universale excludit a particulari. ut: *Tantum quidam homines salvabuntur.* Hæc ita resolvitur: *Quidam homines salvabuntur: Quidam homines non salvabuntur:* vel: *Non omnes homines salvabuntur.*

Quid est Propositio Exceptiva?

Propositio Exceptiva est, quæ signum exceptionis habet: cujusmodi sunt, *Præter, Nisi,* & voces similes, ipsumq; verbum *Excipio.* ut: *Omnis homo præter Christum peccavit.* Hæc ita resolvitur: *Christus non peccavit: Omnis homo, qui non est Christus, peccavit.*

Quid est Propositio Restrictiva?

Propositio Restrictiva, quam alii *Reduplicativam* vocant, est, in qua reperitur particula restrictiva: quales sunt: *Quoad, Quatenus, In quantum, Prout,* & similes. Atque solet denotari per particulas restrictivas, vel pars, vel causa, vel subjectum primum, vel qualitas, vel conditio sine qua non. *Pars* denotatur: uti cum dico: *Homo quoad corpus est mortalis:* Hæc, ita resolvitur: Homo est mortalis. Corpus est pars hominis, secundum quam ille est mortalis. *Causa*

denotatur: uti cum dico: *Homo, quatenus rationalis, est docilis.* Hæc, ita resolvitur: Homo est docilis. Rationalitas est causa, cujus vi homo est docilis. *Subjectum primum* denotatur, uti cum dico: *Homo, quatenus est corpus, habet quantitatem.* Hæc, ita resolvitur: Homo habet quantitatem. Corpus est subjectum primum, cujus vi homo habet quantitatem. *Qualitas* denotatur: uti cum dico: *Petrus secundum eruditionem est amabilis.* Hæc, ita resolvitur: Petrus est amabilis. Eruditio est qualitas, secundum quam Petrus est amabilis. *Conditio sine qua non* denotatur, uti cum dico: *Ignis, quatenus est propinquus, urit.* Hæc, ita resolvitur: Ignis urit. Propinquitas est conditio sine qua ignis non urit.

CAPUT III.
De Prædicatione.

Quid est Prædicatio?

P*Rædicatio*, est propositio affirmativa, seu, affirmans aliquid de aliquo, ut: *Homo est animal.*

Quid est Prædicatio Propria?

Prædicatio Propria est, cujus omnes partes sive voces, in propria significatione accipiuntur. ut: *Petrus est doctus.*

Quid est Prædicatio Impropria?

Prædicatio Impropria est, cujus aliqua pars sive vox, improprie accipitur. ut: *Herodes est Vulpes.*

Quid est Prædicatio Causalis?

Prædicatio Causalis est, cum causa de suo effectu, vel effectus de causa prædicatur in casu recto; id est, nomi-

nominativo. ut, *Præsentia Solis est dies.* Præsentia enim Solis est causa efficiens diei.

Quid est Prædicatio Concomitativa?

Prædicatio Concomitativa est, cum unum de altero prædicatur in casu recto, ideo tantum quia necessario cum ipso existit. ut: *Unius generatio est, alterius corruptio.*

Quid est Prædicatio Naturalis?

Prædicatio Naturalis est, cum id prædicatur, quod alteri inest, & subjicitur id, cui alterum inest. Inest autem commune particulari sive singulari; & connotativum, seu quod tanquam adjacens de aliquo dicitur, absoluto; & illi, cui adjacet: Proinde Prædicationes naturales sunt: *Homo est animal. Homo est doctus.*

Quid est Prædicatio contra Naturam?

Prædicatio contra Naturam est, cum subjicitur quod revera inest, & prædicatur id cui inest. Hoc est, cum particulare seu singulare prædicatur de communi, vel absolutum de connotativo. ut: *Animal est homo. Doctum est homo.*

Quid est Prædicatio præter Naturam?

Prædicatio præter Naturam est, cum ita prædicatur unum de altero, ut neutrum revera alteri insit: uti cum idem prorsus de seipso effertur: v. g. *Petrus est Petrus. Homo est homo.* Quæ prædicatio dicitur *Identica.* Vel, cum concretum unum de altero prædicatur, ratione subjecti vel suppositi, quorum formæ in abstracto de se invicem prædicari non possunt. uti cum dico: *Album est dulce:* respectu nimirum Lactis. Atque hæc prædicatio dicitur *Per Accidens.*

Quid est Prædicatio Intrinseca?

Prædicatio Intrinseca est, cum forma prædicati est in subjecto. ut, *Petrus est doctus.* Doctrina enim, quæ forma docti est, in Petro est.

Quid est Prædicatio Extrinseca?

Prædicatio Extrinseca est, cum forma prædicati non est in subjecto, sed subjectum tantum denominat, revera autem alteri alicui inest. ut, *Petrus videtur.* Visio enim, qua Petrus videtur, non est in ipso, sed in eo, qui videt eundem.

Quid est Prædicatio Essentialis?

Prædicatio Essentialis est, cum prædicatum est vel ipsa essentia, vel de essentia subjecti. ut: *Homo est animal Rationale.* Vel: *Homo est rationalis. Homo est animal.*

Quid est Prædicatio Accidentalis?

Prædicatio Accidentalis est, cujus prædicatum nec est essentia, nec de essentia subjecti. ut, *Homo est risibilis: Homo est doctus.*

Quid est Prædicatio in Quid?

Prædicatio in Quid dicitur, qua apte respondetur quærenti quid res sit. ut, si quæras *Quid sit homo?* apte respondetur, quod sit animal. *Quid Petrus sit?* apte respondetur, quod sit homo.

Quid est Prædicatio in Quale?

Prædicatio in Quale est, qua apte respondetur quærenti qualis res sit. Atque hæc rursus est *duplex:* Una, in Quale Essentiale: altera, in Quale Accidentale. *Prædicatio in quale essentiale* vocatur, qua recte respondetur quærenti, qualis res sit secundum naturam & essentiam suam. ut, si quæras *qualis sit secundum*

cundum essentiam homo: respondetur rationalis. *Prædicatio in quale accidentale* vocatur, qua recte respondetur quærenti, qualis res sit secundum proprietates aut accidentia sua. Ita, si quæras, *qualis sit homo secundum Proprietates?* recte respondetur: Risibilis; disciplinarum capax: *Qualis secundum Accidentia?* respondetur, albus, doctus, bonus, malus.

Quid est Prædicatio Necessaria?

Prædicatio Necessaria est, quæ sic est vera, ut non possit esse falsa: ut, *Homo est animal.*

Quid est Prædicatio Contingens?

Prædicatio Contingens est, quæ sic est vera, ut possit esse falsa: ut *Homo est doctus.*

Quid est Prædicatio Impossibilis?

Prædicatio Impossibilis est, quæ sic est falsa, ut non possit esse vera. ut: Homo est lapis.

CAPUT IV.

De Suppositione Vocum in Enunciationibus.

Quid est Suppositio?

Suppositio est certa vocis alicujus, subjecti imprimis, in enunciatione acceptio.

Quotuplex est Suppositio?

Suppositio *duplex* est, Materialis & Formalis.

Quid est Suppositio Materialis?

Suppositio Materialis, est acceptio vocis pro seipsa. ut: *Homo est vox dissyllaba.*

Quid est Suppositio Formalis?

Suppositio Formalis, est acceptio vocis pro re significata. ut: *Homo est risibilis.*

Quid est Suppositio Singularis?

Suppositio Singularis, est acceptio vocis Singularis. Qualis est in subjecto hujus propositionis: *Socrates currit.*

Quid est Suppositio Communis?

Suppositio Communis, est acceptio vocis communis. Estque vel Simplex, vel Personalis.

Quid est Suppositio Simplex?

Suppositio Simplex, est acceptio vocis communis, pro suo significato immediato, non pro inferioribus, sive iis, quæ mediate significat. ut, cum dico: *Homo est species. Animal est genus.* Utrobique enim subjectum capitur pro nuda natura, quam denotat; i. e. natura humana, natura animalis, non pro inferioribus, seu iis, quæ naturam illam habent.

Quid est Suppositio Personalis?

Suppositio Personalis, est acceptio vocis communis, pro suis significatis mediatis, sive inferioribus, in quæ communis natura per signum aliquod distribuitur. Ita in his propositionibus: *O. homo est animal. N. homo est lapis;* subjecta non præcise nudam & simplicem naturam denotant, sed inferiora, quæ naturam illam participant: hoc est, Species & Individua.

Quotuplex est Suppositio Personalis?

Suppositio Personalis est *quadruplex*: Distributiva, Copulata, Determinata, & Confusa.

Quid

Quid est Suppositio Distributiva.

Suppositio Distributiva, est acceptio vocis communis, pro inferioribus vel denominatis, copulative enumerandis, id est, per conjunctionem copulativam copulantem integras enunciationes. Ut: *O. homo est animal.* Sensus est: Et Petrus est animal, & Paulus est animal, & Johannes est animal. Et ita accipitur subjectum universalis propositionis Affirmantis & prædicatum Negantis.

Quotuplex est Suppositio Distributiva.

Suppositio Distributiva est *Triplex*: Vel, pro generibus singulorum tantum; vel, pro singulis generum tantum; vel, pro generibus singulorum & singulis generum simul.

Quid est Suppositio Distributiva pro Generibus Singulorum tantum?

Suppositio Distributiva pro generibus singulorum tantum est, cum vox aliqua accipitur pro omnibus suis speciebus; non individuis. Ita sumitur subjectum hujus propositionis: *O. Sensus sunt in homine.* Sensus enim est: Omnes Sensuum species, sunt in homine, minime vero, omnia sensuum individua. Alioquin enim visus hujus lyncis, & odoratus hujus canis esset in homine.

Quid est Suppositio Distributiva pro singulis Generum tantum?

Suppositio Distributiva pro singulis generum tantum est, cum vox aliqua accipitur pro omnibus suis individuis, non speciebus. Ita accipitur subjectum hujus propositionis: *Omne animal moritur.* Sensus enim est: O. animalis individuum moritur; non O. animalis species.

Quid

Quid est Suppositio Distributiva pro Generibus singulorum, & singulis Generum simul?

Suppositio Distributiva pro generibus singulorum, & singulis generum simul est, cum vox aliqua accipitur non tantum pro omnibus suis speciebus, sed etiam omnibus suis individuis. Ita sumitur subjectum hujus propositionis: *O. animal est substantia.* Non enim tantum omnis animalis species, i. e. homo, leo, equus, sed & omne animalis individuum i. e. hic homo, hic leo, hic equus, est substantia.

Quid est Suppositio Copulata?

Suppositio Copulata seu Collectiva, est acceptio vocis communis pro inferioribus vel denominatis, copulatim enumerandis: i. e. per conjunctionem copulativam, copulantem simplices tantum terminos. Ita sumitur subjectum hujus propositionis: *Omnia elementa sunt quatuor.* Sensus enim est: Aër, Ignis, Aqua & Terra, simul sumta, sunt quatuor.

Quid est Suppositio Determinata?

Suppositio Determinata seu *Disjunctiva*, est acceptio vocis communis, pro inferioribus vel denominatis disjunctive enumerandis: i. e. per conjunctionem disjunctivam, disjungentem integras enunciationes. Ita sumitur subjectum hujus enunciationis: *Aliquis homo est doctus.* Sensus enim est: Vel Petrus est doctus: Vel, (si hic non est,) Paulus est doctus: Vel, (si nec iste,) Johannes est doctus: Vel, (si neque hic) alius quispiam hominum in singulari est doctus.

Quid est Suppositio Confusa?

Suppositio Confusa seu Disjuncta, est acceptio vocis communis, pro inferioribus vel denominatis, disjunctim

junctim enumerandis, i. e. per conjunctionem disjunctivam, disjungentem simplices tantum terminos. Ita sumitur subjectum hujus propositionis: *Aliqua navis est necessaria navigaturo.* Sensus enim est: Hæc, vel illa, vel ista navis (indeterminate seu confuse, cum nulla determinate necessaria sit,) est necessaria navigaturo.

Quid est Suppositio Naturalis?

Suppositio Naturalis, est acceptio vocis communis, pro omnibus quæ natura sua significare potest. Ita sumitur subjectum hujus propositionis: *Omnis homo est animal.* Intelligitur enim, per vocem Homo, omne illud, quod ea denotatur; i. e. homines, qui sunt, fuerunt, futuri sunt, vel esse possunt.

Quid est Suppositio Accidentalis?

Suppositio Accidentalis; est acceptio vocis communis, non pro omnibus, sed iis tantum significatis, pro quibus ut accipiatur, patitur enunciatio. Ita sumitur subjectum hujus propositionis: *Quidam homo nunc scribit:* nec enim capitur vox homo, pro homine, qui fuit vel futurus est, sed pro eo tantum, qui jam existit.

CAPUT V.

De Affectionibus Enunciationum.

Quot sunt Affectiones Enunciationum?

AFfectiones Enunciationum, quatenus cum aliis comparantur, sunt quatuor: *Subalternatio, Oppositio, Æquipollentia, & Conversio.*

Quid

Quid est SVBALTERNATIO?

Subalternatio, est inclusio enunciationis particularis in universali, idem subjectum ac prædicatum, eandemq; qualitatem habente. ut:

Omnis homo est animal:
Quidam homo est animal.

Nullus homo est lapis:
Quidam homo non est lapis.

Atq; in his Universalis, *Subalternans*, Particularis, *Subalternata* vocatur.

Quid notandum de Propositionibus Subalternis?

De Propositionibus Subalternis, duæ Regulæ tenendæ sunt: *Prima est:* Quoties Subalternans est vera, toties etiam vera est subalternata: sed non contra. Sic, quia verum est, Omnem hominem esse animal; verum etiam erit: Quendam hominem esse animal. Non autem, quia verum est, quendam hominem esse doctum; ideo statim sequitur, Omnem hominem esse doctum. *Altera Regula est:* Quoties Subalternata est falsa, toties falsa est etiam subalternans: sed non contra. Sic, quia falsum est, quendam hominem esse lapidem, ideo falsum erit quoq;, omnem hominem esse lapidem. Non autem quia falsum est, omnem hominem esse doctum; ideo falsum statim est, quendam hominem esse doctum.

Quid est OPPOSITIO Propositionum?

Oppositio Propositionum, est pugna duarum Enunciationum, cum idem de eadem re, una affirmat, altera negat.

Quot

Quot sunt Species Oppositionum?

Species Oppositionum sunt quinque: *Contradictoria, Contraria, Subcontraria, Indefinitarum oppositio, & Singularis.*

Quid est Oppositio Contradictoria?

Oppositio Contradictoria est, cum una propositionum est universalis affirmans, altera particularis negans; vel, una Vniversalis negans, altera particularis affirmans. ut: *Omnis homo est rationalis: Non omnis homo est rationalis:* seu, quod idem est: *Quidam homo non est rationalis.* Item: *Nullus homo est rationalis: Nonnullus homo est rationalis:* vel, quod idem est: *Quidam homo est rationalis.*

Quæ est Natura Contradictoriorum?

Contradictoriorum hæc natura & lex est, ut una vera, semper falsa sit altera; & una falsa, semper vera sit altera. Sic, si vera est hæc, *Omnis homo est animal:* falsa est ista: *Non omnis homo est animal:* sive: *Quidam homo non est animal.* Contra, si falsa est illa: *N. homo est doctus*, vera est ista: *Nonnullus homo est doctus*; sive: *Quidam homo est doctus.*

Quid est Oppositio Contraria?

Oppositio Contraria, est inter duas Enunciationes Universales: ut, *Omnis homo est doctus. Nullus homo est doctus.*

Quæ est Natura Contrariarum Enunciationum?

Contrariæ Enunciationes hanc habent naturam, ut interdum quidem simul falsæ esse possint, at nunquam simul veræ. Ita simul falsæ sunt hæ: *Omnis homo est doctus. Nullus homo est doctus.*

Quid

Quid est Oppositio Subcontrariarum?

Subcontrarie opponuntur duæ particulares. ut: *Quidam homo est doctus. Quidam homo non est doctus.*

Quæ est Natura Subcontrariarum Enunciationum?

Subcontrariæ Enunciationes hanc habent naturam, ut interdum quidem simul veræ esse possint, at nunquam simul falsæ. Ita simul veræ sunt hæ: *Quidam homo est doctus: Quidam homo non est doctus.*

Quid est Oppositio Indefinitarum?

Oppositio Indefinitarum est; quando duæ Indefinitæ inter se opponuntur. ut; *Homo est animal: Homo non est animal.* Atque hæ imitantur naturam Subcontrariarum.

Quid est Oppositio Singularium?

Oppositio Singularium est, quando duæ Singulares inter se opponuntur: ut; *Petrus currit; Petrus non currit.* Atque hæ imitantur naturam Contradictoriorum.

Quænam sunt Requisita justæ Oppositionis?

Requisita justæ oppositionis sunt; ut oppositio fiat secundum idem, ad idem, & eodem tempore.

Quid est ÆQVIPOLLENTIA?

Æquipollentia est, cum duæ pluresve propositiones, ejusdem subjecti & prædicati, quantitatis item ac qualitatis; ita unum idemq; significant; ut Signo tantum & particula negante, aut alio atque alio ejus positu discriminentur. Tales sunt hæ Enunciationes: *O. homo est animal: N. homo non est animal: Non quidam homo non est animal.*

Vnde

Unde potest addisci doctrina Æquipollentiæ?

Doctrina Æquipollentiæ optime addisci potest, ex sequentibus tribus versiculis memorialibus:

Non omnis, quidam-non: Omnis-non, quasi Nullus:
Non-nullus, quidam: sed Nullus-non, valet Omnis;
Non-aliquis, Nullus: Non quidam non, valet Omnis.

Quid est CONVERSIO Enunciationum?

Conversio Enunciationum est, cum, salva veritate, ex subjecto Enunciationis fit prædicatum, & ex prædicato subjectum. ut: *Nullus homo est lapis. Nullus lapis est homo.* Prior propositio, quæ convertitur, dicitur *Conversa*: in quam autem convertitur, seu posterior propositio, dicitur *Convertens.*

Quot sunt Species Conversionis?

Species Conversionis sunt tres: *Conversio Simplex, Per Accidens, & Per Contrapositionem.*

Quid est Conversio Simplex?

Conversio Simplex est, cum simpliciter ex subjecto fit prædicatum, & ex prædicato subjectum, manente eadem quantitate & qualitate enunciationum. Hac convertitur Universalis Negans, & Particularis Affirmans. Sic, hæc Universalis Negans: *Nullus homo est lapis*: convertitur in istam universalem similiter negantem: *Nullus lapis est homo.* Et, hæc Particularis Affirmans: *Quidam homo est doctus*: in istam itidem particularem affirmantem: *Quoddam doctum est homo.*

Quid est Conversio Per Accidens?

Conversio Per Accidens est, cum ita convertitur Enunciatio, ut maneat eadem qualitas, sed mutetur

quantitas. Hac convertitur Universalis affirmans, in particularem affirmantem. ut: *Omnis homo est bipes. Quoddam bipes est homo.*

Quid est Conversio per Contrapositionem?

Conversio per Contrapositionem est, cum ita termini translocantur, ut etiam contraponantur, h. e. ut loco finitorum ponantur infiniti. Hac convertuntur Universalis Affirmans, & Particularis Negans. Atque Universalis Affirmans quidem, convertitur in Universalem Negantem, sed subjecti infiniti: ut: *Omnis Equus est quadrupes. Quicquid non est quadrupes, non est equus.* Seu: *Nullum non-quadrupes est equus.* Porro, Particularis Negans, convertitur in particularem affirmantem, sed subjecti infiniti. ut: *Quoddam animal non est quadrupes. Quoddam non-quadrupes est animal.*

Quid notandum de Conversione Propositionum?

De Conversione Propositionum notandum, ne casus recti ponantur pro obliquis, & contra. Hæc enim propositio: *Quidam equus est in stabulo;* non ita convertenda est: *Quoddam stabulum est in equo.* Sed: *Quoddam, quod est in stabulo, est equus.* Deinde: In propositionibus, quarum copula est temporis præteriti vel futuri, curandum, ut illa copula recte convertatur. Sic, hæc propositio: *Omnis senex fuit puer:* non convertitur: *Quidam puer fuit senex.* Sed: *Quidam, qui fuit puer, est senex.* Item hæc propositio: *Quidam puer erit senex:* non convertitur: *Quidam senex erit puer:* Sed: *Quidam, qui erit senex, est puer.*

CA-

CAPUT VI.

De Consecutione, Statu, & Ampliatione Enunciationum.

Quid est Consecutio Enunciationum?

CONsecutio *Enunciationum* est, qua ex finita infertur infinita, vel contra. Sic sequitur: *Omnis justus est honorandus.* Ergo: *Nullus justus est non-honorandus.* & contra. Item *N. Electus est reprobus.* Ergo: *Omnis Electus est non reprobus:* & contra. Similiter: *Quidam homo est doctus:* Ergo: *Quidam homo non est non doctus:* & contra. Item, *Quidam homo non est doctus.* Ergo: *Quidam homo est non doctus:* & contra.

Quid est Status?

Status est acceptio vocis, pro re existente eo tempore, quod per verbum seu copulam significatur.

Quotuplex est Status?

Status, pro triplici temporis differentia, triplex est: 1. *Præsentis temporis:* qualis est in subjecto hujus Enunciationis: *Quidam homo currit.* Sensus enim est: Quidam homo qui est, seu existit, currit: non qui fuit, vel erit. 2. *Præteriti temporis:* qualis est in subjecto hujus enunciationis: *Quædam domus est combusta.* Sensus enim est: Quædam domus quæ fuit, est combusta; non quæ est, vel erit. 3. *Futuri temporis:* qualis est in Subjecto hujus enunciationis: *Quidam homo nascetur.* Sensus est: Quidam homo qui erit, nascetur, non qui est, vel fuit.

Quid est Ampliatio?

Ampliatio, est acceptio vocis pro re existente etiam alio tempore, quam per verbum seu copulam significatur.

Quotuplex est Ampliatio?

Ampliatio est quadruplex: 1. *Respicit Præsens & præteritum.* Qualis est in subjecto hujus propositionis: *Quidam homo natus est.* Sensus enim est: Quidam homo, qui est, vel fuit, natus est; non vero qui erit. 2. *Respicit Præsens & futurum.* Qualis est in subjecto hujus propositionis: *Quidam homo morietur.* Sensus enim est: Quidam homo qui est, vel erit, morietur; non vero qui fuit. 3. *Respicit Præsens, Præteritum & Futurum.* Qualis est in subjecto hujus propositionis: *Natus morietur.* Sensus enim est: qui jam natus est, nunc nascitur, vel adhuc nascetur, morietur. 4. *Respicit Præsens, Præteritum, Futurum & Possibile*: i. e. quod esse non repugnat. Qualis est in subjecto hujus propositionis: *Omnis homo est animal.* Sensus enim est: Omnis homo qui est, fuit, erit, vel esse potest, est animal. Atque hoc modo vox aliqua amplissime accipi dicitur. Et ita accipiendum est utrumque extremum propositionis, quæ absolute necessaria.

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

De Syllogismo.

Quid est Syllogismus.

S*Yllogismus* est oratio, in qua, positis quibusdam, diversum quid a positis sequitur, ex necessitate, eo quod illa posita sunt.

Quæ

Quæ ſunt Partes Syllogiſmi?

Partes Syllogiſmi, ſunt vel Propinquæ, vel Remotæ. *Propinquæ*, ſunt Propoſitiones ſeu Enunciationes; *Remotæ*, ſunt Termini.

Quot ſunt in Syllogiſmo Simplici Propoſitiones?

In Syllogiſmo Simplici ſunt Propoſitiones tres: *Major*, *Minor*, & *Concluſio*; quarum duæ priores etiam *Sumtiones* ſeu *Præmiſſæ* appellantur: Concluſio, alio nomine dicitur *Conſequens*, item *Quæſtio*.

Quid eſt Propoſitio Major?

Propoſitio Major, eſt illa Sumtio, quæ in ordine prolationis prior producitur, & continet Majorem terminum cum Medio diſpoſitum. Dicitur alias ſimpliciter *Propoſitio*.

Quid eſt Propoſitio Minor?

Propoſitio Minor, eſt illa Sumtio, quæ in ordine prolationis poſterior producitur, & continet Minorem terminum, cum Medio diſpoſitum. Dicitur etiam *Aſſumtio*, vel *Aſſumtum*.

Quid eſt Concluſio?

Concluſio eſt, quæ ex Majore & Minore Propoſitione infertur, & Minorem terminum diſponit cum Majore.

Quod ſunt Termini in Syllogiſmo?

Termini in Syllogiſmo ſunt *tres*: Major, ſive Majus Extremum; Minor, ſive Minus Extremum, & Medius.

Quid eſt Majus Extremum?

Majus Extremum, eſt Terminus, qui fit prædicatum concluſionis; & dicitur Majus Extremum, quia,

præter Medium terminum, reperitur in Majore Propositione.

Quid est Minus Extremum?

Minus Extremum, est Terminus, qui fit subjectum Conclusionis; & dicitur Minus Extremum, quia præter Medium terminum reperitur in Minore Propositione.

Quid est Medius Terminus?

Medius Terminus est, qui bis ponitur ante conclusionem, semel nimirum in Majore, & semel in Minore propositione; nunquam autem in Conclusione.

CAPVT II.

De Figuris Syllogismi.

Quid est Figura Syllogismi.

F*Igura Syllogismi*, est legitima trium terminorum dispositio, ad aliquid concludendum.

Quot sunt Figuræ Syllogismorum?

Figuræ Syllogismorum sunt *tres*: Prima, Secunda, & Tertia.

Quid est Prima Figura?

Prima Figura est, in qua Medius terminus est subjectum in Majore propositione, & prædicatum in Minore. ut;

Omnis homo est rationalis.
Petrus est homo.
E. *Petrus est rationalis.*

Quid est Secunda Figura?

Secunda Figura est, in qua medius terminus est præ-

prædicatum, tam in Majore quam in Minore propositione. ut:

O. Homo est rationalis.
N. Lapis est rationalis.
E. *N. Lapis est homo.*

Quid est Tertia Figura?

Tertia Figura est, in qua Medius terminus est Subjectum, tam in Majore quam in Minore propositione. ut:

O. Homo est rationalis.
O. Homo est bipes.
E. *O. Bipes est rationale.*

Quid est Modus Syllogisticus?

Modus Syllogisticus, est dispositio trium Enunciationum Syllogismi, secundum quantitatem & qualitatem.

Quotuplex est Modus Syllogismi?

Syllogismi Modus duplex est: *Directus*, seu directe concludens, qui majus extremum concludit de minori: *Et Indirectus*, seu indirecte concludens, qui minus extremum concludit de majori. Prioris exemplum est:

O. Animal est vivens.
O. Homo est animal.
E. *O. Homo est vivens.*

Posterioris exemplum est:

O. Animal est vivens.
O. Homo est animal.
E. *A. Vivens est homo.*

Qui ſunt Modi Directi Primæ Figuræ?

Modi Directi Primæ Figuræ ſunt quatuor:

Barbara. Celarent. Darii. Ferio.

Qui ſunt Modi Directi Secundæ Figuræ?

Modi Directi Secundæ Figuræ, ſunt itidem quatuor:

Ceſare. Cameſtres. Feſtino. Baroco.

Qui ſunt Modi Directi Tertiæ Figuræ?

Modi Directi Tertiæ Figuræ ſunt ſex:

Darapti. Felapton. Diſamis. Datiſi. Bocardo. Feriſon.

Quid notandum eſt de his vocabulis Technicis?

In his vocabulis technicis, prima vocalis cujuslibet vocis denotat quantitatem & qualitatem propoſitionis Majoris: Secunda, Minoris, Tertia, Concluſionis. Exhibent autem ſeſe Vocales quatuor: A. E. I. O. Atque:

A. denotat univerſalem Affirmantem.
E. denotat univerſalem Negantem.
I. denotat particularem Affirmantem.
O. denotat particularem Negantem.

Hinc verſiculi:

Aſſerit A, *negat* E, *ſed univerſaliter ambæ:*
Aſſerit I, *negat* O, *ſed particulariter ambæ.*

Qui

Qui ſunt Modi Indirecti primæ Figuræ?

Modi Indirecti Primæ Figuræ ſunt 5.

Baralip. Celantes. Dabitis. Fapeſmo. Friſeſmo.

Atque hi modi Indirecti vocantur, quia omnes majorem terminum, qui prædicatum eſſe in concluſione debebat, faciunt ſubjectum concluſionis; & contra minorem terminum, qui ſubjectum eſſe debebat, faciunt prædicatum. Vnde etiam valde intricata & minus naturalis in eis eſt inferendi ratio. Nihilominus, cum nunquam ex veris efficiant falſum, conſequentiam legitimam habent; ſed in diſputando vix adhiberi poſſunt.

CAPVT III.

De Principiis, & Regulis Syllogiſmorum.

Quæ ſunt Principia Syllogiſmorum?

PRincipia ſeu Fundamenta Syllogiſmorum, ſunt axiomata ſive propoſitiones, per ſe notæ, quibus nititur conſequentia ſyllogiſtica: eſtque unum Principium Affirmativum, alterum Negativum.

Quodnam eſt Principium Affirmativum?

Principium *Affirmativum ſive Dictum de Omni*, eſt hæc Propoſitio: *Quicquid affirmatur de omni, ſive de ſubjecto univerſaliter ſumto, hoc eſt, pro omni eo, quod eſt ipſum: id etiam affirmatur de cunctis, quæ ſub illo continentur.* Sic, quod dicitur de omni homine, id neceſſario etiam dicitur de Italo; nam Italus ſub ho-

mine comprehenditur. Atque hoc Principio diriguntur omnes syllogismi affirmativi, & primæ quidem Figuræ actu & evidenter; secundæ vero & tertiæ potestate & obscure.

Quodnam est Principium Negativum?

Principium Negativum sive Dictum de Nullo, est hæc propositio: *Quicquid negatur de omni, sive de subjecto universaliter sumto, id etiam negatur de cunctis, quæ sub illo continentur.* Atque hoc Principio diriguntur omnes Syllogismi Negativi: & primæ quidem Figuræ actu & evidenter; secundæ vero & tertiæ potestate & obscure.

Quid est Argumentatio Formalis?

Argumentatio Formalis est, cum in nulla similis formæ, dari potest antecedens verum, seu præmissæ veræ, consequente falso.

Quænam Argumentationes sunt similis formæ?

Argumentationes similis formæ sunt, quæ constant æque multis terminis, eodem ordine dispositis, & æque multis propositionibus, ejusdem quantitatis & qualitatis. ut, hæc argumentatio:

O. *Animal est vivens.*
O. *Homo est animal.*
E. O. *Homo est vivens.*

Similis formæ est cum ista:

O. *Arbor est planta.*
O. *Quercus est arbor.*
E. O. *Quercus est planta.*

Quid

Quid est Argumentatio Materialis?

Argumentatio Materialis est, cum in aliqua similis formæ, dari potest antecedens verum, consequente falso.

Quæ sunt Regulæ Generales Syllogismorum?

Regulæ Generales Syllogismorum sunt Octo:

Prima est: ***Non est bona forma argumentandi, qua aliquando, in certa materia, ex veris præmissis colligitur verum, sed, qua in omni materia & semper.*** Hinc in definitione syllogismi dicitur, conclusionem sequi debere ex necessitate, & ideo, quia illa posita sunt.

Secunda est: ***Mala forma est, non qua semper, sed qua vel semel ex veris falsum concluditur.*** Nullus enim Syllogismus tam malus est, quin interdum verum concludat.

Tertia est: ***Conclusionem esse veram, & eandem sequi ex præmissis, idem non est:*** potest enim clusio esse vera, & tamen ex præmissis non sequi: & rursus, potest conclusio legitime ex præmissis sequi, nec tamen vera esse.

Quarta est: ***Ex puris Particularibus nihil sequitur:*** ut:

Q. *Homo est doctus.*
Q. *Rudis est homo.*
E. Q. *Rudis est doctus.*

Quinta est: ***Ex puris Negantibus nihil sequitur.*** ut:

N. *Homo est lapis,*
N. *Adamas est homo.*
E. N. *Adamas est lapis.*

Sexta

Sexta est: *In omni Syllogismo simplici, tres tantum termini esse possunt.* Hinc vitiose concludit iste:

O. Homo est rationalis.
Imago Pauli est homo pictus.
E. *Imago Pauli est rationalis.*

Septima est: *Conclusio debet semper imitari partem Syllogismi debiliorem:* id est, si una præmissarum sit negans, conclusio negare debet, non affirmare. Si item una sit particularis, conclusio particularis esse debet, non universalis. Hinc male concludit hic Syllogismus:

O. *Homo est rationalis.*
Q. *Bipes est homo.*
E. Q. *Bipes est rationale.*

Octava est: *A non distributo ad distributum, i. e. a termino non distributive accepto in antecedente, ad eundem distributive acceptum in consequente N. V. C.* ut, si ita colligas:

A. Animal non est rationale.
O. *Homo est rationalis.*
E. *A. Homo non est animal.*

Majus enim Extremum *Animal*, non distribuitur in majore, quia est subjectum particularis propositionis; distribuitur autem in conclusione, quia hic est prædicatum negantis.

Quæ sunt Regulæ Speciales Primæ Figuræ?

Regulæ speciales primæ Figuræ sunt duæ. Vna est: *Ex majore particulari in prima Figura nihil sequitur.* ut:

A. Animal est rationale.
O. *Equus est animal.*
E. *A. Equus est rationalis.*

Alte-

Altera est: *Ex Minore negante in prima Figura nihil sequitur:* ut:

O. homo est bipes.
N. Gallina est homo.
E. *N. Gallina est bipes.*

Quid hic notandum?

Notandum 1. *est:* Si subjectum Majoris propositionis sit infinitum, tum in prima figura recte & formaliter ex minore negante concludi. ut:

Qui non est ex Deo, verbum Dei non audit.
Judæi non sunt ex Deo.
E. *Judæi verbum Dei non audiunt.*

Notandum 2. *Ad* legitimos Syllogismos primæ Figuræ referri etiam illos, qui Minorem & Conclusionem habent propositiones singulares, etsi hæ proprie neq; universales sunt, neq; particulares: perinde enim fuerit, sive ad Barbara, sive ad Darii reducantur: atq; idem hoc valet etiam in cæteris Figuris.

Quæ sunt Regulæ Speciales Secundæ Figuræ?

Regulæ Speciales Secundæ Figuræ sunt duæ: Una est: *Ex majore particulari in secunda Figura nihil sequitur.* ut:

A. Animal non est rationale.
O. Homo est rationalis.
E.. *A. Homo non est animal.*

Altera est: *Ex puris Affirmativis in secunda Figura nihil sequitur.* ut:

O. Brutum est animal.
O. Homo est animal.
E. *O. Homo est brutum.*

Quæ

Quæ sunt Regulæ Speciales Tertiæ figuræ?

Regulæ Speciales Tertiæ Figuræ sunt duæ. Vna est: ***Conclusio in tertia figura semper debet esse particularis.*** Hinc N. V. C.

O. *Homo est rationalis.*
O. *Homo est animal.*
E. O. *Animal est rationale.*

Altera est: ***Ex Minore negante in tertia Figura nihil sequitur:*** ut:

O. *Homo est animal.*
N. *Homo est brutum.*
E. *A. Brutum non est animal.*

At, si subjectum Conclusionis fiat infinitum, recte aliquid sequitur in tertia Figura ex minore negante. ut:

O. *Avis est bipes.*
Quædam avis non est corvus.
E. *Quoddam, quod non est corvus, est bipes:*

Non vero: *E. Quidam corvus non est bipes.*

Daturne, præter tres supra expositas Syllogismorum Figuras, adhuc alia?

Si Medii termini cum extremis dispositionem respiciamus, atq; tot constituamus Figuras, quot modis illa variari potest dispositio, resultat sane, præter tres expositas, adhuc alia Figura, Averroi *Figura Quarta Galenica*, dicta: sive, quod Galenum Medicum, sive potius, quod Galenum Arabem quendam, cujus duo de Demonstratione libri extant, Autorem habet.

Quid

Quid est Figura Quarta?

Figura Quarta est, in qua medius terminus est in majore prædicatum, & in minore ſubjectum. Ejus modos conſtituunt: Bamalip. Calemes. Dimatis. Feſapo. Freſiſo. ut:

Bam		O.	*Corpus eſt extenſum.*
a		O.	*Extenſum eſt diviſibile.*
lip	E.	Q.	*Diviſibile eſt corpus.*
Ca		O.	*Homo eſt rationalis.*
lem		N.	*Rationale eſt lapis.*
es	E.	N.	*Lapis eſt homo.*
Dim		Q.	*Homo eſt doctus.*
at		O.	*Doctum eſt animal.*
is	E.	Q.	*Animal eſt homo.*
Feſ		N.	*Lapis eſt homo.*
ap		O.	*Homo eſt corpus.*
o	E.	Q.	*Corpus non eſt lapis.*
Fres		N.	*Lapis eſt homo.*
is		Q.	*Homo eſt corpus.*
o	E.	Q.	*Corpus non eſt lapis.*

Sed, hi Syllogiſmi, etſi formali gaudent conſequentia, ita, ut nunquam ex præmiſſis veris falſum concludant, ac inſuper ad primæ figuræ ſyllogiſmos reduci poſſint, & denique regulis generalibus itemque ſuis ſpecialibus alligentur, tamen exiguum habent uſum, quia non videntur naturaliter concludere: cum judicium naturale, perceptis eorum præmiſſis, non eam expectet Concluſionem, quæ infertur.

CA-

CAPUT IV.

De Syllogiſmo Expoſitorio.

Quid eſt Syllogiſmus Expoſitorius?

Syllogiſmus Expoſitorius eſt, per quem, in tertia Figura, medius terminus communis, ſeu prædicabilis, majoris perſpicuitatis cauſa, mutatur in medium terminum ſingularem ſeu individuum: atq; ſic infertur eadem concluſio. ut, hic Syllogiſmus:

O. *Homo eſt bipes.*
O. *Homo eſt animal.*
E. *Q. Animal eſt bipes:*

ſic mutatur in Syllogiſmum Expoſitorium:

Petrus eſt bipes.
Petrus eſt animal.
E. *Q. Animal eſt bipes.*

CAPUT V.

De Reductione Syllogiſmorum.

Quid eſt Syllogiſmus Perfectus?

Syllogiſmus perfectus eſt, qui nullo indiget principio perficiente, ut cuivis ſanæ mentis appareat, neceſſaria ejus conſequentia. Quales ſunt omnes Syllogiſmi legitimi primæ Figuræ.

Quid eſt Syllogiſmus Imperfectus?

Syllogiſmus Imperfectus eſt, qui indiget principio perficiente, ut cuivis ſanæ mentis appareat neceſſaria ejus conſequentia. Quales ſunt omnes Syllogiſmi ſecundæ & tertiæ Figuræ.

Quid

Quid est Reductio?

Reductio est mutatio Syllogismi imperfecti in perfectum, ut ostendatur imperfectus fuisse legitimus.

Quotuplex est Reductio?

Reductio *duplex* est: Ostensiva, & Per Impossibile.

Quid est Reductio Ostensiva?

Reductio Ostensiva est, quando Syllogismus Secundæ aut Tertiæ Figuræ, transmutatur in Syllogismum Primæ; ita ut idem concludatur eodem medio in Prima, quod ante concludebatur in Secunda & Tertia. Atque fit transmutatio illa, vel per Conversionem simul & Transpositionem unius præmissarum, vel per Conversionem tantum; & infertur vel eadem plane conclusio in Prima, quæ illata erat in cæteris: vel saltem quæ semper & legitime in eam converti potest.

Ad quem Modum Perfectum singuli Imperfecti reducuntur?

Quatuor sunt literæ initiales quatuor modorum perfectorum, nempe; B. C. D. F. ab harum una incipiunt etiam omnes modi Imperfecti. Proinde prima litera cujuslibet modi Imperfecti significat, illum reduci ad perfectum, ab eadem litera incipientem. ut: *Cesare*, ad *Celarent*: *Darapti*, ad *Darii*.

Quid porro hic notandum?

Porro notandæ sunt literæ S.P.M. & medianum C. Nam, in quam propositionem incidit litera S. ea debet simpliciter converti; in quam incidit litera P. ea debet converti per accidens; in quam incidit litera M. ea debet transponi, id est, debet poni loco Mi-

rioris, si sit Major; vel, loco Majoris, si sit Minor. Denique si in aliquo modo occurrit, litera C. quod fit in Bocardo & Baroco, signum hoc est, quod reductio debeat fieri per impossibile. Hinc versiculi:

S. *vult Simpliciter verti:* P. *vero per Acci.*
M. *vult transponi:* C. *per Impossibile duci.*

Sola conversione unius propositionis syllogisticæ reducuntur:

CeS		*N.*	*Brutum est rationale.*
a		*O.*	*Homo est rationalis.*
re.	E.	*N.*	*Homo est brutum.* ad
Ce		*N.*	*Rationale est brutum.*
la		*O.*	*Homo est rationalis.*
rent.	E.	*N.*	*Homo est brutum.*
FeS		*N.*	*Homo est brutum.*
ti		*A.*	*Animal est brutum.*
no.	E.	*A.*	*Animal non est homo.* ad
Fe		*N.*	*Brutum est homo.*
ri		*A.*	*Animal est brutum.*
o.	E.	*O.*	*Animal non est homo.*
Da		*O.*	*Homo est rationalis.*
raP		*O.*	*Homo est animal.*
ti.	E.	*A.*	*Animal est rationale.* ad
Da		*O.*	*Homo est rationalis.*
ri		*A.*	*Animal est homo.*
i.	E.	*A.*	*Animal est rationale.*
Fe		*N.*	*Homo est irrationalis.*
laP		*O.*	*Homo est animal.*
ton.	E.	*A.*	*Animal non est irrationale.* ad

Fe-

Fe N. *Homo est irrationalis.*
ri A. *Animal est homo.*
o. E. A. *Animal non est irrationale.*

Da O. *Avarus est miser.*
tiS A. *Avarus est dives.*
i. E. A. *Dives est miser.* ad

Da O. *Avarus est miser.*
ri A. *Dives est avarus.*
i. E. A. *Dives est miser.*

Fe N. *Vitium est amandum.*
tiS A. *Vitium est delectabile.*
on. E. A. *Delectabile non est amandum.* ad

Fe N. *Vitium est amandum.*
ri A. *Delectabile est vitium.*
o. E. A. *Delectabile non est amandum.*

Conversione plurium propositionum syllogisticarum, & simul præmissarum transpositione, reducuntur

CaM O. *Homo est rationalis.*
eS N. *Brutum est rationale.*
treS. E. N. *Brutum est homo.* ad

Ce N. *Rationale est brutum.*
la O. *Homo est rationalis.*
rent. E. N. *Homo est brutum.*

DiS A. *Animal est rationale.*
aM O. *Animal est vivens.*
iS. E. A. *Vivens est rationale.* ad

Da O. *Animal est vivens.*
ri A. *Rationale est animal.*
i. E. A. *Rationale est vivens.*

Quid est Reductio per Impossibile?

Reductio per Impossibile est, quando loco conclusionis assumitur ejus contradictoria, transferturque in locum propositionis Majoris aut Minoris, & infertur Conclusio absurda, ut intelligatur, Conclusionem veterem esse veram, quo ista absurditas evitetur.

Quomodo fit Reductio hæc in Secunda Figura?

Reductio per Impossibile in Secunda Figura fit, servando Majorem, & Conclusionis contradictoriam in locum Minoris collocando, secundum versiculum:

Servat Majorem variatq; Secunda Minorem.

Quomodo fit Reductio hæc in Tertia Figura?

Reductio per Impossibile in Tertia Figura fit, servando Minorem, & contradictoriam Conclusionis in Majoris locum collocando. Secundum versiculum:

Tertia Majorem variat, servatq; Minorem.

Exemplum Secundæ Figuræ est:

Bar O. *Homo est rationalis.*
oC A. *Animal non est rationale.*
o. E. A. *Animal non est homo.*

Reducitur ad

Bar O. *Homo est rationalis.*
ba O. *Animal est homo.*
ra. E. O. *Animal est rationale.*

Exem-

Exemplum Tertiæ Figuræ eſt.

BoC A. *Animal non eſt homo.*
ar O. *Animal eſt vivens.*
do. E. A. *Vivens non eſt homo.*

Reducitur ad

Bar O. *Vivens eſt homo.*
ba O. *Animal eſt vivens.*
ra. E. O. *Animal eſt homo.*

CAPUT VI.

De Syllogiſmo Modali & Exponibili.

Quid eſt Syllogiſmus Modalis?

S*Yllogiſmus Modalis* eſt, cujus vel una tantum, vel utraque præmiſſarum eſt modalis. Atque hi in ſeriis diſputationibus vix aliquem uſum habent, & ſi proferantur, reſolvendæ ſunt propoſitiones modales eo modo, qui ſupra eſt oſtenſus. Sic, v. c. ſequens Syllogiſmus eſt Modalis bonus:

Neceſſe eſt omne animal ſentire.
Omnis homo eſt animal.
E. *Neceſſe eſt omnem hominem ſentire.*

Reſolvitur ita:

O. *Animal neceſſario ſentit.*
O. *Homo eſt animal.*
E. O. *Homo neceſſario ſentit.*

Eſt item bonus modalis:

Contingit omne animal moveri.
Omnis homo eſt animal.
E. *Contingit omnem hominem moveri.*

Resolvitur ita:

O. Animal contingenter movetur,
O. Homo est animal.
E. *O. Homo contingenter movetur,*

At Modalis vitiosus est:

Contingit omne currens esse hominem.
Contingit omne rationale esse currens.
E. *Contingit omne rationale esse hominem.*

Resolvitur ita:

Omne currens contingenter est homo.
Omne rationale contingenter est currens.
E. *Omne rationale contingenter est homo.*

Apparet hinc, 4. terminos esse in Syllogismo. 1. Currens. 2. Contingenter esse hominem. 3. Rationale. 4. Contingenter esse currens.

Quid est Syllogismus Exponibilis?

Syllogismus Exponibilis est, in quo reperitur propositio exponibilis; h. e. *Exclusiva*, vel *Exceptiva*, vel *Restrictiva*. Atque de propositione *Exclusiva* & *Exceptiva* notandum, ne talis propositio ponatur loco Minoris in prima vel tertia figura, est enim virtualiter negativa. Hinc N. V. C.

O. Animal rationale est bipes.
Solus homo est animal rationale.
E. *Solus homo est bipes.*

Item male concluditur in tertia.

O. Homo est bipes.
Solus homo est animal rationale.
E. *Solum animal rationale est bipes.*

Quid

Quid observandum circa propositionem Restrictivam?

Circa propositionem Restrictivam observandum, ne idem terminus, jam cum, jam, sive restrictione usurpetur; possunt enim hinc oriri plures termini quam tres: Sic, male concluditur:

O. homo est mortalis.
Petrus quoad animam & corpus est homo.
E. *Petrus quoad animam & corpus est mortalis.*

Sunt enim 5. termini in hoc Syllogismo: 1. Homo. 2. Esse mortalem. 3. Petrus. 4. Quoad animam & corpus esse hominem. 5. Quoad animam & corpus esse mortalem.

CAPUT VII.

De Syllogismis Conjunctis.

Quid est Syllogismus Conjunctus?

SYllogismus Conjunctus est, cujus vel una tantum, vel utraque præmissarum, est conjuncta. Dicitur alias Compositus, item Hypotheticus.

Quotuplex est Syllogismus Conjunctus?

Syllogismus Conjunctus est *triplex:* Conditionalis, Copulativus, & Disjunctivus.

Quid est Syllogismus Conditionalis?

Syllogismus Conditionalis seu Hypotheticus proprie dictus est, cujus major, aut utraque præmissarum, est propositio conditionalis. ut:

Si Petrus est homo, est animal.
Sed Petrus est homo.
E. *Petrus est Animal.*

Item:

Si Petrus est Animal, est substantia.
Sed si Petrus est homo, est animal.
E. *Si Petrus est homo, est substantia.*

Quot sunt Modi Syllogismi Conditionalis?

Syllogismi Conditionalis Modi sunt duo: *Vnus est*, in quo posito antecedente, ponitur consequens: ejusque formula vulgaris est: *Sed verum est prius.* E. *& posterius.* ut:

Si hoc simulacrum est lapideum, est durum.
Sed verum est prius.
E. *Et posterius.*

Alter modus est, in quo, remoto consequente, removetur antecedens: ejusque formula vulgaris est: *Sed consequens est absurdum.* E. *& antecedens.* ut:

Si lapis est homo, est animal.
Sed consequens est absurdum.
E. *Et antecedens.*

Quid significat hic Ponere, & Removere?

Ponere, significat, propositionem aliquam simplicem, sive sit affirmativa sive negativa, quæ erat in connexo, approbare tanquam veram. *Removere* autem significat, illam propositionem improbare tanquam falsam, seu illi contradicere.

Quomodo reducuntur Syllogismi Conditionales?

Syllogismi Conditionales *modi primi*, sic reducuntur ad primam Figuram:

Quicquid est simulacrum lapideum, est durum.
Hoc est simulacrum lapideum.
E. *Hoc est durum.*

Syllo-

Syllogiſmi Conditionales *modi ſecundi*, ſic reducuntur ad ſecundam Figuram:

Quicquid eſt homo, illud eſt animal.
Lapis non eſt animal.
E. *Lapis non eſt homo.*

Quæ notandæ ſunt Regulæ de Syllogiſmo Conditionali?

De Syllogiſmo Conditionali notandæ ſunt Regulæ tres:

Prima eſt: *A Remotione Antecedentis, ad Remotionem Conſequentis, non valet conſequentia.* Non enim ſequitur:

Si leo eſt homo, eſt animal.
Sed non eſt homo.
E. *Non eſt animal.*

Ratio eſt, quia Syllogiſmus hujusmodi ad ſimplicem reductus, concludit ex minore negante in prima Figura.

Altera Regula eſt: *A poſitione conſequentis, ad poſitionem antecedentis, N. V. C.* Non enim ſequitur:

Si leo eſt homo, eſt animal.
Sed eſt animal.
E. *Eſt homo.*

Ratio eſt: Quia Syllogiſmus hujusmodi, ad ſimplicem reductus, concludit ex puris affirmantibus in ſecunda Figura. Quid, quod licet tales Syllogiſmi ad ſimplicium formam non redigantur, manifeſte tamen ex veris falſum inferunt.

Tertia Regula est: *Propositio major in Syllogismo conditionali semper debet esse affirmans.*

Quid est Syllogismus Copulativus?

Syllogismus Copulativus est, qui propositionem majorem habet copulativam: ut:

Non & est homo, & est equus.
Sed est homo.
E. *Non est equus.*

Atque est Syllogismi Copulativi *modus tantum unicus*, qui concludit a positione unius, ad remotionem reliqui, ceu fit in exemplo allato.

Quæ notandæ sunt Regulæ de Syllogismo Copulativo?

De Syllogismo Copulativo notandæ sunt Regulæ duæ. Vna est: *Propositio major in Syllogismo Copulativo debet esse negans.* Non enim sequitur:

Et est homo, & est doctus.
Sed est homo.
E. *Est doctus.*

Altera Regula est: *A remotione unius, ad positionem reliqui N. V. C.* Non enim sequitur:

Non & est homo, & est equus.
Sed non est equus.
E. *Est homo.*

Quomodo reducitur Syllogismus Copulativus?

Syllogismus Copulativus, qualis est hic:

Non & Petrus est homo, & est leo.
Sed Petrus est homo.
E. *Petrus non est leo.*

Sic

Sic reducitur:

Quicquid est homo, non est leo.
Petrus est homo.
E. *Petrus non est leo.*

Quid est Syllogismus Disjunctivus?

Syllogismus Disjunctivus est, qui habet majorem propositionem disjunctivam. ut:

Aut Socrates est sanus, aut est æger.
Sed est sanus.
E. *Non est æger.*

Quot sunt Modi Syllogismi Disjunctivi?

Syllogismi Disjunctivi Modi sunt *duo: Primus est*, qui concludit a positione unius, ad destructionem reliqui; ceu fit in exemplo allato. *Alter Modus est*, qui concludit a remotione unius, ad positionem reliqui. ut:

Aut Socrates est sanus, aut est æger.
Sed non est æger.
E. *Est sanus.*

Quæ notanda est Regula de Syllogismo Disjunctivo?

De Syllogismo Disjunctivo hæc notanda est Regula: *Propositio Major in Syllogismo Disjunctivo debet esse omnibus partibus affirmata:* secus fraus paratur. Hinc non sequitur:

Aut asinus est animal, aut non est homo.
Sed asinus est animal.
E. *Est homo.*

Quo-

Quomodo reducuntur Syllogiſmi? Disjunctivi?

Syllogiſmus Disjunctivus *primi modi*, ſupra allatus, ſic reducitur:

Quicquid eſt ſanum, non eſt ægrum.
Socrates eſt ſanus.
E. *Socrates non eſt æger.*

Syllogiſmus Disjunctivus *ſecundi modi* ſupra allatus, ſic reducitur:

Quicunq; (homo) non eſt æger, eſt ſanus.
Socrates non eſt æger.
E. *Socrates eſt ſanus.*

CAPUT VIII.

De Argumentationibus Imperfectis.

Quot ſunt Argumentationes Imperfectæ?

ARgumentationes Imperfectæ ſunt *quinque:* Enthymema, Dilemma, Inductio, Exemplum, & Sorites.

Quid eſt Enthymema?

Enthymema eſt argumentatio, in qua ex una tantum propoſitione aliquid concluditur, altera ſuppreſſa. Sive, eſt Syllogiſmus imperfectus, cui una præmiſſarum deeſt. ut:

Superbia eſt peccatum.
E. *Superbia eſt fugienda.*

Aut:

O. peccatum eſt fugiendum.
E. *Et Superbia eſt fugienda.*

Quomodo cognosci potest, utra Præmissarum desit?

Si Subjectum conclusionis, seu minor terminus, non appareat in priore propositione, seu in antecedente, deest Minor propositio. Si prædicatum conclusionis, seu major terminus, appareat in antecedente, deest Major propositio.

Quomodo reducitur Enthymema ad Syllogismum?

Enthymema reducitur ad Syllogismum, additione illius præmissæ, quæ deest.

Quid est Dilemma?

Dilemma est argumentatio bifurcata, qua duplici quæstione adversarium constringimus. ut, quando Christus contra militem se percutientem sic argumentatur;

Aut bene, aut male locutus sum:
Si male, ostendendum est.
Si bene, quare me verberas?

Quomodo Dilemma fit Syllogismus?

Dilemma sic fit Syllogismus:

Si verberandus sum, ideo verberabor, vel quia bene, vel quia male sum locutus.
Sed nec quia bene, nec quia male sum locutus.
E. *Non sum verberandus.*

Quid notandum de Dilemmate?

In Dilemmate adduci debent contraria immediata. Hinc vitiosum est sequens Dilemma: *Aut pulchram duces uxorem, aut deformem. Si pulchram, habebis κοινὴν. Si turpem, habebis ποινὴν*: Vxor enim pulchra & de-

& deformis contraria immediata non sunt, sed inter eas intercedit ea, quæ est formæ modicæ & modestæ. *Amplius:* Dilemma reciprocum, sive, quod in adversarium retorqueri potest, est vitiosum. Tale est illud Eunomianorum:

Pater vel nolens Filium genuit, vel volens:
Si nolens, vis ei illata est: at quis ei vim intulit?
Et quomodo is, cui vis illata est, Deus esse potest?
Si volens, voluntatis est filius, non naturæ.

Hoc Dilemma Nazianzenus ita retorsit:

Tu, Eunomiane, aut patre procreatus es volente, aut nolente.
Si ex nolente, vis ei illata est: at quis ei vim intulit?
Si ex volente, periit tibi pater, voluntatis siquidem es filius.

Quid est Inductio?

Inductio est argumentatio, quæ ex enumeratione singularium, colligit universale. ut:

Petrus est risibilis.
Paulus est risibilis.
Johannes est risibilis.
Nec potest dissimile exemplum dari ullius hominis, qui non sit risibilis.
E. *Omnis homo est risibilis.*

Quomodo Inductio fit Syllogismus?

Inductio sic fit Syllogismus:

O. Qui est Petrus, vel Paulus, vel Johannes &c. est risibilis.
O. Homo est vel Petrus, vel, Paulus, vel Johannes &c.
E. *O. Homo est risibilis.*

Quid

Quid est Exemplum?

Exemplum, est ab uno singulari ad aliud, propter similitudinem aliquam, collectio. ut: *Absalom male periit.* E. *Hic rebellis patri filius male peribit.* *Imperium Græcorum delatum est ad Turcas.* E. *Et Latinum Imperium ad eos deferri potest.*

Quomodo Exemplum fit Syllogismus?

Exemplum fit Syllogismus, si singulare non tam ex alio singulari præcise, quam ex eo, quod ipsum commune cum aliis habet, probetur. Sic Latinum Imperium non necessario ad Infideles devolvitur, quia ad eos Græcum devenit: nec enim, quod uni regno evenit, idem alteri etiam necesse est accidere. Veruntamen, si causam occasus Imperii Græci assumas, & de Latino eandem ponas, valida fit argumentatio. Id autem ut fiat, primo dicendum: *Imperium Græcum propter dissidia & peccata ad Turcam devenit.* E. *Omne Imperium ad infideles hoc modo tandem devolvi potest.* Vnde postmodum argumentari licet:

Omne Imperium Christianum, quod dissidet & peccatis obruitur, ad infideles tandem devolvitur.
Latinum Imperium est tale.
E. *Latinum Imperium ad Infideles tandem devolvetur.*

Quid est Sorites?

Sorites, est argumentatio, in qua, continua serie multarum propositionum, de prædicato præcedentis propositionis, semper dicitur novum prædicatum, donec ultimum prædicatum dicatur de primo subjecto, ut:

Omnis

Omnis Avarus est idololatra.
O. Idololatra mortaliter peccat.
O. Qui mortaliter peccat, damnatur.
E. *O. Avarus damnatur.*

Quomodo Sorites fit Syllogismus?

Sorites, quia ex plurium Syllogismorum confusione constat, ideo in plures perfectos resolvi debet; atque sunt tot in Sorite potentia Syllogismi, quot sunt præmissæ, unica excepta. Ita in exemplo allato tres occurrunt præmissæ: duo ergo eruuntur Syllogismi, hoc modo:

O. *Idololatra mortaliter peccat.*
O. *Avarus est idololatra.*
E. O. *Avarus mortaliter peccat.*

O. *Qui mortaliter peccat, damnatur.*
O. *Idololatra mortaliter peccat.*
E. O. *Idololatra damnatur.*

LIBER QVARTVS.

CAPVT I.

De Demonstratione.

Quid est Demonstratio?

DEmonstratio est Syllogismus, qui constat ex veris, primis & immediatis, notioribus & prioribus, ac causis conclusionis. Sive: Demonstratio est Syllogismus pariens scientiam

Quid est Scientia?

Scientia, est cognitio rei per causam, propter quam res est, quæ illius causa sit, quodque res illa aliter se habere non possit.

Quæ

Quæ ſunt Partes Demonſtrationis?

Partes Demonſtrationis ſunt *tres* : Subjectum, Proprietas, & Cauſa. *Subjectum*, eſt res, de qua aliquid demonſtratur. *Proprietas* eſt, quæ oſtenditur eſſe in ſubjecto. *Cauſa* eſt, per quam proprietas in ſubjecto eſſe oſtenditur. Atque ſubjectum fit in Demonſtratione Minus extremum: Proprietas, Majus: Cauſa vero Medium. ut: ſi ita colligas.

O. *Rationale eſt capax doctrinæ.*
O. *Homo eſt rationalis.*
E. O. *Homo eſt capax doctrinæ.*

Subjectum, nempe *Homo*, cui capacitas doctrinæ ineſſe oſtenditur, eſt minus extremum: Proprietas, nempe *capacitas doctrinæ*, quæ oſtenditur eſſe in homine, eſt majus extremum; Cauſa, nempe ratio, ſeu *eſſe rationale*, per quam capacitas doctrinæ homini ineſſe oſtenditur, eſt medium.

Quænam ſunt Notæ Propoſitionum ad demonſtrationem idonearum?

Notæ Propoſitionum ad demonſtrationem idonearum ſunt *tres*: Prima eſt, ut ſint de Omni. Secunda, ut ſint per ſe; & tertia, ut ſint Vniverſaliter primæ.

Quæ Propoſitio eſt de Omni?

De Omni ſeu κατὰ παντὸς dicitur Propoſitio, quando prædicatum competit ſubjecto omni & ſemper: ac proinde non requiritur univerſalitas tantum ſubjecti, ſed etiam temporis. Sic prædicatur *de Cygno albedo; de Homine riſibilitas.*

Quot modis dicitur aliquid Per se?

Per se, Græce καθ' αὐτὸ, dicitur aliquid in universum quatuor modis:

Primo Per se dicitur, quod est rei Genus aut Differentia; sive Genus & Differentia remota sit, sive proxima. Sic *homo per se est animal*, item *corpus vivens*; illud enim genus proximum, hoc remotum est. *Per se item competit homini, ut sit rationalis*: item, *ut sentiat*: Ratio enim, differentia ejus proxima est, qua distinguitur a brutis; sentire, remota, qua a plantis differt.

Secundo dicitur Per se, quod rei est proprium; sicut *risibilitas dicitur de homine: hinnire de equo.*

Tertio dicitur Per se, quod per se subsistit, sicut *Substantia respectu Accidentis*: quod tamen huc non pertinet.

Quarto dicitur Per se, quorum unum necessario est propter alterum: ut Effectus propter Causam: itaque in hoc modo dicendi per se, subjectum & prædicatum, ut causa proxima & effectus ejus, cohærent. Sic, *per se est, eum, cui jugulum confossum est, mori.*

Quid est Universaliter Primum?

Universaliter Primum, Græce καθόλου πρῶτον, dicitur, cum non tantum rei omni & per se aliquid inest, sed etiam quatenus illa talis est: uti facultas numerandi, ridendi, discendi artes liberales, inest homini. *Omnis enim homo per se, & quatenus homo est, est facultatibus illis præditus.*

Quotupliciter dicitur aliquid Primum?

Primum aliquid dicitur dupliciter: *Primo*, ut primum sive proximum & immediatum subjectum, in quo

quo res est: Hoc modo *facultates* prædictæ sunt in homine, ut primo talium subjecto: nec enim alia res facultates illas habet; nec homo per aliud, sed per seipsum illis pollet. *Secundo* aliquid primum dicitur, ut prima seu proxima & immediata causa, a qua res est, uti eædem facultates conveniunt ipsi animæ rationali, ut primæ earum causæ: a ratione enim id est, quod homo ista omnia potest. Hinc propositio illa: *Omnis homo est risibilis*: est prima, primitate subjecti: hæc vero: *Omne rationale est risibile*: est prima primitate causæ.

Tales igitur esse propositiones oportet, ex quibus aliquid demonstratur, id est certa & evidens rei notitia hauritur: nam, ea demum, quæ rei omni, semper, per se, & primo insunt, tam essentialia ei sunt, ut ex iis ipsa rei natura clare & evidenter innotescat, cum quæ contra se habent, nec essentiam ejus attingunt, aut necessario cum ea non cohærent, claram & evidentem notitiam gignere non possint.

Quotuplex est Demonstratio?

Demonstratio duplex est: διότι, seu *Propter quid*, & ὅτι, seu *Quod*, vel, ut barbare vocant, *Quia*. His aliqui addunt *Demonstrationem per Impossibile*.

Quid est Demonstratio διότι?

Demonstratio διότι, seu *Propter quid*, item *Ostensiva* est, in qua proceditur a causa propter quam ad effectum; sive, in qua proprietas de subjecto per causam demonstratur. Atque hæc proprie & κατ᾽ ἐξοχὴν dicitur Demonstratio, quia proprie & proxime scientiam gignit, cum, quare, seu propter quid res sit, ostendat. ut:

O. Rationale est risibile.
O. Homo est rationalis.
E. *O. Homo est risibilis.*

Quid est Demonstratio ὅτι?

Demonstratio ὅτι, seu *Quod*, appellatur, quæ ex effectu causam demonstrat: ut, si ita colligas:

O. Risibile est rationale,
O. Homo est risibilis,
E. *O. Homo est rationalis.*

Hic causa, nempe *Ratio*, ostenditur inesse homini ex *risibilitate*, quæ ejus effectus est. Est quoque Demonstratio ὅτι, quæ ex negatione causæ remotæ, ostendit non esse effectum. Vti, si inferas hoc modo:

Quicquid non vivit, non sentit.
Lapis non vivit.
E. *Lapis non sentit.*

Hic, ex negatione vitæ, quæ causa remota est sensus, de lapide ostenditur, ejus effectum, nempe sensum, eidem non inesse,

Quid est Demonstratio per Impossibile?

Demonstratio per Impossibile est, qua probatur aliquid verum esse propterea, quia alias sequeretur absurdum. Hoc Demonstrationis genus longe universalius est priori: quippe per quod non solum Conclusiones, sed ipsa etiam principia probantur, propterea, quod nisi quis principia concesserit, cogatur aliquod impossibile admittere. Vt, si quis contra negantem hanc propositionem: *Homo est rationalis*, quæ principium est, per quod demonstratur hominem esse risibilem, veritatem ejus ita probet:

Si homo non est rationalis, non est homo.
Sed homo non est rationalis, secundum adversarium.
E. *Homo non est homo.*
At, absurdum est, hominem non esse hominem:
E. *Absurdum etiam est, eum non esse rationalem.*

CAPUT II.

De Definitione.

Quid est Definitio?

DEfinitio est oratio, alicujus rei naturam explicans: ut *animal rationale* respectu hominis. Ei respondet *Definitum.*

Quid est Definitum?

Definitum est, cujus natura explicatur: ut *Homo respectu animalis rationalis.*

Quotuplex est Definitio?

Definitio duplex est: Una Nominis, altera Rei.

Quid est Definitio Nominis?

Definitio Nominis est, quæ alicujus vocis significationem exponit. Ut, si dicas: *Dialectica est nomen, significans artem bene disserendi.*

Quid est Definitio Rei?

Definitio Rei est, quæ rei, per nomen significatæ, naturam explicat. Uti si dicas: *Homo est animal rationale.*

Quid est Definitio Essentialis?

Definitio Essentialis est, quæ datur per sola essentialia definiti: sive, quæ datur per genus & differentiam specificam: ut, *Homo est animal rationale.*

Quid est Definitio Causalis?

Definitio Causalis est, quæ datur per genus & differentiam a causa efficiente desumtam: uti si dicas: *Eclipsis lunaris est defectus luminis, ob interpositionem terræ inter Solem & Lunam.* Atque Definitiones, quæ dantur per genus & differentiam, tum a subjecto, tum a causa efficiente depromtam, vocantur perfectæ.

Quid est Descriptio?

Descriptio est, quæ datur per aliquid, quod non est essentiale descripto. Vt si dicas: *Homo est animal, creatum ad fruendum æterna beatitudine.* Vel: *Homo est animal implume, bipes, terrestre.*

Quæ sunt Leges bonæ Definitionis?

Leges bonæ Definitionis sunt tres potissimum:

Prima est: *Definitio debet confici ex notioribus.* Cum enim rei naturam explicare debeat, omnis autem explicatio per aliquid notius fiat, bona definitio non erit, quæ definitum, quod obscurum erat, per æque obscurum, aut obscurius, explicare conatur.

Secunda est: *Definitio debet esse convertibilis cum suo definito.* Seu, *Definitio & Definitum debent esse termini convertibiles.*

Tertia est: *In Definitione nihil desit, aut redundet.* Hinc male quis definiret hominem: *Homo est substantia rationalis:* vel, *Homo est animal rationale, risibile.* Quia in priori desunt prædicata essentialia; *corporea, animata, sensitiva:* in posteriori redundat τὸ *risibile*, cum differentia specifica, τὸ rationale, in ea ponatur.

CA-

CAPVT III.
De Divisione.

Quid est Divisio?

DIvisio, est oratio, totum in suas partes distribuens: ut, hominis alia pars est corpus, alia anima. Totum, alio nomine appellatur *Divisum*. Partes, *Membra dividentia*, item *Membra divisionis*.

Quotuplex est Divisio?

Divisio duplex est: Nominis, & Rei.

Quid est Divisio Nominis?

Divisio Nominis est, qua distinguitur multiplex significatio termini æquivoci. Vt, si dicas: *Nomen Canis* aliquando significat animal latrans, aliquando sidus cœleste, aliquando piscem.

Quid est Divisio Rei?

Divisio Rei est, qua res aliqua, vel terminus univocus, in suas partes dividitur.

Quotuplex est Divisio Rei?

Divisio Rei est Triplex, nempe Totius Integralis, Essentialis, & Vniversalis.

Quid est Divisio Totius Integralis?

Divisio totius Integralis est, qua totum integrale dividitur in partes integrantes, i. e. in partes, quæ sua quantitate totius quantitatem constituunt. Vti si dicas: *Hominis alia pars est caput, alia brachia, alia venter, alia pedes.*

Quid est Divisio Totius Essentialis?

Divisio totius Essentialis est, qua totum essentiale dividitur in partes sibi essentiales. Vt: *Hominis alia pars Animal est, alia Rationale.*

Quid est Divisio Totius Universalis?

Divisio Totius Universalis est, qua totum universale dividitur in partes subjectivas, seu eas, quæ in ipso non actu, sed potestate tantum continentur: ut, *Animalium aliud homo est, aliud brutum. Hominum alius est Petrus, alius Paulus.*

Quæ sunt Leges bonæ Divisionis?

Leges bonæ Divisionis sunt *quatuor* potissimum; Prima est: *Divisum debet plus continere, quam singula membra dividentia.*

Secunda est: *Membra Divisionis debent esse opposita, si non re, tamen ratione.* Hinc non valet, si dicas: *Animal est vel homo, vel brutum, vel canis.* Canis enim & brutum non sunt membra opposita.

Tertia est: *Divisum debet adæquari membris dividentibus simul sumtis.*

Quarta est: *Divisio debet fieri in partes immediatas, tum inter se, tum respectu divisi;* nisi tamen partes immediatæ nobis sint ignotæ: tunc enim totum in partes remotiores dividere cogimur.

CAPUT IV.

De Methodo.

Quid est Methodus?

M*Ethodus*, est animi judicium, apte riteque ordinantis ea omnia, quæ ad universam aliquam scientiam pertinent, ex quo totius illius scientiæ ordo nascitur.

Quotuplex est Methodus?

Methodus est *quadruplex*: Resolutiva sive Analytica; Compositiva sive Synthetica; Definitiva; itemque Geometrica.

Quid est Methodus Resolutiva sive Analytica?

Methodus Resolutiva sive Analytica est, cum a toto integrali ad partes integrantes, a toto universali, ad partes subjectivas, a conclusione, ad ipsius principia, a fine ad media progredimur.

Quid est Methodus Compositiva sive Synthetica?

Methodus Compositiva sive Synthetica est, cum a partibus ad totum, a specialissimis per subalterna ad generalissima, a primis principiis per interjecta, ad ultimas conclusiones, a mediis ad finem progredimur.

Quid est Methodus Definitiva?

Methodus Definitiva, est partim ex analytica, partim ex synthetica composita, & servatur, cum res in genere primo definitur, deinde explicatis per definitionem rei proprietatibus, in suas partes dividitur & explicatur.

Quid est Methodus Geometrica?

In Methodo Geometrica, primo omnium voces aut *termini*, in quibus est aliqua ambiguitas, definiuntur, doceturq; quo sensu eos accipere conveniat. Deinde proponuntur *Axiomata*, Hypotheses, sive Propositiones aut Postulata, apta, ut ex iis Conclusiones efformentur. Denique ipsæ *Conclusiones* ex datis Definitionibus ac Propositionibus eliciuntur. Atque

hæc Methodus in tribus operationibus mentis fundamentum habet, ac proinde tradendis artibus & disciplinis valde est accommodata.

Quid notandum de Methodo?

In quavis methodo procedendum est a notis ad ignotiora, & a facilioribus ad difficiliora.

LIBER QVINTVS.

CAPVT I.

De Syllogismo Topico.

Quid est Syllogismus Topicus?

S*Yllogismus Topicus* est, qui ex principiis communibus est conflatus, nec accuratam rei cognitionem & scientiam, sed confusam tantum notitiam gignit: unde etiam opinionem pro fine habere vulgo dicitur. Atque solet alioqui syllogismus Topicus, etiam *Dialecticus* appellari; sicut & doctrina, quæ de eo tractat, *Dialectica* vocatur, pressius nonnihil accepto vocabulo, quam fit, cum totam Logicam denotat.

Unde desumuntur illa Principia communia?

Principia communia desumuntur *ex Locis sive Sedibus Argumentorum*, suntque propositiones probabiles, communi hominum opinione, cum quibus disputamus, receptæ.

Quid est Locus Topicus?

Locus Topicus, est sedes regularum, certam inter se cognationem habentium.

CAPUT II.

De Ente & Essentia.

Quomodo argumentamur ab Ente & Essentia?

AB Ente & Essentia sic argumentamur:

1. *Omne quod est, necesse est esse*; necessitate scilicet hypothetica seu immutabilitatis, ex suppositione. Factum enim infectum fieri nequit, & implicat, aliquid fuisse præteritum, & tamen non extitisse.

2. *Non entis* (actu non existentis,) *nulla sunt prædicata*, extrinsece denominantia a sensibus externis.) Sic Rosa nondum existens, neque tangi neque videri potest.

3. *Essentiæ rerum sunt æternæ.* Intellige, ratione prædicationis, seu æternitate Logica; non vero ratione existentiæ, & durationis, seu æternitate physica.

4. *Non entis* (id est Falsi,) *nulla est scientia*, (scilicet positiva.)

CAPUT III.

De Loco Definitionis & Prædicabilium.

Quomodo argumentamur a Definitione?

A Definitione sic argumentamur:

1. *De quocunque affirmatur definitio, de eodem affirmatur definitum: & contra, de quocunque affirmatur definitum, de eodem affirmatur*

tur & definitio. Sic, quod eſt animal rationale, id eſt homo : & rurſus, quicquid eſt homo, eſt animal rationale.

2. *De quocunq; negatur definitio, de eodem negatur etiam definitum; & contra, de quocunq; negatur definitum, de eodem negatur & definitio.* Sic, qui negat, equum eſſe animal rationale, oportet ut neget, eundem eſſe hominem. Et rurſus, quod negamus hominem eſſe, idem negare etiam debemus eſſe animal rationale.

3. *Definitio* (quantum fieri poteſt) *non ſit obſcura, debetq; confici ex iis, quæ ſunt priora & notiora.* Cum enim clarior eſſe debeat definito, talis eſſe non poſſet, niſi ſit notior.

4. *Vnius rei eſt unica definitio* (eſſentialis, & quoad eſſentialem conceptum.) Vna enim res unam tantum habet eſſentiam, unum tantum genus, & unam tantum differentiam.

5. *Definitum non debet* (ſive expreſſe, ſive implicite) *ingredi Definitionem.* Si enim ingrederetur ſui definitionem, idem eſſet clarius & prius ſeipſo; quod eſt abſurdum.

6. *Omnis Definitio* (Logica) *debet conſtare genere & differentia ſpecifica:* debet enim declarare definiti eſſentiam, quæ conſiſtit in genere, & differentia ſpecifica.

7. *Quicquid affirmatur vel negatur de Definitione* (materialiter ſumta,) *illud etiam affirmatur vel negatur de Definito; & contra.* Sic, Animal rationale eſt riſibile & diſputat: Ergo etiam homo eſt riſibilis, & diſputat. Homo non eſt lapis: Ergo

Ergo nec animal rationale est lapis. At, si *formaliter* accipiatur Definitio vel Definitum, Regula fallit. Non enim sequitur: Animal rationale est definitio hominis; Ergo & Homo est definitio hominis.

CAPUT IV.
De Genere & Specie.

Quomodo argumentamur a Genere?

A Genere sic argumentamur:

1. *Posito Genere, ponitur species aliqua, sed indeterminate tamen:* Vt, Si est Animal, est vel equus, vel leo, vel homo.

2. *Quod de Genere* (materialiter sumto) *dicitur, dicitur de omnibus speciebus.* Vt, si animal est corpus; leo est corpus, lupus est corpus.

3. *Quod negatur de Genere, id negatur etiam de specie.*

4. *Negato Genere, negantur omnes ejus species.* Vt, si non est animal, nec equus est, nec leo,

5. *Genus* (materialiter sumtum) *prædicatur de omnibus speciebus sub se contentis.*

6. *Tota natura Generis* (materialiter sumti) *continetur in qualibet specie.* Vt, Animalis natura est corpus animatum, vivum, sentiens esse; quæ in homine & bruto omnia sunt.

7. *Genus* (ut per se est) *prædicatur de omnibus speciebus æqualiter;* (id est, sine intensione & remissione graduum.)

Quo-

roqui nigredo in ſcriptione, tranſit quidem de penna in chartam; ſed penna non eſt ſubjectum immediatum nigredinis, verum atramenti; quod atramentum, dum ex penna fluit in chartam, nigredinem ſecum trahit comitem.

5. *In Deum non cadit Accidens* (prædicamentale, item intrinſece denominans.) Deus enim eſt Ens ſimpliciſſimum, & omnis compoſitionis realis expers: ergo non poteſt componi ex ſubjecto & accidente. Alia eſt ratio accidentis prædicabilis, & denominationum extrinſecarum. Dicitur enim coli, abnegari; quæ ſunt accidentia extrinſece denominantia. Eſt vero cultus, in colente Deum, abnegatio, in abnegante, citra intrinſecam Dei mutationem.

6. *Quod eſt in uno Accidens* (prædicamentale) *in altero ſubſtantia eſſe non poteſt.* Accidens enim prædicamentale & ſubſtantia, ſunt contradiſtincta prædicamenta. Vnde albedo, tanquam accidens v. ci tabulæ, nunquam poteſt eſſe ſubſtantia.

7. *Duo Accidentia* (abſoluta) *ſolo numero differentia poſſunt eſſe ſimul & ſemel in eodem ſubjecto, & eadem ſubjecti parte.*

8. *Vnum numero Accidens non poteſt eſſe in duobus ſubjectis.* Sic, hæc Albedo in charta, non poteſt ſimul eſſe in lacte.

CAPVT VIII.

De Loco Similium, & Comparatorum.

Quomodo argumentamur a Similibus?

A *Similibus* ſic argumentamur: *Quod de uno ſimilium valet, id valet etiam de altero.*

Quo-

Quomodo argumentamur a Comparatis?

A Comparatis, in quibus major aut minor verisimilitudo attenditur, sic argumentamur:

1. Si id non inest rei, quod magis verisimile erat inesse, non inest etiam illud, quod inesse erat minus verisimile. Vt, Si Petrus literas non novit, multo minus scribere potest.

2. Si id inest rei, quod minus verisimile erat inesse, etiam illud inest, quod inesse erat magis verisimile. Vt, si Petrus scribere potest, multo magis literas novit. Notandum vero, a Majore ad Minus argumentationem esse tantum Negativam: a Minore ad Majus, semper Affirmativam.

3. A Comparativo (in comparatione propria,) *ad positivum, valet consequentia.* Est autem comparatio Propria, cum comparativus importat positivum, cum adverbio *magis*; Impropria, cum comparativus importat oppositum sui positivi, cum adverbio *minus*. Hinc recte dico: Plato est doctior Diogene; Ergo Plato est doctus. At, non licet colligere: Simplex furtum melius est sacrilegio. Ergo est bonum. Sed ita: Ergo simplex furtum minus est malum, quam sacrilegium.

CAPVT IX.

De Toto & Partibus.

Quomodo argumentamur a Toto?

A *Toto*, sic argumentamur:

1. *Poſito Toto Integrali, ponuntur omnes partes neceſſariæ, ſine quibus totum eſſe nequit.* Vt: Domus eſt, E. fundamentum eſt, & parietes, & tectum.

2. *Sublato Toto Integrali, tollitur aliqua pars neceſſaria.* Vt: Domus non eſt: E. fundamentum non eſt; vel, parietes non ſunt.

3. *Poſitis omnibus partibus Integrantibus, apteq; inter ſe cohærentibus, ponitur totum.* Vt: Fundamentum, parietes, & tectum ſunt, apteq; inter ſe cohærent. E. domus eſt.

4. *Sublata aliqua parte integrante neceſſaria, tollitur totum.* Vt: Tectum non eſt: E. Domus non eſt.

5. *Sublata quacunq; parte, non manet totum tale, quale erat ante.* Sic ſublata manu a corpore humano, non manet corpus totum integrum.

CAPVT X.

De Cauſa & Cauſato.

Quomodo argumentamur a natura Cauſæ in communi?

A *Natura Cauſæ in communi* ſic argumentamur:

1. *Poſito Effectu, neceſſe eſt cauſam eſſe, vel fuiſſe.*

2. *Poſita cauſa proxima in actu, ponitur etiam effectus proximus in actu,* (proportionatus, & reſpondens actui ſecundo, ſive influxui cauſæ.) Sic, quando Architectus dormit, & eſt tantum cauſa in

in actu primo, non est effectus, seu domus. Quin, licet etiam causa in actu secundo ponatur, tamen in qualibet actione partiali, totalis effectus dari nequit. Vt, quando Architectus incipit ædificare domum, primo die domus existere non potest.

3. *Posita causa in potentia, effectus quoque tantum in potentia ponitur.*

4. *Negata causa,* (quoad esse absolutum, & quoad actum secundum,) *negatur effectus* (in fieri.) Negata tamen causa quoad esse absolutum seu existentiæ, non est necesse negari effectum jam factum, & contra. Sic, non sequitur: Architectus non amplius existit: Ergo etiam domus, ab ipso fabrefacta, non amplius existit. Nec valet: Domus est combusta: Ergo illius Architectus etiam non amplius superest.

5. *Omnis Causa agit.* Id est, secundum suum causandi modum influit. Agere enim hic non accipitur pro efficientia, seu effective agere, sed pro influxu cuilibet causæ debito.

6. *Nihil est causa sui ipsius:* hoc est, nihil efficienter influit in sui ipsius existentiam; cæteroqui enim idem esset, ac non esset; esset, quia esset causa; non esset, quia nondum productum esset. At, non licet objicere, Deum esse a seipso, ergo eundem esse causam sui ipsius, quia Deus non influxit efficienter in seipsum.

CAPVT XI.

De Causa Efficiente.

Quomodo argumentamur a Causa Efficiente?

A *Causa Efficiente* sic argumentamur:

1. *Nulla causa instrumentalis agere potest, nisi elevata ad id a principali.* Sic malleus non facit horologium, nisi motus manu artificis.

2. *Qualis causa, talis effectus:* Sive: Quicquid prædicatur de causa, (univoca, secundum essentiam & esse absolutum,) illud etiam prædicatur de effectu. Vt, Pater est homo, Ergo etiam filius.

3. *Quicquid est in effectu,* (univoco, quoad essentiam & esse absolutum,) *illud præexistit* (formaliter) *in causa. Quicquid vero est in effectu,* (æquivoco quoad essentiam & esse absolutum,) *præexistit virtualiter in causa.* Vt: Filius, tanquam effectus univocus quoad essentiam, est homo: Ergo & pater formaliter erit homo. Rana est quadrupes: Ergo Sol, tanquam causa ejus æquivoca, habet virtutem producendi animal quadrupes.

4. *Causa causæ, est etiam causa causati.* Si scilicet coinfluat influxu speciali, sive physico sive morali. Nam, si non coinfluit, non potest esse causa; Vnde non valet: Filius est causa proditionis; Pater est causa filii: E. pater est causa proditionis. Opus quoque est influxu speciali. Nam, Deus concurrit ad omnes actiones hominum, nec tamen ullo modo est causa peccati, quia ipsius concursus est tantum generalis; quemadmodum Sol, generaliter concur-

rens

rens ad generationem hominis, causa hominis dici non potest, cum non fuerit illius influxus specificus & determinatus ad generationem hominis potius, quam leonis.

5. *Cujus Causa bona est, illud ipsum bonum est.* Hoc est, quo modo causa, secundum esse causæ, est bona, eo modo quoque causatum, secundum esse causati, bonum est. Sic Deus est bonus: ergo etiam Diabolus, secundum id quod est effectus Dei, est bonus; quatenus enim moraliter est malus, eatenus non est creatura Dei.

6. *Propter quod unum quodq; est tale, illud magis est tale.* Si nimirum Prædicatum utriq; insit, & secundum eundem gradum a causa efficiente fuerit in effectu productum, & intensionem ac remissionem recipiat. Vnde non sequitur: Filius est homo propter patrem, Ergo pater magis est homo. Quia homo non suscipit intensionem & remissionem. Sic non valet semper: Discipulus est doctus propter Præceptorem, ergo Præceptor magis est doctus. Sæpe enim contingit, discipulum doctiorem esse præceptore. Nimirum illi gradus eruditionis, secundum quos discipulus antecellit præceptorem, non sunt producti a præceptore in discipulo, quia præceptor illos non habuit. Causa promovens esse poterat, quia viam monstrare potuit ad id, quod ipse non habebat, non vero producens.

CAPVT XII.

De Fine.

Quomodo argumentamur a causa Finali?

A *Causa Finali*, sic argumentamur:

1. *Qui vult finem efficaciter, vult etiam media,* (per se ad illum finem ordinata.)

2. *Omnis Finis,* (quatenus est finis,) *est bonum quid,* (sive morale, sive Physicum, sive revera, sive apparenter.) Finis enim movet voluntatem, ut ad illum obtinendum moveat causam efficientem. Nihil autem movere voluntatem ad sui consecutionem potest, quam sub ratione boni.

3. *Acquisito fine* (cujus, complete,) *cessat omnis actio,* (ut circa finem acquirendum.)

4. *Finis dat bonitatem, amabilitatem, mensuram & ordinem mediis.*

5. *Finis est primum* (secundum esse cognitum) *in intentione, & ultimum* (secundum esse reale) *in executione.*

6. *Vnius rei plures possunt esse fines* (extrinseci & intermedii.)

7. *Omnis actio fit propter finem:* Deus enim & Natura nihil faciunt frustra.

CAPVT XIII.

De Materia.

Quomodo argumentamur a causa Materiali?

A *Causa Materiali*, sic argumentamur:

1. *Positamateria, ponuntur etiam conditiones materiæ.* Vt, Corpus hominis constat ex materia corruptibili: Ergo est corruptibile.

2. *Quic-*

2. *Quicquid habet materiam, habet etiam formam: & contra.*

3. *Ex non-ente* (negativo, id eſt puro puto nihilo,) *nihil fit,* (per modum generationis & naturaliter.)

CAPVT XIV.

De Forma.

Quomodo argumentamur a causa Formali?

A *Causa Formali*, ſic argumentamur:

1. *Poſita forma* (quacunque, in unione,) *ponitur ipſum formatum,* (tale, quale forma efficiebat.)

2. *Operatio arguit formam.* Vti, ſi ratiocinatur, eſt rationalis.

3. *Quo nobilior eſt operatio, eo nobilior eſt forma.*

4. *Forma dat eſſe* (immediate & præciſe) *rei,* (id eſt, compoſito, ut compoſitum eſt.)

5. *Sublata forma quacunq; tollitur quoq; formatum,* (quale efficiebat illa forma.)

6. *Forma* (ſubſtantialis) *eſt indiviſibilis* (phyſice, id eſt in partes ſubſtantiales phyſicas.) Nam, ſi diviſibilis eſſet forma phyſice in partes ſubſtantiales, diviſibilis eſſet in materiam & formam; quod manifeſto implicat. Vnde non excluditur genus & differentia, in quas dividi poteſt forma, cum illæ partes ſint Logicæ, vel Metaphyſicæ. Per partes ſubſtantiales etiam excluduntur formæ materiales,

quæ divisibiles sunt in partes integrantes. Porro, accidentales formæ in gradus seu partes graduales possunt dividi: ut, aqua calida tot vel tot habet gradus caloris. Ergo calor in suos gradus est divisibilis.

CAPUT XV.

De Disparatis & Oppositis.

Quomodo argumentamur a Disparatis?

A *Disparatis*, sic argumentamur: *De quocunq; affirmatur unum Disparatorum, de eo negatur alterum.* Vt, Petrus est homo, E. Petrus non est leo.

Quomodo argumentamur ab Oppositis in genere?

Ab Oppositis in genere, sic argumentamur: *De quocunq; affirmatur unum oppositorum, de eo negatur alterum.*

Quomodo argumentamur a Relative Oppositis?

A Relative Oppositis, sic argumentamur: *Relativa se mutuo ponunt & tollunt.*

Quomodo argumentamur a Contrariis?

A Contrariis, sic argumentamur:

1. *Cui convenit unum Contrariorum, potest & alterum convenire*, nisi unum natura, id est inseparabiliter, insit.

2. Si

2. *Si de aliquo ſubjecto capaci negatur unum contrariorum immediatorum, de eo affirmatur alterum:* Vt, Johannes non eſt æger, E. eſt ſanus.

3. *Contraria non poſſunt eſſe in eodem ſubjecto*, (ſimul, ſecundum eandem partem, & in gradibus excellentibus.)

Quomodo argumentamur a Privative Oppoſitis?

A privative Oppoſitis, ſic argumentamur:

1. *Si de ſubjecto capaci negatur habitus, de eo affirmatur privatio: vel contra.* Vt, hic homo non poteſt videre, E. eſt cæcus. Et: Hic homo non eſt cæcus, E. poteſt videre.

2. *A privatione,* (tanquam termino corruptionis,) *non datur* (naturaliter) *regreſſus ad habitum* (eundem numero.) At vero, ad eundem ſpecie habitum, datur etiam naturaliter regreſſus: ut a tenebris, ad lucem.

Quomodo argumentamur a Contradictoriis?

A Contradictoriis, ſic argumentamur:

1. *Contradictoria nec ſimul vera, nec ſimul falſa eſſe poſſunt.*

2. *Alterum Contradictoriorum vel affirmatur vel negatur de quolibet.* De quacunq; enim re vera eſt vel affirmatio, vel negatio.

3. *Inter Contradictoria eſt repugnantia infinita.* Vnde nullum omnino admittunt medium, neque Negationis, neque Participationis.

CAPUT XVI.

De Actu & Potentia.

Quomodo argumentamur ab Actu & Potentia?

AB *Actu & Potentia*, sic argumentamur:

1. *A potentia ad actum, sive a posse esse, ad esse, non valet conseqventia*, scilicet affirmative. Non enim sequitur: Rosa in hyeme est potentia ens reale: Ergo est actu ens reale.

2. *Ab actu ad potentiam, sive ab esse, ad posse, valet consequentia.*

3. *Qui potest majus, ille,* (pro tunc, & non impeditus,) *potest etiam minus,* (in majori inclusum.)

4. *Potentia non excedit suum objectum adæquatum sive possibile.* Sic, visus non potest tendere in id quod est invisibile; auditus, non potest percipere id, qnod non est perceptibile.

5. *Frustra est potentia, quæ non traducitur* (i. e. traduci potest) *in actum*, (quantum in se est.) Hoc autem tantum de potentia creata intelligendum.

6. *Cuilibet potentiæ activæ, respondet passiva, & contra.*

7. *Quod transit de potentia ad actum, mutatur.* Hoc est: Quod transit de potentia activa ad actum, fit agens; &, quod transit de potentia passiva ad actum, fit patiens.

CAPUT XVII.
De Abstracto & Concreto.

Quomodo argumentamur ab Abstracto & Concreto?

AB *Abstracto & Concreto*, sic argumentamur:

1. *Si Abstractum prædicatur de Abstracto, etiam Concretum prædicatur de Concreto.* Vt: Physica est scientia. E. Physicus est sciens. Albedo est color. E, album est coloratum.

2. *Cui inest Abstractum, de eo prædicatur quoque ipsum Concretum.* Vt, Homini inest doctrina, E. vocatur doctus.

3. *De quo prædicatur Concretum* (intrinsece denominans,) *ei inest quoque Abstractum.* Vt, quia de Lacte prædicatur, esse album, esse dulce; ei quoque inest albedo, dulcedo.

CAPUT XVIII.
De Loco Antecedentis & Consequentis, Conjugatorum & Casuum, itemq; Autoritatis.

Quomodo argumentamur ab Antecedente & Consequente?

AB *Antecedente & Consequente*, sic argumentamur:

1. *Posito consequente, ponitur antecedens.* Vt: Si est Senex, fuit juvenis.

2. *Remoto antecedente, removetur consequens.* Vt: Si non fuit juvenis, non est senex.

Quomodo argumentamur a Conjugatis & Casibus?

Conjugata & Casus vocantur vocabula, quorum eadem est origo: Vt amor, amare, amicus, amicitia. Vnde talis resultat Maxima: ***De quo dicitur, vel negatur, unum Conjugatorum, de eo dicitur quoque vel negatur alterum.*** Sic, Petrus amat, E. in eo est amor. Est amicus, E. in eo est amicitia.

Quomodo argumentamur ab Autoritate?

Autoritas duplex est: Divina & Humana. *Autoritas Divina* infallibile nobis præbet argumentum. Vnde primum Theologiæ principium complexum est: ***Quicquid Sacra Scriptura, quæ Dei verbum est, dicit, id verum est.*** *Autoritas* contra *humana* infirmum nobis suppeditat argumentum, quodque solo hoc nititur fundamento: ***Optimis artium Magistris concedendum esse.*** Sive, ut vulgo efferunt: Vnicuiq; artifici in sua arte esse credendum.

CAPVT XIX.

De Actione & Passione.

Quomodo argumentamur ab Actione & Passione?

AB *Actione & Passione*, sic argumentamur:

1. Nihil agit in seipsum, (respectu ejusdem, actione univoca & corruptiva.) Hoc est: Nulla potentia, simul est activa & receptiva ejusdem operationis, respectu ejusdem, & quatenus est talis. Dicitur, *respectu ejusdem.* Nam, diverso respectu, idem simul

ſimul agens & patiens eſſe poteſt. Vt αὐτόχειρ eſt agens, quatenus ſeipſum vita privat, & patiens, quatenus vita privatur a ſeipſo: ſed non eodem reſpectu. Quatenus *privat*, non eſt patiens, ſed ſolum agens: quatenus *privatur*, non eſt agens, ſed ſolum patiens. Eadem eſt ratio actionum immanentium.

2. *Actiones* (theoriæ oppoſitæ, & prout ſunt in rerum natura) *ſunt ſingularium*, (ut principii, a quo oriuntur, ſubjecti, in quo recipiuntur, termini, qui per eas producuntur.) Nempe, ſola ſingularia exiſtunt: ſola autem exiſtentia, actionis & paſſionis capacia ſunt.

3. *Actiones ſunt Suppoſitorum* (tanquam ultimate ab iis denominatorum, & ut principii quod.) Sive: Actiones Suppoſiti totum ſuppoſitum denominant. Per Suppoſitum intelligitur ſubſtantia ſingularis, completa & incommunicabilis. Quod ſi ſimul ſit intelligens, tunc vocatur Perſona. Vnde Canis eſt ſuppoſitum, non vero eſt perſona. Jam proinde dicimus, *homo texit*, atque ſic totum ſuppoſitum nominatur texens; etſi texere corpori tantum, ut principio quod competit, minime vero animæ.

4. *Agens*, (ut tale,) *eſt nobilius patiente.* Non vero attenditur agens ſecundum ſubſtantiam ſuam, ſed ſecundum hanc formalitatem, quatenus eſt agens. Eadem eſt ratio de patiente. Vnde calor agens in ferrum, ignobilior quidem eſt ferro, ratione entitatis: ferrum ſiquidem ſubſtantia eſt, calor accidens; accidens autem ſemper ignobilius eſt ſubſtantia. Sed, calor, qvatenus eſt agens, nobilior eſt ferro, quatenus eſt patiens: agens enim eſt communicans quod habet;

bet; patiens, est recipiens ejus quod non habet. Communicare autem, & habere, melius est, quam recipere & non habere.

CAPUT XX.

De Divisione & Distributione.

Quomodo argumentamur a Divisione & Distributione?

A *Divisione & Distributione*, sic argumentamur:

1. Divisum & membra dividentia (omnia simul sumta) *debent inter se adæquari, i. e. æque late patere.* Ut, animal æque late patet, ac brutum & homo, simul sumta.

2. Divisum debet plus continere, quam singula membra dividentia, (seorsim sumta.) Sic, animal plus debet continere quam homo; plus item quam brutum.

CAPUT XXI.

De Eodem & Diverso.

Quomodo argumentamur ab Eodem & Diverso?

AB *Eodem & Diverso*, sic argumentamur:

1. Quæ sunt eadem uni tertio (singulari & incommunicabili,) *illa sunt eadem inter se*, respectu ejusdem tertii. Hoc est principium Syllogisticum, & in eo consistit, quod prædicatum Conclusionis ideo possit dici de subjecto, quoniam medium, sive tertium illud, convenit utrique. Neque opponere licet l. 47. §. fin. ff. de R. I. *Socii mei Socius*, *So-*

Socius meus non est: quasi sic non omnia sint eadem inter se, quæ sunt eadem uni tertio, cum Cajus possit esse amicus Seji & Sempronii, ut tamen Sejus & Sempronius sint inimici. Nimirum, dictum est, *respectu ejusdem tertii*: ergo, licet Sejus & Sempronius respectu suorummet non conveniant inter se, conveniunt tamem respectu Caji, tanquam tertii, in hoc, ut Sejus sit Caji amicus, & Sempronius etiam sit Caji amicus.

2. ***Talia sunt subjecta, qualia a suis prædicatis esse permittuntur: & contra.*** Veritas enim est conformitas rei, per subjectum & prædicatum significatæ. Jam autem illa conformitas, est identitas, quam habet unum extremum cum altero. Si igitur prædicatum revera competit subjecto, tunc propositio est vera: sin minus, est falsa.

LIBER SEXTVS.

CAPVT I.

De Fallaciis in Dictione.

Quid est Locus Sophisticus?

LOcus Sophisticus, est sedes argumenti Sophistici, sive ejus, quod speciose fallit: unde alio nomine Fallacia dicitur.

Quotuplex est Fallacia?

Fallacia duplex est: In Dictione, & Extra Dictionem.

Quid est Fallacia in Dictione?

Fallacia in Dictione est, quæ latibulum erroris quærit in sermone.

Quod

Quot ſunt Fallaciæ in Dictione?

Fallaciæ in Dictione ſunt ſex: Æquivocationis, Amphiboliæ, Compoſitionis, Diviſionis, Accentus, & Figuræ dictionis.

Quid eſt Fallacia Æquivocationis?

Fallacia Æquivocationis eſt, quæ provenit ex voce æquivoca æquivoce ſumta. Vt:

O. *Gallus eſt avis.*
Q. *Homo eſt Gallus.*
E. Q. *Homo eſt avis.*

Cancer eſt piſcis.
Quidam morbus eſt cancer.
E. *Quidam morbus eſt piſcis.*

Qui ducit fratris uxorem, ille peccat,
Ducens viduam Chriſtiani demortui, ducit fratris uxorem,
E. *Ducens viduam Chriſtiani demortui peccat.*

Quid eſt Fallacia Amphiboliæ?

Fallacia Amphiboliæ eſt, quæ provenit ex integra oratione, vario ſenſu accepta. Vt in illo Oraculi: *Ajo, te Æacida Romanos vincere poſſe.* Ambiguum hîc eſt totum quod dicitur: non tantum enim intelligi poteſt ſic, fore ut Æacides ſeu Pyrrhus, vincat Romanos; ſed ita etiam, futurum ut Romani vincant Pyrrhum. Hujus farinæ eſt:

Sacrum pingue dabo non macrum ſacrificabo.

Hunc verſum ſcitiſſimum, & qui demorſos ſapit unges; Politianus, picturæ, quæ Florentiæ in Dominicanorum Cœnobii periſtylio Abelem & Cainum ſacrifi-

crificantes exhibet, adjecit: atque is, si modo consueto & prono sic legatur:

Sacrum pingue dabo, non macrum sacrificabo:

Hexameter est, & ad Abelem attinet: at vero inversus, hoc modo:

Sacrificabo macrum, non dabo pingue sacrum:

Pentameter evadit, Caino conveniens.

Aliud exemplum:

Si decem mundi sunt facti, non erit unicus tantum mundus,
At decem mundi sunt facti,
E. *Non erit unicus tantum mundus.*

Tale est responsum, quod Alberto Placentiæ Domino, cum hostis immineret, per necromantiam redditum perhibent: *Domine sis securus: inimici tui intrabunt terram tuam, & subjicientur domui tuæ.* Alio sensu significat: *Domi ne sis securus: inimici tui intrabunt terram tuam, & subjicient ur* (quæ vox Chaldæis ignem notat) *domui tuæ.*

Eadem fallacia committitur in sequenti Syllogismo:

Qui sunt ex Deo, verbum Dei audiunt;
Atqui omnes creaturæ sunt ex Deo.
E. *Omnes creaturæ Verbum Dei audiunt.*

Versum:

Mars Veneri fuerat Vulcani nomine junctus:

aliter exponunt Physici, aliter Astronomi, aliter Astrologi, aliter Chymici.

Quid est Fallacia Compositionis?

Fallacia Compositionis est, cum sensu composito accipitur, quod diviso erat intelligendum. Vt, si

quis verba, *Poteſt ſedens ſtare*, ita accipiat, poteſt is, qui ſedet, dum ſedet, ſimul ſtare: nam ſenſus diviſus eſt, & ſic intelligere verba oportet: poteſt is, qui jam ſedet, alio tempore ſtare. Fallacia ſimilis:

O. Animal eſt rationis particeps & rationis expers:
O. Homo eſt animal.
E. *O. Homo eſt rationis particeps & rationis expers.*

Major, vera eſt in ſenſu diviſo; falſa, in ſenſu compoſito.

Quid eſt Fallacia Diviſionis?

Fallacia Diviſionis eſt, cum ſenſu diviſo accipitur, quod compoſito accipiendum erat. Sic, ſi illud: *Duo & tria ſunt quinq;*: ita intelligas, duo eſſe quinque, & tria eſſe quinque ſeparatim: cum ita accipiendum ſit, Duo & tria ſimul ſumta eſſe quinque. Simile exemplum:

Omnes Sapientes Græciæ erant ſeptem:
Thales & Periander erant Sapientes Græciæ:
E. *Thales & Periander erant ſeptem.*

Hîc medius terminus in Majore ſumitur compoſite, & uſurpatur particula *omnis* collective, non diſtributive: in Minore diviſim, quia particula *Omnis* omittitur.

Quid eſt Fallacia Accentus?

Fallacia Accentus eſt, cum ex variatione accentus fucus fit: ut:

Qui lepores venatur, canibus indiget:
Poëta lepores venatur.
E. *Poëta canibus indiget.*

Quod

Quod edis devoras,
Librum edis,
E. *Librum devoras.*

Quid est Fallacia Figuræ Dictionis?

Fallacia Figuræ Dictionis est, cum phrasis vel ratio loquendi non recte percipitur: Sive, quæ provenit ex vocum diversarum similitudine. ut: *Pons est generis masculini; ergo & Frons. Docere actionem significat, ergo & Valere.*

Equus est species,
Bucephalus est equus,
E. *Bucephalus est species.*

Mus rodit caseum,
Mus est syllaba,
E. *Syllaba rodit caseum.*

CAPUT II.

De Fallaciis extra Dictionem.

Quid est Fallacia extra dictionem?

Fallacia Extra Dictionem est, quæ latibulum erroris quærit in re.

Quot sunt Fallaciæ extra Dictionem?

Fallaciæ extra Dictionem sunt Septem: Accidentis, Dicti secundum quid & dicti simpliciter, Ignorationis elenchi, Consequentis, Petitionis principii, Non causæ, Plurium interrogationum.

Quid est Fallacia Accidentis?

Fallacia Accidentis est, cum id rei per se tribuitur, quod per accidens tantum ei convenit. Ut, si ita colligas:

Quicquid homines insanos reddit, malum est.
Vinum homines insanos reddit.
E. *Vinum malum est.*

Scientia inflat: Ergo est mala. Febris cogit hominem temperanter vivere: Ergo est appetenda.

Quid est Fallacia Dicti secundum quid & dicti simpliciter?

Fallacia Dicti secundum quid & dicti simpliciter est, cum id, quod secundum quid rei tribuitur, de ea accipitur simpliciter. Sic recte dicitur *Æthiops esse albus*, intelligendo id de dentibus ejus: At non tamen id ad totum Æthiopem extendi potest.

Christianis omnia licent: Ergo iis licet impune peccare. Christus jubet, ne simus soliciti de crastino. Ergo nulla solicitudo est necessaria.

Quicquid non urit, non est verus ignis.
Ignis in fornace Babylonica non ussit.
E. *Ignis in fornace Babylonica non fuit verus ignis.*

Quid est Fallacia Ignorationis Elenchi?

Fallacia Ignorationis Elenchi est, cum non recte intelligitur quod in quæstione est. Vt, si quis dicat: *Cave, ne te vinum decipiat*; & tu intelligas: *Cave, ne vinum bibas.*

Nimirum, contradictio debet fieri secundum idem, ad idem, similiter, seu eodem modo, & eodem tempore.

Quid est Fallacia Petitionis Principii?

Fallacia Petitionis Principii est, cum id loco probationis sumitur, quod in quæstione, vel saltem æque dubium erat, atque id, de quo quæritur. Vt, si quis *animam*

mam hominis immortalem esse, probare velit eo argumento, quod non intereat cum corpore.

Veteres disputabant per quæstiones. Hinc dicebatur petere id quod est in principio, ille, qui quæstionem in principio disputationis ad disputandum propositam, sumebat ceu certam, & ut concederetur petebat.

Quid est Fallacia Consequentis?

Fallacia Consequentis est, si consecutionem reciprocam esse putes, quæ non est. Causa itaque deceptionis est, quod putamus, si unum sequitur ad alterum, tum vicissim hoc ad illud sequi, consecutione reciproca. Breviter: Fallacia consequentis est, si, quia posito antecedente, necessario ponitur consequens, ideo putet quis, etiam vicissim, posito consequente, poni antecedens. Vt, si dicas: *Si pluit, terra est madida. Ergo, si madida est, pluit.* Etsi enim, quando pluit, terra madida est, non tamen statim, si madida est, pluit: cum possit alia de causa ipsa madere.

Omne Vinum est calidum. E. quicquid non est calidum, non est Vinum.

Quid est Fallacia non Causæ ut Causæ:

Fallacia non Causæ ut causæ est, cum pro causa alicujus rei ponitur id, quod ejus causa non est. Vt, *si quis pecuniam causam esse existimet, ut homines ei inhiantes justitiam violent.* Aut, si quis ita argumentetur: *Baculus stat in angulo: Ergo cras pluet. Ancilla edit caseum: Ergo servus bibet vinum.*

Quid est Fallacia Plurium Interrogationum?

Fallacia Plurium Interrogationum eſt , cum ad plures interrogationes una petitur reſponſio , ac ſi eſſet una interrogatio. Vt, ſi quærat Sophiſta : *Sitne Socrates homo & equus*, & tu affirmes, ipſe concludet : Ergo Socrates eſt equus. Si vero neges, ipſe colliget : Ergo Socrates non eſt homo. Item ſi quærat Sophiſta, *ſintne homo & aſinus rationales?* ſi reſponderis affirmative, inferet: *Ergo aſinus eſt rationalis:* ſi negative; colliget : *Ergo homo non eſt rationalis.* Nimirum , duplex interrogatio, duplicem & diſtinctam reſponſionem ſummopere exigit.

Sit Nomen DOMINI Benedictum!



ME-

METHODVS DISPVTANDI.

METHODVS DISPVTANDI.

Vnde Disputatio Nomen habet?

Disputatio Nomen habet a *putando*, quod proprie significat noxia ab arboribus removere & abscindere; atque sic *Putamina* dicuntur ea, quæ rejectanea sunt, & inutilia. Disputatio ergo sic dicitur, quod per eam veritas quasi putetur, & ab omni falsitate expurgetur.

Quot modis accipitur Vox Disputationis?

Vox Disputationis interdum *late* accipitur, pro thematis alicujus controversi tractatione, sicut Suarezius, & Gregorius de Valentia, tractatus suos Disputationes vocant. *Stricte*, accipitur pro actu, qui est inter Opponentem, & Respondentem.

Quid est Disputatio stricte ita dicta?

Disputatio stricte ita dicta, est collatio sententiarum diversarum, qua alter pro viribus propositum defendere nititur, alter impugnare, veritatis declarandæ gratia.

Fuitne eadem olim, qua hodie, disputandi ratio?

Neutiquam eadem olim, quæ hodie, fuit disputandi ratio. Græci enim vetusti vix aliter, quam continuis interrogatiunculis, quibus alterius partis responsiones elicerentur, disputabant. Ad hunc modum in Elenchis Sophisticis respexit Aristoteles, ejusque simu-

ſimulacrum aliquod deprehenditur in Dialogis Platonis. Nunc, loco interrogationum, ſubſtituuntur Syllogiſmi formales, quem modum disputandi, in orbe Latino Chriſtiano, Scholaſtici introduxerunt.

Quæ eſt Cauſa Efficiens Diſputationis?

Cauſa Efficiens Diſputationis, eſt 1. *Proponens*, qui materiam ad diſputandum proponit, diciturque alias *Reſpondens*. 2. *Opponens*, qui res ad diſputandum propoſitas argumentis oppugnat. Accedit 3. nonnunquam *Dirigens*, qui diſputationem dirigit, vocaturque alio nomine *Præſes*.

Quæ eſt Materia Diſputationis?

Materia circa quam, ſive objectum Diſputationis, eſt omnis theſis, de qua diſputari, quia aut ignota, aut dubia videtur, poteſt. Proinde non inſtituendæ Diſputationes de iis rebus, quæ captum diſputantium excedunt: item nec de manifeſte veris, aut citra controverſiam falſis: quin nec de otioſis, aut ſuperſtitioſis. *Paradoxa* tamen, quæ ſub ſpecie falſi veritatem occulunt, admittuntur.

Quid igitur eſt Diſputare?

Diſputare, eſt allatis argumentis veritatem vel ignotam in lucem proferre, vel jam notam confirmare, & adverſus contradicentes tueri.

Quot ſunt Probationum Genera?

Probationum Genera duo ſunt: Vnum *ad Senſum*, cum ſcilicet ſenſus rei alicui fidem facere poteſt: id

quod fit, vel provocatione ad experientiam, quando nimirum ipse sensus docet, ipsaque rei inspectio, quod adversarius negat: vel Inductione, quæ est a singularibus ad universalia collectio. Alterum Probationum Genus *ad Intellectum* attinet, cum non sensu, sed rationibus, & argumentis proprie sic dictis, aliquid ostenditur.

Quæ est Norma disputandi?

Norma disputandi unica, est Logica: unde B. Augustinus dixit, Dialecticam esse bene disputandi scientiam.

Quomodo Disputatio debet esse comparata?

Disputatio esto 1. *Accurata*, nempe ex judicii acumine, cum fervore quodam conjuncta. 2. *Succincta*, nec enim Disputatoris est rhetoricari. 3. *Candida*, ne antagonistæ directe ea tribuatur sententia, quæ non est ipsius, sed ex ejus sententia consequenter & indirecte tantum fluit. 4. *Modesta*, ne arrogantiam præ se ferat, aut convitiis, nugis, illusionibus sit referta. 5. *Perspicua:* est enim secundum Aristotelem l. 3. Rhet. c. 4. Perspicuitas præcipua orationis virtus. Denique 6. sit *Distincta*, ut nimirum veritas, quæ primo obtutu obscura videtur, eruatur, & aliis conspicienda proponatur.

Quid opponitur Disputationi?

Disputationi, seu veritatis inquisitioni, opponitur *Sophisticatio*, qua quis alteri nititur persuadere falsum, sub veri specie, per contentionem.

Quæ

Quæ sunt Regulæ Generales tenendæ in Disputationibus?

Regulæ Generales sunt: I. ***In Disputationis progressu, a statu controversiæ non est recedendum.*** Debent enim Disputantes esse contradicentes, quorum unus removet & negat id, quod alter ponit atque affirmat; quod fieri nequit, nisi unus, isque certus, ponatur controversiæ status, in quo uterque disputantium permaneat.

2. ***Contra negantem principia, non est disputandum.*** Principium enim est sententia verissima, omnibus exinde fluentibus veritatis causa; ejusque terminis cognitis, nemo assensum suspendere potest. Quod quidem intelligendum de Principiis primo veris, quæ non per alia, sed per seipsa fidem habent. Quod si vero quis negaverit Scientiæ alicujus Principia, contra eum quoque non est disputandum, scilicet, in illa scientia, cujus ea sunt principia.

3. ***Disputantium munia non sunt confundenda;*** utut nonnulla ipsis communia sunt. Opponentis enim est, argumenta opponere; Respondentis, ad opposita argumenta respondere.

In quibus consistit Officium Opponentis?

Opponens debet *I.* materiam, de qua disputandum est, præcognoscere; quæ enim ignorat, destruere nequit.

II. Ex propositis Thesibus sibi certam aliquam impugnandam sumat, quæ si aut imperfecta, aut ob-

obscura, aut dubia videtur, petet a Respondente declarationem, ne turpis ignoratio elenchi cæteroquin oriatur.

III. Ex propriis, sive rei, de qua agitur, accommodatis principiis, adversarium refellere instituat.

IV. Præmissa paulo uberiore mentis suæ declaratione, ut & sibi, & Respondenti, & Auditoribus consulat, expresse designet id, quod est impugnaturus.

V. Thesi selectæ & intellectæ, ejusmodi opponat argumentum, cujus conclusio illi thesi sit contradictoria. Sola enim contradictoria oppositio, verum a falso dividit.

VI. Argumentum proponat in forma Syllogistica: nam hæc generale est instrumentum, veritatem facilius inveniendi & proponendi.

VII. Proderit interdum, Opponentis præcedentis argumenta reassumere, & ad illa datas responsiones ulterius examinare.

VIII. In Argumentatione non debet fieri saltus de genere in genus

IX. Cum dubiæ sunt Præmissæ, statim earundem probatio adjicienda, eademque iterum Syllogistice proponenda; & sic, si opus, iterum confirmanda, donec suo officio sese perfunctum arbitratur.

X. Audienda deinde est responsio Respondentis patienter, usque donec finem sermonis facit. Quod si vero Respondens extra oleas vagetur, aut thesi suæ probandæ inhæreat, ad argumentum autem vel plane nihil respondeat, vel non in forma, tum directam atque formalem responsionem expetere Opponenti licet.

XI. Post

XI. Post datam a Respondente responsionem, Opponentis est adversus eam excipere , sive porro instare.

In quibus consistit Officium Respondentis?

Respondens *I.* Theses, de quibus disputandum est, crebro & diligenter repetat, ne, ex illarum ignorantia, aliquid contra easdem concedere cogatur.

II. Præmittat, si opus fuerit, dilucidam succinctamque theseos oppugnatæ declarationem, quo status controversiæ melius formetur.

III. Petat, ut Opponens argumenta sua syllogistice formet, sive argumentandi forma, qua semper ex veris elicitur verum.

IV. Objectum Syllogismum iisdem verbis, quantum fieri potest, repetat, quibus ab Opponente prolatus est. Hæc enim repetitio moram concedit Respondenti ad cogitandum, atque, si forte Respondens Opponentis mentem non recte perceperit, facit, ut uberius explicare se possit.

V. Omnium maxime attendat ad statum controversiæ, num objectio feriat thesin, an secus. Nam, si non feriat, nulla opus est responsione.

VI. Si Propositionis alicujus vim , aut sententiam, propter obscuritatem, non intelligat Respondens, licet ei ab Opponente exigere illius explicationem.

VII. Ante omnia inquirat in formam prolati Syllogismi, num proba sit, an vitiosa. Nam, si forma vitiosa fuerit, tota consequentia est nulla, cujus rationem forma continet.

VIII. Si

VIII. Si forma bona ſit, expendenda Syllogiſmi materia. Eſt autem Materia vel Remota, vel Propinqua; Remotam, Termini; Propinquam, Propoſitiones conſtituunt.

IX. In præmiſſis, potior habenda cura Majoris Propoſitionis. Cum enim plurimum Syllogiſmi in prima figura proponantur, quæ Majorem exigit univerſalem, videndum, an in omnibus exemplis valeat.

X. Probationes Præmiſſarum cum ſunt prolatæ, videndum, veræne ſint, an falſæ. Quod ſi falſæ ſint, ipſarum quoq; petenda probatio.

XI. Si Major ſit ambigua, aut non omni ex parte falſa, diſtinguenda aut limitanda eſt, & tunc diſtinctio aut limitatio, ſive Minori, ſive Concluſioni eſt applicanda: Minor enim, & Concluſio, formaliter limitari non poſſunt. Interim nihil probant Limitatio vel Diſtinctio, ſed tantum illuſtrant.

XII. Cum vel ambæ Præmiſſæ, vel alterutra, falſitate laborant, rejiciendæ.

XIII. Conceditur quandoque totum argumentum, quando ſcilicet theſi impugnandæ contradictorie non eſt oppoſitum: neceſſe eſt enim, unum affirmare id, quod alter negat, & unum improbare, quod alter probat.

XIV. Invertitur aliquando argumentum, & in ipſum Adverſarium retorquetur.

XV. Si Syllogiſmus Hypotheticus proferatur, vel ejus Antecedens negandum, vel Conſequentia inficianda.

XVI. ***Per Inſtantiam*** reſpondetur, quando Reſpondens manifeſto exemplo docet, falſam eſſe univerſa-

versalem propositionem. *Limitando* respondetur, quando distinctione suppeditata, Respondens limitat propositionem, &, quo sensu vera, quo sensu falsa eadem sit, ostendit.

XVII. Nunquam Negatione responderi debet, ubi limitatione res expediri potest. Non enim adhibenda sunt remedia aspera, ubi leniora sufficiunt.

XVIII. Consequentia a Respondente negari non debet, quando forma Syllogismi est bona. Consequentia enim est deductio conclusionis ex iis præmissis, e quibus sequitur, & proprie ad formam pertinet, ut is, qui negat consequentiam, hoc dicat, adversarium non deducere conclusionem suam per formam legitimam ex præmissis.

XIX. Respondentis non est probare, & ideo nec potest committere petitionem ejus quod erat in principio. Nihil enim aliud propositum habet, quam, ut illud, quod asserit, defendat. Defendere autem, non est argumentis aliquid confirmare, sed argumenta ea, quibus quid impugnatur, dissolvere. Quod si igitur argumenta in contrarium allata solverit Respondens, officio suo functus est. Quod si vero idem docere aliquid instituit, & sic suam quasi provinciam deserit, & Opponentis habitum (cui probare incumbit) induat, doctrinam suam ratione aliqua confirmare tenetur; doceri enim nihil potest, nisi argumentis id stabiliatur.

In quibus consistit officium Præsidis?

Præsidis est *I.* disputantium discursui moram concedere.

II. De-

II. Debet argumenta Opponentis, leviora licet, firmius roborare.

III. Respondentis responsioni subvenire tenetur, eamque, si sufficiens sit, uberius explicare; si deficiens, perficere; si vitiosa, excusare simul, ac corrigere.

IV. Auditorium erudire debet. Quod fiet, si statum controversiæ uberius exponat; diversas diversorum responsiones & sententias proponat; ortum controversiæ ex historiis repetat; loca parallela conferat; Autores, qui de controversia uberius agunt, indicet; ac deniq; suam ἐπίκρισιν subjiciat.

Sit Nomen DOMINI Benedictum!



SYNO-

SYNOPSIS
ETHICÆ.

SYNOPSIS ETHICÆ.

CAPUT I.

De Natura & Partibus Ethicæ.

Unde dicitur Ethica?

ETHica nomen habet, vel ἀπὸ τῶν ἠθῶν, *a moribus*, utpote objecto suo externo; vel ἀπὸ τοῦ ἔθους, *ab assuefactione & consuetudine*, tanquam causa efficiente Virtutis proxima.

Quid est Ethica?

Ethica, est prudentia, hominem Virtutibus informans, ut Summo fruatur Bono.

Unde hauriuntur Præcepta Ethicæ?

Κριτήριον, seu Principium præceptorum Ethicorum, est recta ratio, vel συντήρησις, i. e. comprehensio primorum principiorum practicorum. Quæcunque enim traduntur in Ethicis, omnia revocari debent ad generalissima enunciata: *Honesta sunt facienda: Turpia sunt fugienda.*

Quomodo dividitur Ethica?

Ethica habet partes tres. Harum prima Ευδαιμονολογία, agit de Fine, nempe de Felicitate civili. Altera ψυχολογία, considerat hominem, ejusq; imprimis Animam Rationalem, tanquam subjectum, cui inexistit illa Felicitas. Tertia Ἀρετολογία, occupatur circa media ad Felicitatem ducentia: Virtutem nimirum tam Moralem, quam Intellectualem.

Qua

Qua Methodo Ethica tradi debet?

Ethica tradi debet Methodo *Analytica*, ut prius de Fine, deinde de Mediis instituatur disquisitio. Ethica enim est disciplina practica: nullum autem agens intellectuale actiones suscipit, nullo proposito Fine; is enim dat bonitatem, amabilitatem, mensuram, & ordinem mediis. Unde ante omnia finis tanquam scopus, ad quem actiones collineare debent, est præfigendus.

Quis est Finis Ethicæ?

Finis Ethicæ est Summum Bonum, seu Felicitas Civilis.

Quis est idoneus Auditor Ethicæ?

Idoneus sive γνήσιος Auditor Ethicæ, est vir robustioris ætatis, qui affectus compescere valet. Hinc juvenis non est satis idoneus, vel acroamaticus Doctrinæ Moralis Auditor; quippe, ἄπειρος existit, τῶν κατὰ τὸν βίον πράξεων, *imperitus actionum civilium;* unde quid facto opus sit, non tam prudenter definire potest. Deinde, quia est τοῖς πάθεσιν ἀκολουθητικὸς, *affectibus obnoxius:* ideo horum copia judicii vigorem opprimit, & a cogitatione rerum honestarum abducit. Valet nihilominus de Ethica illud Poëtæ:

-- *Petite hinc Juvenesq; Senesq;*
Finem animo certum, miserisq; viatica canis.

CAPUT II.

De Summo Bono, ſive Felicitate civili.

Daturne aliquod Summum Bonum?

SVmmum bonum dari, colligitur ex appetitus humani natura. Is enim cum in infinitum ferri non poſſit, terminum aliquem ſtatui neceſſe eſt, in quo tandem ſiſtat, & in quo acquieſcat.

In quibus putatur conſiſtere Summum Bonum?

Recte Seneca ait lib. de Vit. beat. cap. 1. *Vivere omnes beate volunt: ſed ad providendum, quid ſit, quod beatam vitam efficiat, caligant.* Hinc adeo Varro, teſte Auguſtino, l. 19. de Civ. Dei, c. 1. *trecentas* & plures variorum de Summo Bono variantes collegit opiniones. Celebriores tamen ſententiæ eorum ſunt, qui Summum Bonum collocant, vel in Voluptate, vel in Divitiis, vel in Honore, vel in Virtutis Habitu, vel in Contemplatione, vel in Actione Virtutis.

Eſtne Voluptas Summum Bonum?

Voluptatem Summum Bonum eſſe, Epicurus docuiſſe fertur: quem tamen ab hoc crimine liberant ex Veteribus Seneca, ex Recentioribus Petrus Gaſſendus; oſtendentes, nihil eum voluiſſe aliud, quam Summum Bonum conſiſtere in indolentia Corporis, & Animi tranquillitate. Sectatores tamen Epicuri, infamem ſententiam, de Voluptate Corporis, tanquam apice Felicitatis, defenderunt. Hac autem nihil eſt falſius. Nam 1. Voluptas nobis cum bel-

luis, quibus Natura animam pro ſale dedit, communis eſt; vera autem Felicitas debet eſſe bonum hominis proprium. 2. Voluptas eſt res fragilis, caduca, cito tranſiens, eamque conſequitur dolor pede claudo. At Felicitas, ſtabilis & conſtans eſſe debet, ac comitem habere animi ſenſum, & lætitiam. 3. Voluptas Deo repugnat, omnibus bonis eſt odio, hominis animam corpusque corrumpit, & fortunæ bona abſumit.

Suntne Divitiæ Summum Bonum?

Divitiæ non ſunt Summum Bonum. Nam 1. Divitiæ ſunt bona utilia, ideoque ex ſua natura ad aliud bonum referuntur. 2. Sæpe etiam mortalium peſſimi opibus abundant. 3. Divitiæ a fortuna dependent, & illarum perfacilis jactura eſt. 4. Sæpe parantur Divitiæ cum aliorum injuria.

Eſtne Honor Summum Bonum?

Honor, quo nomine comprehendi ſolent, Nobilitas, Dignitas, Fama, & Gloria Nominis, non eſt Summum Bonum. Nam 1. non eſt in noſtris viribus ſitus. 2. Non propter ſe, ſed propter virtutis opinionem expetitur. 3. Eſt caducus, fragilis, & ſubjectus fortunæ.

Eſtne Virtutis Habitus Summum Bonum?

Virtutis Habitus non eſt Summum Bonum. Nam 1. is ineſſe poteſt otioſo & dormitanti, quibus nulla competit Felicitas. 2. Nulla forma in actu primo, ſed ſecundo eſt perfecta.

Eſtne Contemplatio Summum Bonum?

Plato Felicitatem in Contemplatione Ideæ Bonorum quæſivit; cujus tamen ſententia parum eſt ad li-

quidum deducta. Vulgari autem loquendi modo accepta Contemplatio, Summum Bonum esse nequit. Nam 1. quærimus bonum practicum, non contemplativum. 2. Etiam pessimi homines contemplationibus vacare possunt.

Estne Actio Virtutis Summum Bonum?

Est utique. Nam Summum Bonum, est operatio animæ rationalis, secundum virtutem optimam, & perfectissimam, in vita perfecta.

Quare dicis, secundum Virtutem optimam & perfectissimam?

Quia cujusvis Virtutis actio est Summum Bonum, quatenus perfecta inest homini. Trahit enim secum totum complexum reliquarum Virtutum, quavis ferente occasione exercendarum.

Quare dicis, in vita perfecta?

Quia, sicut una hirundo non facit ver, ita nec una, aut altera actio virtuosa, Summum Bonum gignit; sed, Felicitas, est constans Virtutis operatio, ad extremum usque vitæ halitum continuata.

Quænam sunt Instrumenta Summi Boni?

Instrumenta Summi Boni, sunt bona, *vel Animi*; uti Eruditio, Eloquentia: *vel Corporis*; uti firma valetudo, robur, pulchritudo; *vel Fortunæ*; uti Opes; item Amici, in quibus magnum ad res gerendas præsidium.

Quænam sunt Consequentia Summi Boni?

Consequentia Summi Boni, sunt, voluptas animi, seu lætitia conscientiæ, honor, benevolentia hominum, sanitas, & similia.

Quæ-

Quænam sunt Causæ Summi Boni?

Summum Bonum paratur auspicio Divino, tanquam causa remota; cui accedere debent, Industria, & Consuetudo, quæ sunt causæ proximæ.

Quænam sunt Proprietates Summi Boni?

Summum Bonum est 1. proprium. 2. difficulter mobile. 3. homini parabile 4. propter se expetibile. 5. sibi sufficiens. 6. communicabile.

Quid est Summum Malum, seu Miseria Civilis?

Summum Malum, seu Miseria Civilis, est habitus animi vitiosus, quo quis, oppressis rectæ rationis hortatibus, omnis generis scelera, per omnem vitam patrare non erubescit; corporis autem & fortunæ bonis, si quibus abundat, ad improbitatem, & nequitiam abutitur.

Quænam sunt Consequentia Miseriæ Civilis?

Consequentia Miseriæ Civilis, sunt mala conscientia, infamia, paupertas, pœnæ, morbus, denique mors tristis ac miserabilis.

CAPUT III.

De Subjecto Felicitatis Civilis.

Quodnam est Subjectum Felicitatis Civilis?

S*Ubjectum Quod*, sive denominationis, est homo ætatis maturæ, & judicii confirmati. *Subjectum Quo*, seu illa pars in homine, cui proxime, & immediate inhæret Felicitatis habitus, est Anima.

Quotuplex est Anima Hominis?

Anima Hominis est duplex: Quædam enim per essentiam rationem participat; alia eadem caret.

Quomodo se habet Anima, quæ ratione caret?

Anima, quæ ratione caret, est duplex. Vel enim nullo modo per se rationi obedire potest, uti Anima Vegetativa, cujus Facultates sunt, Nutritiva, Augmentativa, Generativa. Nec enim, ut v. g. bene coquat stomachus, a Ratione imperari potest. Vel aliquo modo participat Rationem, quatenus ei parere, & actiones suas ad præscriptum hujus potest componere. Atque hæc est Anima Sensitiva, ejusque Facultas Appetitiva.

Quid est Anima per essentiam rationalis?

Anima per essentiam rationalis, est ipsa Mens, seu recta ratio, qua a brutis distinguimur, quaque, adminiculo primorum principiorum theoreticorum, & practicorum, rerum causas cognoscimus, & actiones ad honestatis, & prudentiæ regulam, conformamus. Atque hæc subjectum principale, & præcipuum est Civilis Felicitatis.

Quodnam est Subjectum minus principale Felicitatis Civilis?

Subjectum minus principale Felicitatis Civilis, & secundarium, est Anima per participationem rationalis, seu Sensitiva; cujus Facultates Concupiscibilis, & Irascibilis, possunt ita parere Rectæ Rationi, ut motiones, & Affectus, intra mediocritatem subsistant.

Quo-

Quotuplex est Imperium Rationis?

Imperium rationis est duplex: unum *Despoticum, seu herile*, quomodo imperat membris externis: alterum *Regium seu limitatum*, quomodo imperat Appetitui Sensitivo. Sæpe enim ille, etiamsi videat meliora probetque, nihilominus deteriora sequitur.

Quid est Appetitus Sensitivus?

Appetitus Sensitivus, est vis Animæ Sensitivæ, qua Animal, præeunte notitia Sensus, inclinatur ad bonum sequendum, & malum fugiendum.

Quotuplex est Appetitus Sensitivus?

Appetitus Sensitivus est duplex: ἐπιθυμικὸς, *Concupiscibilis*, quo rem cognitam ut bonam, vel sub ratione boni, appetimus: & θυμικὸς, *Irascibilis*, quo rem cognitam ut malam, vel sub ratione mali, aversamur.

Quæ sunt Facultates Animæ Rationalis?

Facultates Animæ Rationalis, sunt Intellectus, & Voluntas.

Quid est Intellectus?

Intellectus, est Facultas Animæ Rationalis, per quam res diversorum generum cognoscimus. Ac dividitur, in Intellectum *Theoreticum*, quo res necessarias cognoscimus, & in ea cognitione acquiescimus: ac *Practicum*, quo res contingentes cognoscimus, & illam cognitionem ad actionem aliquam referimus.

Quid est Voluntas?

Voluntas, est Facultas Animæ rationalis, qua rem ab intellectu cognitam, ut bonam, appetimus; ut malam, aversamur.

Quomodo Voluntas munus hoc suum exercet?

Voluntas munus suum exercet, per Arbitrii libertatem, sive Facultatem eligendi opposita, quæ duplex est. Una *Contrarietatis* seu *Specificationis*, cum Voluntas circa objecta specie diversa ita se gerit, ut, positis omnibus ad agendum requisitis, unum præ altero eligere aut appetere queat: Sicut homo libere scribere, aut legere potest. Altera *Libertas Contradictionis seu Exercitii*, cum Voluntas eandem specie actionem, circa idem specie objectum occupatam, potest libere vel exercere, vel intermittere: ut sedere, & non sedere; legere, & non legere.

Quotuplices sunt actus Voluntatis?

Actus Voluntatis sunt duplices: *Eliciti*, qui immediate ab ea producuntur: ut, velle, nolle, eligere: *Imperati*, qui ad Voluntatis imperium ab aliis potentiis producuntur: ut currere, edere, bibere. Atque potest cogi Voluntas quoad actus imperatos, minime vero quoad actus elicitos.

Quotuplex est Virtus?

Secundum Animæ divisionem, in aliam per essentiam rationalem, & alteram per participationem, distinguitur ipsa virtus; in *Intellectualem*, quæ Intellectum, & *Moralem*, quæ Appetitum perficit Sensitivum.

CAPUT IV.

De Affectibus Humanis.

Quid sunt Affectus?

AFfectus, sunt motus Appetitus Sensitivi, in persecutione boni, & fuga mali. Tales sunt, Amor, Odium,

Odium, Desiderium, Fuga, Gaudium, Tristitia, Spes, Desperatio, Audacia, Timor, & Ira.

Quid est Amor?

Amor, est affectus, quo bonum placet appetitui sensitivo.

Quid est Odium?

Odium, est affectus, quo rei apprehensæ, quod appetitui minus congruat, repugnamus.

Quid est Desiderium?

Desiderium, est affectus, quo appetitus in rem absentem, placitam, intense fertur.

Quid est Fuga?

Fuga, est affectus, quo rem malam, imminere visam, intense fugimus, & aversamur.

Quid est Gaudium?

Gaudium, est affectus, quo, ob bonum præsens, spiritus excitantur, ac e corde diffunduntur.

Quid est Tristitia?

Tristitia, est affectus, quo ob malum præsens, spiritus cordis contrahuntur, & opprimuntur: dicitur alias Dolor.

Quid est Spes?

Spes, est affectus, quo bonum obtentu difficile, possibile tamen, affectamus.

Quid est Desperatio?

Desperatio, est affectus, quo bonum, obtentu impossibile, aversamur.

Quid est Audacia?

Audacia, est affectus, quo bonum difficile acquisituri, sine ratione, nulloque periculi metu, rem aggredimur.

Quid

Quid eſt Timor?

Timor, eſt affectus, quo malum futurum, declinatu difficile, averſamur.

Quid eſt Ira?

Ira, eſt affectus, cum dolore conjunctus, quo quis injuriam, ſibi ſuisque illatam, vindicare nititur.

CAPUT V.

De Virtutis Moralis Cauſa Efficiente & Finali?

Quæ eſt Cauſa Efficiens Virtutis?

CAuſa Efficiens Virtutis, non eſt Natura, ſed Doctrina, & magis propinqua, Aſſuefactio ex frequentibus Virtutum actionibus.

Quænam ſunt Principia, ſive cauſæ efficientes actionum moralium?

Principia, ſive cauſæ efficientes proximæ actionum moralium, ſunt quatuor: τὸ ἑκούσιον, Spontaneum; ἡ προαίρεσις, Electio; βούλευσις, Conſultatio; βούλησις, Voluntas.

Quid eſt Spontaneum?

Spontaneum eſt, cujus principium eſt in ipſo agente, & ſciente ſingulas actionis circumſtantias.

Quæ ſunt illæ Circumſtantiæ?

Illæ circumſtantiæ hoc verſu comprehenſæ habentur:

Quis,

Quis, Quid, Vbi, Quibus Auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.

Quomodo vocatur proprie illa ſcientia, quæ eſt in Actionibus Spontaneis?

Scientia, quæ eſt principium actionis ſpontaneæ, proprie vocatur Conſcientia, atque ea præcipiendo, & ſuadendo, vetando, & diſſuadendo, actionibus humanis intervenit.

Quid eſt Conſcientia?

Conſcientia eſt judicium intellectus, bonum aut malum eſſe aliquid, nobis dictantis. Eſt igitur quaſi præco quidam legis naturæ, aut Divinæ; unde nulla diſpenſatione fieri poteſt, ut non peccet, qui contra conſcientiam peccat.

Quotuplex eſt Conſcientia?

Quotuplex eſt judicium intellectus, de re quapiam facienda aut omittenda, totuplex etiam eſt Conſcientia. Eſt autem judicium intellectus proprie triplex: *Rectum* ſive *certum*, *Probabile*, & *Erroneum*. Hinc Conſcientia proprie loquendo triplex tantum eſt: *Recta*, *Probabilis*, & *Erronea*. Sed quia etiam *Dubitatio*, & *Hæſitantia intellectus*, interdum improprie judicium intellectus appellantur, hinc fit, ut ſimiliter Conſcientia aliqua *Dubia*, aliqua *Scrupuloſa* dicatur.

Quid eſt Conſcientia Recta?

Conſcientia Recta eſt, quæ faciendum, aut omittendum dictat, quod faciendum aut omittendum omnino eſt; ſive, quæ cum jure Divino, aut humano, certo & indubitato conſentit.

Quo-

Quomodo obligat Conſcientia Recta?

Quod Conſcientia Recta ſimpliciter præcipit, illud faciendum omnino eſt, ſi quis ſuo arbitrio rem agat; ſin minus, ſaltem ita mandatum Superioris exequi debet, ne quid contra illam fiat. Sic, pauperibus ſuccurrere, ubi opus eſt, Conſcientia Recta præcipit; unde id omnino faciendum eſt, ſi de tuo diſponas. At, ſi alterius negotio præſis, minimum ita te gerere debes, ne pauperibus obſis. *Si Conſcientia aliquid vetet*, non licet id agere, ſi res tua ſit. Si Juſſu Superioris quid agendum, diſtinguendæ ſunt perſonæ, quibus quid demandatur, itemque Res quæ demandantur. *Perſonæ*, cui quid demandatur, defertur vel judicium in ea re, & cognitio cauſæ, vel nuda tantum executio. *Res*, quæ demandatur, aut continet errorem tolerabilem, aut intolerabilem. Quod ſi *Judex eſt*, & error intolerabilis, exequi mandatum non debet: Deo enim magis obediendum eſt, quam hominibus, Act. 5. Si officio *Executoris* tantum fungitur, & eſt tolerabilis error, executioni mandare poteſt rem etiam injuſtam, niſi a Superiori impetret, ut ab hoc onere ipſum abſolvat.

Quid eſt Conſcientia Errans?

Conſcientia Errans eſt, cujus judicium a jure Divino, aut humano, diſſentit. Sive, quæ id judicat faciendum vel omittendum, quod faciendum aut omittendum non erat.

Quomodo obligat Conſcientia Errans?

Errantis Conſcientiæ, niſi Error ſit invincibilis, aut de re indifferenti, iſta eſt natura, ut peccet, tam qui ſecundum eam agit, quam qui contra eam. Nimirum, peccat, qui *ſecundum* eam agit, quia errorem, cum

cum possit deponere, non vult: quicquid autem ex errore vincibili fit, a peccato non excusat. Sed & peccat, qui *contra* illam agit; quamvis enim, quod agit, legi Divinæ, aut humanæ non repugnet, prout in se spectantur, quia judicium conscientiæ errat; repugnat tamen utrique, prout ille statuit, id quod agit, lege Divina aut Principis prohibitum esse, etsi revera prohibitum non erat.

Quid est Conscientia Probabilis?

Conscientia Probabilis est, cujus judicium est probabile, nec habet certitudinem. Dicitur alias *Opinativa*, quia gignit *Opinionem*, quæ est, cum intellectus rei assentitur, non quidem sufficienter ab objecto permotus, sed ob rationabilem electionem, qua voluntas in unam partem magis declinat, quam in alteram, cum formidine tamen oppositi.

Quomodo obligat Conscientia Probabilis?

Conscientia Probabilis obligat ut Recta, ita ut recte faciat, qui secundum eam agit, male, qui contra. Sed, potest judicium illud conscientiæ multipliciter formari. Et 1. quidem vel formatur ex opinione tutiori, sed minus probabili; vel ex minus tuta, & probabiliori. 2. Formatur vel ex opinione propria, vel aliena. 3. Formatur aliter a Docto, aliter ab Indocto. Sic, fieri potest, ut Homo Doctus, acumine ingenii, id in re aliqua animadvertit, quod cæteri in re illa non perviderunt; unde ex propria opinione conscientiæ probabilis judicium sibi format. Idem, ex opinione aliena, judicium sibi formare potest, & Doctorum auctoritati deferre, quamvis statuat, suam opinionem probabiliorem esse. At, indoctus recte facit, cum eam opinionem sectatur,

tur, quæ maxime ipſi probabilis apparet, quamque doceri a Peritis & Probis videt, licet illa quoque non usque adeo tuta ſit. Denique Subditus, non tantum poteſt, ſed & debet, contra propriam opinionem, id amplecti, quod Superiori viſum eſt, modo & illud non ſit improbabile. Obediendum enim Superiori eſt, quoties licite id fieri poteſt; licite autem fit, quod probabilitatem habet. Cæterum, hæc probabilitas, non inde metienda eſt ſimpliciter, quod Superior ſit ille, cui ſententia placet; ſed, quia vel Subditus ſcit, eam a multis Doctoribus comprobari, vel quia Superior ipſe doctus & probus eſt; vel denique, quia hominum prudentum conſilio omnia adminiſtrat. Hinc Subditi ſuo Principi obedire tenentur, vocanti eos ad bellum, licet ipſi dijudicare non poſſint, juſtumne illud ſit, an iujuſtum. Sufficit enim iis ſcire, Principem Viris Sapientibus inſtructum, quorum conſilio omnia gerat.

Quid eſt Conſcientia Dubia?

Conſcientia Dubia eſt, cum quis dubitat, & neſcit, utri parti contradictionis adhærendum ſit, ſed utrinque hæret ambiguus.

Peccatne, qui ex Conſcientia Dubia agit?

Qui ex Conſcientia Dubia agit, peccat; exponit enim ſe periculo peccandi; tum vero expreſſe Apoſtolus ait Rom. 14. *Qui dubitat, ſi ederit, condemnatus eſt.*

Quid eſt Conſcientia Scrupuloſa?

Conſcientia Scrupuloſa eſt, cum ſtatuitur quid licitum eſſe, ita tamen, ut ſubſit ſcrupulus aliquis. Scrupulus autem hic, vel Rationabilis eſt, vel Irrationa-

tionabilis. Si *Rationabilis*, recte fecerit, qui ejus rationem habuerit; etsi ad id proprie non obligatur. Si *Irrationabilis*, negligendus est, & animo ejiciendus.

Quid est Invitum?

Invitum aliquid dicitur dupliciter; nempe per Violentiam, & Ignorantiam.

Quid est Invitum per Violentiam?

Invitum per Violentiam est, cujus principium foris est, & tale quidem, ut nihil ad id conferat is, qui agit, aut patitur. Sic Violentia est, cum quis, tempestate, aut venti impetu aliquo abreptus, fertur, quo nolebat; aut, cum quis vi manum tuam arripit, eaque alterum pulsat.

Quid sentiendum de iis, quæ per Metum fiunt?

Actiones, quæ metus causa suscipiuntur, non fiunt ab omni parte sponte, sed omnino aliquid inviti permixtum habent; unde etiam veniam sæpe impetrat, qui quid isto modo minus recte committit: verum, non violentæ sunt istæ actiones simpliciter. Etsi enim nemo, quod metus causa facit, id demto metu faceret, tamen, quia eo loco quis constitutus tum est, ut effugere imminens malum alio pacto non possit, omnino ita vult agere, ut agit; aut pati, quod patitur; imo, rebus sic comparatis, nunquam aliter faceret. Sic gubernator, ubi naufragium timet, jactura, quicquid servari potest, redimit. In bello partem provinciarum cedit victus victori, ne totum Regnum amittat. Non libenter quidem huc descenditur, sed quia tamen ad vitandum majus malum hoc eligitur, spontanea est actio, non invita; malum

enim, quod obtutu majoris mali eligitur, exuit naturam mali, morali æſtimatione, & incipit naturam boni habere. Quin, niſi hoc quis admittat, violentæ forent omnes actiones, quæ metu iræ Divinæ, & pœnarum, quas lex Divina, & Respublicæ ſtatuunt, perpetrantur.

Quid eſt Actio Imprudens?

Actio Imprudens eſt, quæ ab agente, circumſtantiarum quarundam ignaro, culpæ & fraudis vacuo, proficiſcitur, ſubſequente pœnitentia, ac dolore.

Quid eſt Invitum per Ignorantiam?

Invitum per Ignorantiam eſt, quod ex ignorantia committitur, ita tamen, ut eum, qui fecit, illius poſtea pœniteat.

Quæ ſunt Diviſiones Ignorantiæ?

Ignorantia alia eſt *Pravæ Diſpoſitionis*, alia *Puræ Privationis*: item alia *Concomitans* voluntatem, alia *Antecedens* voluntatem. Porro, Ignorantia alia eſt *Vincibilis*, alia *Invincibilis*; nec non alia *Vniverſalium*, alia *Particularium*; denique alia eſt Ignorantia *Juris*, & alia *Facti*.

Quid eſt Ignorantia Pravæ Diſpoſitionis?

Ignorantia Pravæ Diſpoſitionis eſt, cum quis judicat, rem illud eſſe, quod revera non eſt.

Quid eſt Ignorantia puræ Privationis?

Ignorantia puræ Privationis eſt, cum ſimpliciter quid ignoratur, & nullum intellectus judicium intervenit. Sic, cum quis inter venandum hominem transfigit, quem feram eſſe putabat, ignorantia pravæ dispoſitionis eſt: ſi transfigat caſu, & dum nihil petit, ignorantia puræ Privationis.

Quid

Quid est Ignorantia Voluntatem Concomitans?

Ignorantia Voluntatem Concomitans est, cum ignorans quis quid facit; sed tamen id, quod facere idem vellet, si sciret. Sic se habet, qui hostem interficit ignorans, quem interfecturus tamen alias erat: hîc enim ignorare & agere uni subjecto accidunt; sed unum tamen alterius causa non est.

Quid est Ignorantia Consequens Voluntatem?

Ignorantia Consequens Voluntatem est illa, cujus voluntas causa est; fitque hoc dupliciter. Principio, cum quis rem, quam scire potuit, scire simpliciter noluit, diciturque ignorantia *Affectata*. Deinde, cum quis, aut habitu vitioso impeditus, aut affectu præventus, aut ex negligentia sive inadvertentia quadam, rem, quam scire poterat, ac debebat, ignorat. Dicitur ignorantia hæc voluntaria Virtualiter, quia id quod ignorantiam illam peperit, fuit voluntarium actualiter.

Quid est Ignorantia Antecedens Voluntatem?

Ignorantia Antecedens Voluntatem, est causa volendi, quod alias quis non vellet. Talis ignorantia est, cum ea quis ignorat, quæ nec scire poterat in hac, aut illa re, nec scire tenebatur.

Quid est Ignorantia Vincibilis?

Ignorantia Vincibilis est, cum ea ignoramus, quæ scire poteramus, & tenebamur.

Quid est Ignorantia Invincibilis?

Ignorantia Invincibilis eſt, cum ea ignoramus, quæ ſcire non poteramus.

Quid eſt Ignorantia Vniverſalium?

Ignorantia Vniverſalium eſt, ſi quis vel neſciat ſimpliciter, quid ſequendum ſibi in vita ſit, & quid expediat: ut, an res mala ſit ſcortatio, aut adulterium; an furari liceat; & ſimilia. Vel alias ignoret Vniverſalia iſta: an in actionibus noſtris habenda ſit ratio temporis, perſonæ, & loci; an vero omnia, omni loco, & tempore, apud omnes, æque recte fiant.

Quid eſt Ignorantia Particularium?

Ignorantia Particularium eſt, ſi quis ſingularium rerum, quæ actionem circumſtant, aliquam ignoret: puta, ſi propalet, quæ neſciebat tacenda eſſe; filium in prælio interficiat, quem ſibi perſuadebat, hoſtem eſſe; neci dedat præter ſpem, quem emendandi cauſa verberare volebat.

Quid eſt Ignorantia Juris?

Ignorantia Juris eſt, cum quis ignorat jus ſuum, ſive finem ſuæ actionis; ſive, quid in actione ſit honeſtum, juſtum, utile, aut his contrarium. Hæc, cum plerunq; ſit affectata, actionem non reddit invitam, nec excuſat agentem, imprimis ſi ſit ignorantia Juris Naturæ, aut Juris Divini.

Quid eſt Ignorantia Facti?

Ignorantia Facti eſt, cum ignoratur, quid contigerit, ſive, quando circumſtantiæ ignorantur: in quibus cum præcipua actionis vis conſiſtat, agens tamen providere non potuit. Hæc actionem reddit in-

invitam, & excuſat; ſi caret dolo, non eſt culpa noſtra acquiſita, habetque conjunctam pœnitentiam.

Quomodo Ignorantia cauſa eſſe poteſt alicujus actionis?

Ignorantia, quæ privatio eſt, actionis alicujus, hoc eſt rei poſitivæ, cauſa proprie eſſe non poteſt. Quoties igitur quid fieri dicimus ob ignorantiam, toties id volumus, ignorantiam illam tollere ſcientiam, quæ prohibitura, ſive impeditura actum iſtum fuerat. Simili modo in naturalibus, abſentia gubernatoris a navi, cauſa dicitur, quare navis ſubmergatur; remotio columnarum, cauſa dicitur, cur fornix collabatur.

Excuſatne Ignorantia Juris humani?

Ignorantia Juris humani non excuſat in foro exteriori, nec actionem reddit invitam: leges enim quæ conſtringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent, l. 9. C. de LL. Sane, indultum eſt in certis caſibus, Jus ignorare militibus, fœminis, ruſticis, & in univerſum iis, qui 25. annis minores ſunt: ſed id ſpeciale eſt. Imo, nec in foro conſcientiæ excuſat ignorantia illa, ſi diligentiam debitam quis non adhibuerit, maxime, quatenus Leges illæ ad cujusque ſalutem proprie pertinent.

Quid eſt Electio?

Electio, ſive Proæreſis, eſt earum rerum, quæ in noſtra poteſtate ſunt, ex conſultatione profecta appetitio. Differt a Spontaneo, quod ſponte, certo modo, etiam bruta & pueri agunt; quibus tamen Electio non competit. Electionem enim ſemper præcedit aliqua deliberatio; cum eligere nihil ſit aliud,

quam ex iis, quæ ante inter ſe contuleris, unum accipere, ſive ex multis, quæ conſideraris, unum alteri præoptare.

Quid eſt Conſultatio?

Conſultatio, eſt actus intellectus, quo deliberamus & diſpicimus, quid in re quapiam facto opus ſit.

De quibus rebus inſtituitur Conſultatio?

Conſultatio inſtituitur de rebus, quæ in noſtra ſunt poteſtate, & fieri a nobis poſſunt: quarum enim natura, aut fortuna cauſa eſt, eæ ſub conſultationem non cadunt. Sic nemo deliberat de ſiccitate, aut imbribus; nemo de inventione theſauri; etſi hæc interdum contingunt, interdum non contingunt. Sed & de mediis tantum fit conſultatio: cum enim finis in practicis principium ſit, dubii nihil habet, nec ſub inquiſitionem venit, ſed tanquam certum, & notum quid ſupponitur. De fine ergo non eſt deliberatio, niſi forte, quod finis eſt unius rei, alterius fiat medium.

Quid eſt Voluntas?

Voluntas, quæ hoc loco non potentiam volendi, ſed actum Voluntatis denotat, eſt boni, ſeu veri, ſeu apparentis, ab intellectu oſtenſi, appetitio.

Quotupliciter quis Quid Velle dicitur?

Velle quis dicitur, cum ipſe quid facit, itemque cum approbat, quod facit alius. Atque hoc poſterius multis modis contingit. Primo enim approbat, qui jubet; deinde, qui conſentit; tertio, qui facientem collaudat; quarto, qui commodi particeps fit; quinto, qui, cum poteſt, & debet, non impedit; & ſex-

& ſexto denique, qui auctorem rei receptat. Thomas. 2. 2. q. 62. art. 7. his verſibus incluſa hæc recitat:

Juſſio, Conſilium, Conſenſus, Palpo, Recurſus,
Participans, Mutus, Non obſtans, Non manifeſtans.

Quomodo augetur vel minuitur ratio Voluntarii?

Augetur, & minuitur ratio voluntarii, prout quid fit vel ſine errore, & perturbatione, vel per errorem, & perturbatioem. Maxime voluntarium eſt, quod nec errore ſeducti, nec vi affectuum abrepti ipſi facimus. Minus voluntarium eſt, quod quis vel errore deceptus, vel affectibus ingratiis ſuccumbens, deſignat.

CAPUT VI.

De Materia & Forma Virtutis, nec non ejus Definitione, & Diviſione.

Quænam eſt Materia Virtutis?

MAteria, ſeu Objectum virtutis *primarium*, ſunt Affectus, circa quos ad mediocritatem redigendos, & actiones hominum ad rectæ rationis normam componendas, Virtus occupatur. Objectum Virtutis *ſecundarium*, ſunt omnes ſive perſonæ, ſive res; & hæ quidem, ſeu corporis, ſeu fortunæ bona aut mala: ut robur, divitiæ, honor, converſatio, contractus; in quorum uſu recte ſeſe gerere homines Virtus facit.

Quid est Virtus?

Virtus est habitus, cum consilio & deliberatione, inque medietate consistens illa, quæ ad nos, secundum rectam rationem, pro judicio viri prudentis.

Quæ est Forma Virtutis?

Forma Virtutis est Mediocritas, sive medium inter nimium, & parum, rectitudinem includens.

Quotuplex est Medium?

Medium duplex est, unum Rei, alterum Personæ.

Quodnam est Medium Rei?

Medium Rei est, quod simpliciter inter extrema interjacet, & ab utroque æquali distat gradu ac intervallo, nullo habito circumstantiarum, temporis, loci, & personarum respectu. Sic se habet centrum in circulo, quod a circuli circumferentia æqualiter distat.

Quodnam est Medium Personæ?

Medium Personæ, sive respectu nostri, est, quod uni extremorum vicinius, ab altero verò remotius est. Sive, quod ratio, consideratis personarum, loci, temporisque circumstantiis, constituit, ac determinat. Est autem Forma Virtutis Medium Personæ, non Medium Rei.

Quot sunt Species Virtutis?

Virtus dividitur juxta diversa objecta, & varia circa eadem versandi officia, & modos, in Species Undecim. Eæ sunt: Fortitudo, Temperantia, Liberalitas, Magnificentia, Magnanimitas, Modestia, Mansuetudo, Humanitas, Veracitas, Urbanitas, Justitia.

CA-

CAPUT VII.
De Fortitudine.

Quid est Fortitudo?

FOrtitudo est virtus moralis, quæ mediocritatem servat, in periculis, honestatis gratia, magno animo perferendis, & adeundis.

Quotuplex est Fortitudo?

Fortitudo duplex est: Domestica, & Bellica.

Quid est Fortitudo Domestica?

Fortitudo Domestica est, quæ in adversis prosperisque rebus animum præstat immotum.

Quid est Fortitudo Bellica?

Fortitudo Bellica est, qua, in bello honeste occumbere, vir fortis non dubitat.

Quid est Fortitudo Apparens?

Fortitudo Apparens est, cum non honestate, sed utilitate, jucunditate, aut alia quapiam ratione, ad pericula subeunda incitamur: estque potissimum quintuplex: Civilis, Militaris, Iracunda, Fiduciaria, & Inscia.

Quid est Fortitudo Civilis?

Fortitudo Civilis est, cum Cives in Rep. spe præmiorum, aut pœnarum metu, pericula subeunt.

Quid est Fortitudo Militaris?

Fortitudo Militaris est, quæ militem, ob experientiam, & spem prædæ, in periculis adeundis reddit intrepidum.

Quid est Fortitudo Iracunda?

Fortitudo Iracunda est, cum ira, aut odio, ad pepericula subeunda impellimur.

Quid est Fortitudo Fiduciaria?

Fortitudo Fiduciaria est, cum, externorum præsidiorum fiducia freti, pericula aggredimur.

Quid est Fortitudo Inscia?

Fortitudo Inscia est, cum ideo periculis nos committimus, quia eorum magnitudinem ignoramus.

Quænam sunt Extrema Fortitudinis?

Extrema Fortitudinis sunt, in defectu Timiditas, in excessu Audacia.

Quid est Timiditas?

Timiditas, est vitium, in audendo deficiens.

Quid est Audacia?

Audacia, est vitium, in audendo modum excedens.

Quodnam est Officium veræ Fortitudinis?

Officium veræ Fortitudinis in eo positum est, ut intrepide adeantur, & constanter perferantur, cum alia, tum potissimum mala in Bello obvenire solita; habeaturq; accurata ratio, & aliarum circumstantiarum, & maxime finis, qui debet esse Patriæ, Parentum, Religionis, Libertatis, defensio & conservatio.

Licetne Viro Forti quandoq; adornare fugam?

Licet Viro forti quandoq; adornare fugam, si adsit extremus necessitatis casus, nec vel victoriæ consequendæ, vel vitæ aliter conservandæ spes affulgeat. Fortitudinis enim objectum non est periculum quod-

quodvis, ſed humana vi propulſabile; quale non eſt mors præſentiſſima, & ineluctabilis. Unde vir fortis non ideo pugnat, ut mortem oppetat ſimpliciter: ſed, ita intrepide pugnat, ut, ſi neceſſitas mori jubeat, fortiter id ſuſtineat.

Suntne αὐτόχειρες fortes dicendi?

Αὐτόχειρες minime fortes dicendi ſunt: non enim honeſtatem habent præfixam, ſed doloris evitationem; ſoloque tædio ærumnarum, & animi quadam mollitie, vitam ſibi abrumpunt. Quin nec cum Reip. utilitate, ſed injuria potius, facinus ipſorum eſt conjunctum; ac denique æternæ mortis ſubeunt periculum.

Suntne μονόμαχοι fortes dicendi?

Μονόμαχοι minime fortes dicendi ſunt: quia, contra leges a Magiſtratu ſancitas, lites obortas privatis duellis dirimere ſatagunt.

CAPUT VIII.
De Temperantia.

Quid eſt Temperantia?

TEmperantia, eſt virtus, ſervans mediocritatem, in expetendis fruendisq; voluptatibus, guſtum, & tactum afficientibus, ſuſtinendoq; eo dolore, qui ex abſentia voluptatum iſtarum naſcitur.

Quodnam eſt Objectum Temperantiæ?

Objectum Temperantiæ *Internum*, idque Primarium, eſt cupiditas cibi, potus, & rei genialis; atque hinc orta voluptas. Secundarium, eſt dolor, ex illorum ſubtractione ſecutus. *Externum*, ſunt ipſæ

ipsæ illæ res; quæ gulam, aut Venerem irritare possunt.

Quænam sunt Extrema Temperantiæ?

Extrema Temperantiæ, sunt in excessu Intemperantia, in defectu Stupiditas.

Quid est Intemperantia?

Intemperantia, est vitium, quo quævis tactus gustusve voluptates, citra honestatis rationem, immoderate appetuntur.

Quid est Stupiditas?

Stupiditas, est vitium, quo omnes promiscue voluptates, etiam honestas, & necessarias, aspernamur.

Quænam sunt Species Temperantiæ?

Temperantia, pro diversitate objectorum, dividitur in Frugalitatem, & Castitatem.

Quid est Frugalitas?

Frugalitas, est Temperantia, in capiendo nutrimento: estque vel Abstinentia, vel Sobrietas. *Abstinentia*, est frugalitas in cibo. Extrema sunt, in Excessu Voracitas; in Defectu, nimia a cibo abstinentia. *Sobrietas*, est frugalitas in potu. Excessus, est Ebriositas; Defectus, nimia a potu abstinentia.

Quid est Castitas?

Castitas, est temperantia, in moderanda Venere. Extremum in excessu, est Libido; In Defectu, est nimia rerum ad speciei conservationem necessariarum, præter, aut contra naturæ appetitionem, aversatio.

CA-

CAPUT IX.
De Liberalitate.

Quid est Liberalitas?

LIberalitas, est virtus moralis, in erogandis accipiendisque pecuniis modicis mediocritatem servans.

Quodnam est Objectum Liberalitatis?

Objectum Liberalitatis *Internum*, est cupiditas opum. *Externum*, sunt ipsa χρήματα, per quæ intelligi debent omnia, quorum pretium Numo æstimari potest; omniaque vitæ commoda, quæ ab homine in hominem derivari possunt.

Quænam sunt Extrema Liberalitatis?

Extremum Liberalitatis in Excessu, est Prodigalitas; in Defectu, Avaritia.

Quid est Prodigalitas?

Prodigalitas, est vitium, in dando modum excedens, ita, ut nec quantitas, nec qualitas, nec persona, nec locus, nec tempus observentur.

Quid est Avaritia?

Avaritia est, quæ in dando deficit, in accipiendo vero modum excedit, sine ullo respectu honestatis, & justitiæ.

Quænam sunt Species Liberalitatis?

Species Liberalitatis, sunt Beneficentia, Hospitalitas, Parsimonia, & Αὐτάρκεια, sive Sufficientia.

Quid est Beneficentia?

Beneficentia est, qua animus ad benefaciendum cuivis, malefaciendum nemini, commovetur. Ex-

trem-

trema ejus ſunt, Nimia profuſio; & Maleficentia, conjuncta cum invidia.

Quid eſt Hoſpitalitas?

Hoſpitalitas eſt, qua Peregrinos, & hoſpites, vera benevolentia, & officiis hoſpitalibus complectimur. Extrema ejus ſunt, Nimia in hoſpites propenſio; & Inhoſpitalitas.

Quid eſt Parſimonia?

Parſimonia eſt, quæ res proprias cuſtodit, utiliter collocat, vitatque ſumtus non neceſſarios; ſuo tamen tempore expendit. Habet fere eadem cum Liberalitate Extrema; niſi quod Prodigalitati magis adverſatur.

Quid eſt Αὐτάρκεια?

Αὐτάρκεια ſive Sufficientia eſt, quæ moderatur deſiderium opum & poſſeſſionum, ut ſcilicet præſentibus bonis contenti acquieſcamus. Exceſſus, eſt nimia habendi cupiditas; Defectus, omnis ſufficientiæ neglectus, & ignavia.

CAPUT X.

De Magnificentia.

Quid eſt Magnificentia?

MAgnificentia eſt virtus, in magnis ſumtibus faciendis mediocritatem ſervans.

Quomodo differt Magnificentia à Liberalitate?

Differt 1. *Objecto:* nam, cum Liberalitas ad omnes pecuniarias actiones ſe porrigat, Magnificentia ad ſumtuoſas tantum pertinet. Differt 2. *Officio,* quod

quod multo diverſum eſt ratione circumſtantiarum. Perſonæ enim hîc non niſi illuſtres eſſe debent, & vel in generis, vel officii ſpecula eminentes. Finis quoque proximus eſt potius ſplendor, & pompa operum publicorum, quam ſingulorum hominum commodum. Sed & 3. *Extrema* alia ſibi oppoſita habet Magnificentia, atque Liberalitas.

Quænam ſunt Extrema Magnificentiæ?

Extrema Magnificentiæ, ſunt in Exceſſu Luxus, in Defectu Sordities.

Quid eſt Luxus?

Luxus eſt vitium, in magnis ſumtibus erogandis modum excedens; uti cum non honeſtatis, dignitatis, vel neceſſitatis publicæ cauſa, ſed vanæ tantum jactantiæ, & oſtentationis gratia, magnificentia affectatur.

Quid eſt Sordities?

Sordities, eſt indecora parſimonia, qua, etiam quando honeſtas & neceſſitas efflagitat, præſente opum vi & copia, nihil in ſplendida, & luculenta opera erogamus, aut, ſi quid tandem fit, non niſi ægerrime & parciſſime præſtatur.

CAPUT XI.

De Magnanimitate.

Quid eſt Magnanimitas?

MAgnanimitas, eſt virtus, in magnis honoribus expetendis fugiendisque modum obſervans.

Quod-

Quodnam est Objectum Magnanimitatis?

Objectum Magnanimitatis *Internum*, est appetitio magnorum honorum. *Externum*, sunt ipsi Honores magni, & quicquid in quavis alia virtute magni & eximii eminet, unde splendor, & dignitas singularis agenti accedere potest.

Quodnam est Officium Magnanimi?

Officium Magnanimi est, in quovis vitæ genere & statu, in quavis fortuna, & occasione, ita magnis honoribus semper dignum se præstare, ut, cum Catone apud Sallustium, *quo minus gloriam petit, eo magis eam assequatur*: Honorem vero non recipiat, vel ab hominibus vilibus, vel ob res exiles, sed tantum a viris bonis, ob præclara, & luculenta facinora.

Quid est Honor?

Honor est præmium virtutis, tributum viro bono, a congruente ejus judice, ut illius virtus inclarescat, cæterique hoc exemplo ad virtutem excitentur.

Quænam sunt Extrema Magnanimitatis?

Extremum Magnanimitatis in Excessu, est Superbia, seu Fastus; in Defectu, Pusillanimitas.

Quid est Superbia?

Superbia, seu Fastus, est vitium, quo homines, virium suarum ignari, plus sibi virtutis, & honoris tribuunt, quam convenit, istamque vanitatem suam, ridiculo incessu, gestu, oratione, machinatione produnt.

Quid est Pusillanimitas?

Pusillanimitas, est animi quædam dejectio, qua homines dona sua agnoscere nolunt, &, dum honoribus

debi-

debitis indignos se judicant, virtutis materia & occasione se privant, & in pravitatis speciem incurrunt.

CAPUT XII.

De Modestia.

Quid est Modestia?

MOdestia est virtus, in modicis honoribus expetendis, vel fugiendis, mediocritatem servans.

Quodnam est Objectum Modestiæ?

Objectum Modestiæ, sunt honores mediocres, propter facta laudabilia, usitata, & quotidiana, hominibus mediocris conditionis collati.

Quænam sunt Extrema Modestiæ?

Extremum Modestiæ in Excessu, est Ambitio, in Defectu, *ἀφιλοτιμία*, sive honorum contemtus.

Quid est Ambitio?

Ambitio, est vitium, in modicis honoribus expetendis, modum excedens: dum iis, vel indebitis, vel justo avidius, vel mediis non convenientibus, uti largitione munerum, vi, calliditate, quis inhiat.

Quid est Ἀφιλοτιμία?

Ἀφιλοτιμία est vitium, in modicis honoribus expetendis deficiens; uti cum fugimus honores amplectendos, fugimusq; mediis illicitis, laborum prætendentes gravitatem, vel turpe quid committentes, quo indigni honoribus evadamus; vel denique media honesta negligentes, quæ ad honores perducunt.

CAPUT XIIII.

De Mansuetudine.

Quid est Mansuetudo?

MAnsuetudo est virtus, in ira, & hanc insequente vindicta exercenda, mediocritatem servans.

Quodnam est Objectum Mansuetudinis?

Objectum Mansuetudinis *Internum*, est Ira; *Externum*, sunt omnia mala, quæ iram prolicere solent: ut, injuria, damnum, ignominia, & similia.

Quodnam est Officium viri Mansueti?

Officium viri Mansueti est, ne temere irascatur, sed ut causas irascendi habeat graves: leviores enim, ex infirmitate, aut incogitantia lapsus, condonandi sunt. Deinde, finis iræ non debet esse vindicta, sed correctio. Denique, tantum irascendum, quantum proximi admittit incolumitas, & tui ipsius propria salus.

Quænam sunt Extrema Mansuetudinis?

Extrema Mansuetudinis sunt, in Excessu, Iracundia; in Defectu, Lenitudo.

Quid est Iracundia?

Iracundia est vitium, quo quis ex causa levicula vel injusta, supra modum irascitur, nec circumstantias, causas nempe, personas, modum, locum, & tempus, præ iræ fervore, secum expendit.

Quinam sunt Ordines Iracundiæ?

Ordines Iracundiæ, sunt Excandescentia, Amarulentia, & Crudelitas.

Quid est Excandescentia?

Excandescentia, est Iracundia, qua citius, quàm par est, irascimur, subitoq; placamur.

Quid est Amarulentia?

Amarulentia, est Iracundia, qua tardius quidem irascimur; sed semel irati, vix, nisi vindictam consecuti, placamur.

Quid est Crudelitas?

Crudelitas, est Iracundia nimis aspera, & pertinax, quæ non nisi extraordinaria placatur vindicta.

Quid est Lenitudo?

Lenitudo, est vitium, in irascendo deficiens: quando quis, ob nimiam patientiam, non irascitur iis de causis, quibus debebat, neque iis, adversus quos debebat.

CAPUT XIV.

De Virtutibus Homileticis, & in specie de Humanitate.

Quid sunt Virtutes Homileticæ?

Virtutes Homileticæ sunt, quæ in civili conversatione medium observant, ne alteri molestia creetur, sed, ut omnia suavitate, & morum elegantia, ac civilitate abundent.

Quot sunt Virtutes Homileticæ?

Virtutes Homileticæ sunt tres: Humanitas sive Comitas, Veracitas, & Urbanitas.

Quid eſt Humanitas?

Humanitas eſt virtus, in quotidiana converſatione mediocritatem ſervans, ne quis temere offendatur.

Quodnam eſt Objectum Humanitatis?

Objectum Humanitatis *Internum*, eſt naturalis inclinatio & cupiditas, ſuaviter cum aliis vivendi, & ſermones, ac res invicem communicandi. *Externum*, ſunt ipſi civiles congreſſus, & converſationes.

Quodnam eſt Officium Humanitatis?

Officium Humanitatis eſt, nemini temere moleſtiam faceſſere, ſed omnibus facilem ac jucundum ſe præbere, ita, ut unicuique pro ſua ætate, ſtatu, dignitate, tribuatur τὸ πρέπον, interdum etiam alter reprehendatur, ſi ita ſalus illius, vel etiam publica, poſtulet.

Quænam ſunt Extrema Humanitatis?

Extrema Humanitatis ſunt in Exceſſu, Adulatio; in Defectu, Moroſitas.

Quid eſt Adulatio?

Adulatio, ſeu nimium placendi ſtudium, eſt vitium, cum homines nulla habita ratione vel gravitatis, vel circumſtantiarum, omnia aliorum dicta, factaque promiſcue approbant, unde palpones, & plebicolæ audiunt: quod ſi idem faciant ſpe offæ, aut lucelli, dicuntur κόλακες, paraſiti, gnathones.

Quid eſt Moroſitas?

Moroſitas eſt vitium, cum homines auſteri a converſatione aliorum abhorrent, aut, ſi congrediantur, nec viſu faciles, nec dictu affabiles ſe præbent.

CA-

CAPUT XV.

De Veracitate.

Quid est Veracitas?

VEracitas, est virtus moralis, qua, quod corde sentimus, ore, gestu, factisq; profitemur.

Quodnam est Objectum Veracitatis?

Objectum Veracitatis *Internum*, est cupiditas naturalis communicandi cum aliis animi sensa. *Externum*, sunt verba, & quicquid eorum vice in prodendis animi sensis fungitur, sive gestus sit, sive nutus, sive vestitus, sive aliud quippiam.

Quodnam est Officium Veracitatis?

Officium Veracitatis est, verba aut signa rebus consona proferre, ut ratio habeatur honestatis, & salutis privatæ, ac publicæ,

Quid opponitur Veritati?

Veritati in genere opponitur Mendacium, quod triplex est; Jocosum, Officiosum, & Perniciosum.

Quid est Mendacium Jocosum?

Mendacium Jocosum est, quod in re non adeo magni momenti, vel jocandi, vel delectandi, vel docendi, non vero fallendi, aut nocendi causa suscipitur. Atque hoc, suo loco adhibitum, & gratum est, & omnis reprehensionis expers.

Quid est Mendacium Officiosum?

Mendacium Officiosum est, cum quis ad cavenda majora mala, quoddam non tam dicit mendacium, quam celat veritatem. Sive, quando quis falsum dicit, & simulat, quia id requirit Dei honor, vel salus publica, vel salus proximi, vel salus propria. Hoc

mendacii genus, non pro contrario, ſed temperamento veritatis, & prudentiæ accipiendum; ut ſignificet idem, ac non dicere omne verum, vel non dicere illis, quibus non obligaris, vel non dicere id, quod non obligaris. Hinc laudatur Jehu, qui, propter gloriam Dei, omnes Baaliticos Sacerdotes occiſurus, ingentem Religionis Baaliticæ zelum præ ſe tulit, 2. Reg. X. item Chuſai, qui propter ſalutem totius populi, ſimulabat ſe hoſtem Davidis, 2. Samuel. XVI. nec non Rahab, Exploratores abſcondens, Joſ. II. denique Obſtetrices Ægyptiacæ, quæ, propter ſalutem infantum Judaicorum, falſum dixerunt, Exod. I.

Quid eſt Mendacium Perniciosum?

Mendacium Perniciosum eſt, cum quis ex malitioſo corde, aliter quam ſcit, ac ſentit, loquitur, alium ut decipiat, in eo caſu, ubi veritas neceſſario eſt aperienda. Et hoc mendacium directe opponitur Veritati, ac in Exceſſu dicitur Arrogantia, in Defectu, Diſſimulatio.

Quid eſt Arrogantia?

Arrogantia eſt Mendacium, quo homines ea ſibi, aut aliis ineſſe fingunt, quæ non inſunt, aut, quæ inſunt, in majus extollunt.

Quid eſt Diſſimulatio?

Diſſimulatio eſt Mendacium, quo bona aut mala nobis aliisve inexiſtentia, vel prorſus ineſſe negamus, vel nimis extenuamus.

Quid comprehenditur ſub Veracitate?

Sub Veracitate, velut pars poteſtativa, comprehenditur Taciturnitas.

Quid

Quid est Taciturnitas?

Taciturnitas est virtus moralis, qua linguam frænamus, ne temere effutiantur, quæ honestius celantur.

Quænam sunt Extrema Taciturnitatis?

Extremum Taciturnitatis in Excessu, est Garrulitas sive Loquacitas; in Defectu, Intempestivum Silentium.

Quid est Garrulitas?

Garrulitas sive Loquacitas, est vitium, in loquendo modum excedens, & tacendo deficiens.

Quid est Intempestivum Silentium?

Intempestivum Silentium, est vitium, in loquendo deficiens, & tacendo modum excedens.

CAPUT XVI.

De Vrbanitate.

Quid est Vrbanitas?

VRbanitas est virtus moralis, servans mediocritatem, in proferendis, aut audiendis festivis jocis, & salibus.

Quodnam est Objectum Vrbanitatis?

Objectum Vrbanitatis *Internum*, est naturalis ingeniose jocos fingendi inclinatio. *Externum*, sunt ipsi sales, & facetiæ, ad oblectandum compositæ.

Quodnam est Officium Vrbanitatis?

Officium Vrbanitatis est duplex; unum *Primarium*, in eo consistens, ut tempestive, & ita joci in medium proferantur, quo ratio habeatur personarum, locorum, temporis, præcipue autem finis, qui

esse honesta, atque ab obscœnitate, levitate, & dicacitate remota oblectatio. Alterum *Secundarium*, quod, in jocis honestis patienter audiendis, spectatur.

Quænam sunt Extrema Vrbanitatis?

Extremum Vrbanitatis in Excessu, est Scurrilitas, in Defectu, Rusticitas.

Quid est Scurrilitas?

Scurrilitas est vitium, quo homines, nulla habita ratione honestatis, etiam loco, ac tempore alieno, nec sine offensa audientium, captant risum.

Quid est Rusticitas?

Rusticitas, est vitium, quo homines ita inficeto, sive per naturam, sive per assuefactionem, sunt ingenio, ut nec ipsi jocari, nec alios dicteriis lepidis ludentes ferre queant.

CAPVT XVII.

De Justitia & Jure.

Quid est Justitia?

JVstitia est virtus, qua homines sunt idonei, ad ea, quæ justa sunt, eademque agunt, & volunt.

Quotuplex est Justitia?

Justitia est duplex: Vniversalis, & Particularis.

Quid est Justitia Vniversalis?

Justitia Vniversalis est virtus, qua omnibus legibus, ad politicam societatis conservationem, obedientia præstatur. Atque hæc Justitia non tam virtus est, quam complexus omnium virtutum moralium, quatenus

tenus ea præstat, quæ legibus civilibus sunt sancita; leges autem præcipiunt de omni virtute.

Quid opponitur Justitiæ Universali?

Justitiæ Universali opponitur Injustitia universalis, qua homines, effractis legum repagulis, quævis scelera designare, & privatam pariter ac publicam utilitatem turbare non erubescunt.

Quid est Justitia Particularis?

Justitia Particularis est virtus, qua, tam in rerum distributione, quam in commutatione, & contractibus, omnibusque in rebus, in quibus injuria cuiquam fieri potest, homo ita se gerit, ut nec de externis bonis plus sibi vindicet, & minus alteri relinquat, nec de malis, oneribus, & pœnis, minus sibi, & alteri plus quam par est, tribuat.

Quæ sunt Extrema Justitiæ Particularis?

Quia in Justitia Particulari utrumque extremorum, plus scilicet, & minus, est in una eademque actione, & non tam medium rationis, quam rei hic observatur; ideo vitium & in Excessu, & in Defectu, unum nomen habet, Injustitiæ.

Quid est Injustitia Particularis?

Injustitia Particularis, est vitium, in distribuendis, commutandisque rebus externis, modum violans.

Quotuplex est Justitia Particularis?

Justitia Particularis est duplex: Distributiva, vel Commutativa.

Quid est Justitia Distributiva?

Justitia Distributiva est, quæ in distribuendis præmiis, oneribusque, secundum proportionem Geo-

metricam, æqualitatem ſervat, habita ratione & perſonarum, & rerum. Non enim omnes accipiunt idem ſimpliciter, ſed idem proportione, ſeu ſecundum quid. Maximo enim cuique plurimum debetur; & in oneroſis, validiori plus oneris imponendum eſt.

Quid eſt Juſtitia Commutativa?

Juſtitia Commutativa, quæ Grotio Expletrix dicitur, eſt, quæ ſecundum proportionem Arithmeticam, in commutatione rerum, & contractibus, eam ſervat æqualitatem, ut quisque ſuum conſequatur. Pertinent enim huc res omnes, in quas juris aliquid eſt alicui, alio quam publico nomine. Commutationes autem, & contractus, late hic ſumuntur, ut non tantum veros contractus, & quaſi contractus, ſed omnes obligationes comprehendant, tam quæ ex delictis, quam quæ ex quaſi delictis originem trahunt.

Quid eſt Proportio Geometrica?

Proportio Geometrica eſt, cum æqualitas ſpectatur rerum non omnimoda, ſed ad perſonas relata. Sic ſi præda, hoſti erepta, inter milites benemeritos ſit diſtribuenda, non in æquales partes facienda eſt diſtributio. Sed, pro qualitate perſonarum, quoto dignitatis gradu Centurio ſuperat Signiferum, toto etiam gradu pars prædæ, Centurioni aſſignata, partem Signifero tributam, ſuperabit, & ſic deinceps. Eadem ratione, quo quis in Rep. eſt opulentior, eo etiam onus portabit majus, ac difficilius.

Quid eſt Proportio Arithmetica?

Proportio Arithmetica eſt, cum citra reſpectum perſonarum, nuda, ſimplex, & omnimoda rerum ſpecta-

ſpectatur æqualitas, ſive id, quod cuique debetur ratione contractus, rerumque commutandarum. Sic in emtione & venditione, inter merces, ac pretium quod perſolvitur, omnimoda obſervanda eſt æqualitas, inſuper habita perſonarum qualitate, aut dignitate.

Quid eſt Pœna?

Pœna eſt malum, quod intuitu antegreſſi delicti, per modum coactionis, & pro imperio alicui infligitur, in vitæ civilis ſecuritatem, emendationem ejus, qui deliquit, & ut alii hoc exemplo deterreantur, ac cautius mercari diſcant. Vnde Seneca l. 1. de Clem. c. 22. *In vindicandis injuriis hæc tria Lex ſecuta eſt, quæ Princeps ſequi debet: ut aut eum, quem punit, emendet; aut, ut pœna ejus cæteros meliores reddat; aut, ut ſublatis malis, cæteri ſecuriores vivant.*

Quæ Proportio obſervatur in infligendis pœnis?

Pœnæ pertinent ad Juſtitiam Commutativam, non Diſtributivam, in iisque obſervatur Proportio Arithmetica. Pœnæ enim non ſunt aliquid, quod diſtribui poſſit, quia nihil diſtribuitur, niſi quod commune eſt: Pœnæ autem non ſunt aliquid commune. Deinde, quicquid diſtribuitur, id confertur, aut imponitur ideo, quia quis pars civitatis eſt. At nemo punitur, quia civis eſt. Sic in diſtributione omnibus portio cedit; in pœnis, nunquam. Quod ſi Geometrica proportio in pœnis valeret, tum Nobilis ſeverius, ſervus mitius puniendus eſſet: quia majori majus, minori minus convenit in diſtributione præmiorum, & onerum. Adde, quod in diſtributione etiam juſta, fieri poteſt, ut aliquis minus conſequatur,

quam

quam meritus eſt: Sed, pœnæ pro meritis irrogantur. Manet interim proportio Arithmetica, etiam cum Nobiles mitius puniri dicuntur, (in criminibus nempe ex imbecillitate humana profectis) quam alii. Vel enim minus peccaverunt, vel pœna, quæ mitior videtur, illis æque gravis eſt; perſona enim hic per accidens ſpectatur.

Enim vero, extat alia non inelegans, & ſcita ſententia, quæ Pœnarum irrogationem, nec ad Juſtitiam Diſtributivam, nec Commutativam refert, ſed ad Juſtitiam Vniverſalem, hoc eſt illum Juſtitiæ actum, qui leges ac ſalutem publicam cuſtodit, & tuetur, vitia exſtirpat, communem felicitatem obſequio civium proborum, malorum vero & contumacium coërcitione, promovet; quod quidem Juſtitiæ Vniverſalis munus eſſe, nemo diffitebitur.

Quid eſt Jus?

Jus eſt, quod in uſum ſocietatis humanæ recta ratio præſcribit.

Quotuplex eſt Jus?

Jus eſt triplex: Naturale, Gentium, & Civile.

Quid eſt Jus Naturale?

Jus Naturale, eſt dictátum rectæ rationis, indicans actui alicui, ex ejus convenientia, aut disconvenientia cum ipſa natura rationali, ineſſe moralem turpitudinem, aut neceſſitatem moralem, ac conſequenter, ab auctore naturæ Deo, talem actum aut vetari, aut præcipi. Huc pertinent principia practica nobiſcum nata: Honeſte eſſe vivendum, Neminem eſſe lædendum; &, Suum cuique eſſe tribuendum.

Quid est Jus Gentium?

Jus Gentium est, quod gentium omnium, aut multarum consensu, vim obligandi accepit. Gentes enim sibi Jus quoddam per ratiocinationem sive modum conclusionis, in respectu ad civilem societatem, constituerunt. Ab hoc Jure descendunt Dominiorum distinctiones, Bella, Induciæ, Contractus, immunitas Legatorum.

Quid est Jus Civile?

Jus Civile est, quod quisque populus sibi constituit, non per viam conclusionis, sed per determinationem generalis principii ad casus speciales. Hinc obligatio Juris positivi oritur a præcepto & voluntate præcipientis; at, obligatio naturalis, oritur ex natura objecti; quæ enim Juris naturalis sunt, prohibita sunt, quia mala; neutiquam vero ideo tantum mala sunt, quia prohibentur.

Quid subjicitur Juri?

Juri subjicitur Æquitas, quæ est moderata & benigna Juris interpretatio, ejusque emendatio, ea parte, qua deficit. Ei hinc opponitur συκοφαντία, Calumnia JCtis dicta, quæ est malitiosa & nimis mitis Legis interpretatio. Inde, ei opponitur ἀκριβοδίκαιον, jus strictum, quod summa sæpe injuria existere solet.

Quid opponitur ipsi Juri?

Ipsi Juri opponitur Injuria, quæ est damnum, invito alteri illatum, præter meritum, a volente, & sciente singulas actionis circumstantias.

Quid est Jus Talionis?

Jus Talionis, Græcis τὸ ἀντιπεπονθὸς, est, cum quis id vicissim patitur, quod alteri fecit.

Habetne Jus Talionis locum?

Jus Talionis, præcise consideratum, in neutra Justitiæ particularis specie locum invenit. Non in Distributiva; nec enim fieri potest, ut patiatur quis eadem, quæ in Rempubl. contulit. Nec in Commutativa; quia non semper simpliciter æqualium rerum fieri potest commutatio, & quia indigentia humana in contractibus omnia ponderat.

Quis est Executor Justitiæ?

Executor Justitiæ cum Distributivæ, tum Commutativæ, est Judex, qui nihil ex arbitrio facere, sed secundum Leges, & jura pronunciare debet: vel, si non satis perspicua, & ambigua Lex sit, ex mente & sententia totius Legis ferenda est sententia.

Debetne Judex judicare secundum acta & probata, an vero secundum Conscientiam?

Quod si per Conscientiam intelligatur certissima & explorata scientia, (in dubio enim, & ubi de facto Judex incertus est, ab actis recedere non debet) judici secundum illam judicandum est. Debet enim Judex ex animi sententia judicare, l. 3. ff. *de testib.* & innocentem non condemnare, Exod. XXIII. Id quod tamen de Judice superiore intelligendum. Inferior enim, a quo appellari potest, si contra acta, secundum conscientiam, pronunciat, non bene innocenti prospicit; quia Judex Appellationis actorum fidem est sequuturus. Proinde commodius erit, si a judi-

cio

ctio abſtineat, ſuoque jure ſalvo, cauſam hanc ad Superiorem remittat, ut ita, coram illo, veritatis & innocentiæ accuſati teſtimonium, majori ſpe atque fiducia perhibere poſſit, & innocentem fortaſſis ſervare.

CAPUT XVIII.

De Virtutibus Intellectualibus.

Quid ſunt Virtutes Intellectuales?

VIrtutes Intellectuales, ſunt habitus animi, quibus anima verum enunciat, affirmando, aut negando.

Quot ſunt Virtutes Intellectuales?

Virtutes Intellectuales ſunt quinque: Intelligentia, Scientia, Sapientia, Ars, & Prudentia. Harum tres priores ſunt *Speculativæ*, quia res neceſſarias cognitionis gratia inveſtigant: duæ poſteriores ſunt *Practicæ*, quia ad actiones ordinantur.

Quid eſt Intelligentia?

Intelligentia, eſt habitus mentis, quo principia ſcientiarum, ſive theoretica, ſive practica, promtius & perfectius cognoſcuntur.

Quid eſt Scientia?

Scientia eſt habitus mentis, quo demonſtramus aliquid ex neceſſariis principiis, idque ope Syllogiſmi apodictici, ſeu demonſtrativi.

Quid eſt Sapientia?

Sapientia eſt habitus mentis, ex ſcientia, & intelligentia natus, & quo non tantum principia, ſed inde quoq; deductas concluſiones cognoſcimus.

Quid

Quid est Ars?

Ars est habitus mentis, cum recta ratione effectivus. Proinde omnes Artes 1. edunt opus in sensus incurrens. 2. membris corporis, tanquam instrumentis, utuntur, ad perficiendum opus necessariis. 3. circa certum & determinatum versantur objectum.

Quid est Prudentia?

Prudentia est habitus mentis, qui bona a malis, utilia a noxiis discernit, expetenda ac fugienda præscribit, vitamque totam moderatur.

Quotuplex est Prudentia?

Prudentia alia est *Privata*, qua quis sibi tantum, suisque commodis consulit; alia *Publica*: eaque dividitur in *Legislatoriam*, quæ leges prudenter, & accommodate ad salutem Civium præscribit: *Consultatricem*, qua de iis, quæ ad boni publici conservationem pertinent, deliberatur: & *Judiciariam*, quæ in dijudicandis controversiis forensibus, & obeundis judiciis, occupatur.

Quinam sunt Prudentiæ habitus administri?

Prudentiæ habitus administri, sunt Ευβουλία, Σύνεσις, & Γνώμη.

Quid est Ευβουλία?

Ευβουλία, Bona Consultatio, est consilii quædam rectitudo, qua media idonea & honesta ad bonum finem, prout res postulat, invenimus.

Quid est Σύνεσις?

Σύνεσις, Sagacitas seu perspicax intelligentia, est, qua dextre, & prudenter percipimus & dijudicamus quæ ab aliis viris prudentibus sunt constituta.

Quid

Quid est Γνώμη?

Γνώμη Sententia, est facultas, qua viri æqui & boni, de aliorum dictis & factis mitius & benignius sentiunt.

CAPUT XIX.

De Virtute Heroica.

Quid est Virtus Heroica?

VIrtus Heroica, est habitus animi, cum quadam virtutis moralis eminentia & splendore conjunctus, quo talia patrantur facta, quæ, Divina gubernatione, ad illustrem aliquem finem diriguntur, aut certe Divina ope, & præclarius, quam vulgares hominum vires ferant, geri existimantur. Distinguendum autem accurate est, inter *Virtutem Heroicam*, & *Motum Heroicum.* Illa, non potest abesse a probitate morum; hunc, sæpe abesse ab eadem, exempla multorum stupendis factis celebrium virorum testantur.

Quænam sunt Virtutis Heroicæ Extrema?

Virtutis Heroicæ Extremum in Excessu, est Feritas seu Bestialitas; in Defectu, summa & extraordinaria Ignavia.

Quid est Feritas?

Feritas seu Bestialitas, est vitium morale extraordinarium, quo homo, summa ac nefanda vitiorum turpitudine, in belluam fere degenerat.

Quid est summa Ignavia?

Summa Ignavia, est vitium morale extraordinarium, quo homo ab honesta virtutis actione plane abhorret.

CAPUT XX.

De Virtutibus Imperfectis.

Quid sunt Virtutes Imperfectæ?

VIrtutes Imperfectæ, sunt Virtutes, nondum ad habitum perfectum perductæ: ac proinde, tot species earum constitui possunt, quot sunt virtutis perfectæ. Commode tamen omnes ad Continentiam, & Tolerantiam revocantur. Cum enim omnis Virtus moralis in Voluptatibus & Doloribus versetur, Continentia vero, & Tolerantia illud ipsum objectum exhauriant; Continentia enim circa Voluptates, Tolerantia circa Dolores occupatur: hinc non potest ipsa virtus perfecta latius patere.

Quid est Continentia?

Continentia, est virtus imperfecta, qua omnem inordinatum, imprimis alimenti & veneris appetitum, invitum ac reluctantem, rectæ rationi subjicimus.

Quænam sunt Extrema Continentiæ?

Continentiæ Excessus, est Incontinentia; Defectus nomine caret.

Quid est Incontinentia?

Incontinentia, est vitium imperfectum, quo quis quodammodo invitus, cum in aliis affectibus, tum præcipue in gula ac venere, modum excedit.

Quotuplex est Incontinentia?

Incontinentia est duplex: Præcipitantia, & Infirmitas.

Quid est Præcipitantia?

Præcipitantia est, qua, vehementiore affectu, subito ad peccandum abripimur.

Quid est Infirmitas?

Infirmitas est, qua pravis affectibus aliquandiu reluctati, tandem succumbimus.

Quis est Defectus Continentiæ?

Defectus Continentiæ, est nimia affectuum voluptatumq; fuga, & detestatio.

Quid est Tolerantia?

Tolerantia, est virtus imperfecta, qua res laboriosas, & adversas, cum dolore quodam, honestatis causa, perferimus.

Quænam sunt Extrema Tolerantiæ?

Tolerantiæ Extremum in Excessu, est Pertinacia; in Defectu, Mollities.

Quid est Pertinacia?

Pertinacia, est vitium, in perferendis quibusvis adversis, modum excedens.

Quid est Mollities?

Mollities, est vitium, in perferendis adversis deficiens.

CAPUT XXI.
De Amicitia.

Quid est Amicitia?

AMicitia, est mutua, & manifesta benevolentia, ex amabili aliquo bono, erga eos, qui amantur, concepta.

Estne Amicitia Virtus?

Amicitia aut est virtus quædam, aut cum virtute conjuncta: id est, plenius, & amabilius exercitium, virtutum cum aliarum, tum præcipue Homileticarum, inter notos, & familiares.

Quotuplex eſt Amicitia?

Amicitia principio, alia eſt Illaudabilis, alia Laudabilis. *Illaudabilis* eſt, quam mali fines, & mala media conciliant: ut ſunt conſpirationes latronum, & furum. *Laudabilis* eſt, quam jungunt media ſuo modo licita, & fines honeſti.

Quotuplex eſt Amicitia Laudabilis?

Amicitia Laudabilis, pro reſpectu triplicis boni, Honeſti nimirum, Vtilis, & Jucundi, triplex eſt: *Honeſta*, quæ propter Honeſtatem; *Vtilis*, quæ commodi percipiendi cauſa; *Jucunda*, quæ ob ſuavitatem converſationis initur. Ex his tamen Amicitiæ ſpeciebus, ea ſola vere nuncupanda eſt Amicitia, quæ ad vere bonum, quod honeſtum eſt, adſpirat: in fine enim honeſto, vere utile & jucundum includitur; utile vero, & jucundum, ſeorſim, ſine honeſto, conſiſtere nequeunt. Dum enim ab hoc ſejunguntur, non ſunt vere bona, imo nec utilia, aut jucunda; ſed nobis tantum, ob depravationem, videntur talia.

Quid eſt Honeſta Amicitia?

Honeſta Amicitia, eſt proborum hominum mutuus, confirmatusq; amor, ex virtute conſurgens, ad vitæ honeſtæ conjunctionem perducens.

Quænam ſunt Extrema Amicitiæ?

Extrema Amicitiæ per analogiam dari poſſunt: eſtque in Exceſſu ὑπερφιλία, inſanus amor, quo in gratiam Amici quis nihil non tentare audet, etſi honeſtatem violat. In Defectu, Μισανθρωπία, fuga hominum, & converſationis averſatio.

SYNO-

SYNOPSIS
OECONOMICÆ.

SYNOPSIS OECONOMICÆ.

CAPUT I.

De Oeconomicæ Natura.

Quid eſt Oeconomica?

OEconomica eſt prudentia, recte gubernandæ familiæ.

Quodnam eſt Objectum Oeconomicæ?

Objectum Oeconomicæ, eſt Domus, ſive Familia.

Quid eſt Familia?

Familia, eſt Societas hominum, ejusdem Patrisfamilias imperio ſubditorum.

Quis eſt Finis Oeconomicæ?

Finis Oeconomicæ, eſt recta gubernatio Familiæ. Atque hic finis ſubordinatur alii fini ulteriori, & perfectiori, qui eſt Felicitas Reipublicæ. Nam, familia per ſe non poteſt eſſe beata, ſed tantum in Republica bene conſtituta.

Quænam ſunt Partes Oeconomicæ?

Partes Oeconomicæ ſunt duæ: quarum prima agit de *Perſonis*, ex quibus Familia conſtat. Altera agit de *Rebus*, quæ ad conſtitutionem ac conſervationem Domeſticæ Societatis ſunt neceſſariæ.

CA-

CAPVT II.

De Patrefamilias.

Quid est Paterfamilias.

PAterfamilias eſt caput familiæ, ejusque nutu atque arbitrio omnia familiæ membra conjunguntur, atque reguntur.

Quæ ſunt Requiſita Patrisfamilias?

Requiſita Patrisfamilias ſunt: 1. ut ipſe ſit vir bonus, & Domeſticis ſuis virtutem diligenter commendet. 2. Vt omnes Domeſticos obſequentes ſibi habeat, atque morigeros. 3. Singulis Domeſticis præſcribere debet, quid agendum ſit; debetq; operi adeſſe, illud impellere, ſuoque conſilio, & auxilio, promovere. 4. Convenit, ut malos, & officio non fungentes puniat; bonos, ac diligentes, laude, & præmiis afficiat. 5. Omnia Domeſticis parare debet, quæ uſibus illorum inſerviunt; eaque prudenter inter ipſos diſtribuenda ſunt. 6. Induſtrium ſe præſtare debet in acquirendis opibus, quæ ad felicitatem familiæ neceſſariæ ſunt, iisque non prodige, ſed liberaliter utendum eſt. 7. Omnia referre debet in tabulas, ut de acceptorum atque expenſarum ratione perpetuo conſtet. 8. Denique neceſſe eſt, ut Domus ſuæ regimen dirigat ad utilitatem publicam.

CAPUT III.

De Societate Conjugali.

Quot ſunt Societates in Familia perfecta?

IN Familia perfecta *tres* ſunt Societates: *Una* inter Maritum, & Uxorem, quæ dicitur *Societas Conjugalis*: *Altera*, inter Parentes, & Liberos, quæ dicitur *Societas Paterna*: *Tertia*, inter Dominum & Servos, quæ dicitur *Societas Herilis*.

Unde oritur Societas Conjugalis?

Societas Conjugalis oritur ex Conjugio.

Quid eſt Conjugium?

Conjugium eſt Societas naturalis, maris ac fœminæ, in humano genere, ad liberorum procreationem, mutuum auxilium, & vagæ libidinis coërcitionem, legitime inſtituta.

Quare Conjugium dicitur Societas naturalis?

Omnis quidem humana Societas a natura eſt: eſt enim homo natura animal ſociabile, ob eamque cauſam illi datus eſt ſermo. Omnium tamen Societatum maxime naturalis, eſt Societas conjugalis. Etenim procedit a naturali deſiderio genus ſuum per poſteros propagandi, & ab interitu vindicandi. Nam, cum viventia, propter fragilitatem materiæ, non poſſint æternum vivere, effecit Natura, ut perpetua ſucceſſione ſeſe renovarent. Atque ob eam rem, ſexus diſcrimen Natura quoque ordinavit.

Quæ-

Quænam sunt observanda in Conjugio contrahendo?

Quamvis Conjugium sit a natura; modus tamen Conjugii certis legibus a cultioribus gentibus est circumscriptus, ne sit vagus, ac belluarum more promiscuus concubitus. Sunt autem Leges, vel *communes* utrique sexui, vel unicuique *peculiares*.

Quæ sunt Leges Conjugii utriq; sexui communes?

Leges Conjugii utrique sexui communes, sunt: 1. ut Conjugium non ineatur nisi inter duos, marem, & fœminam, eosque non nimis arcto sanguinis, aut affinitatis vinculo junctos. 2. ut Conjugium sit castum, atque perenne; ita ut nonnisi ob atrocissima scelera dissolvatur. 3. ut conjugium sit concors, & tranquillum.

Quæ sunt Leges Speciales Mariti?

Maritus, *in eligenda Vxore*, majorem pietatis, ac probitatis, quam formæ, & dotis rationem habere debet. *In Vxore regenda*, se quidem superiorem, sed tamen fœminam sibi sociam esse cogitare debet. Proinde prudenti potius persuasione, lenique admonitione, quam vel verborum acrimonia, vel verberum sævitia, in officio Vxor continenda est.

Quæ sunt Leges Speciales Vxoris?

Vxor maritum, tanquam superiorem, & prudentiorem, suspicere, atque ad ejus voluntatem, quantum per pietatem licet, se, moresque suos componere debet.

Estne Polygamia licita?

Polygamia Successiva, & per analogiam sic dicta, qua scilicet quis, priore uxore demortua, vel legitime separata, aliam sibi copulat, concessa est; idque demonstrant tum natura Conjugii, tum verba Apostoli, 1. Cor. VII. 39. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit. Quod si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult nubat: tantum in Domino.* Item 1. Tim. V. 14. *Volo ergo juniores* (viduas) *nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia.* Cæterum, *Simultanea Polygamia*, sive duarum, vel plurium uxorum & virorum, uno eodemque tempore, in thoro conjugali cohabitatio, omnino est prohibita. Hæc enim pugnat *cum primæva conjugii institutione*, Gen. II. 22. quæ, secundum Christi interpretationem, Matth. XIX. 5. Marc. X. 8. requirit, *ut duo sint in carne una.* Deinde, *cum lege naturæ* quoque pugnat hæc Polygamia, quæ non patitur, ut, quod unius est, rapiatur, & alteri tribuatur: corpus autem Mariti uxoris est; alteri ergo tradi nequit.

CAPUT IV.

De Societate Paterna.

Quid est Societas Paterna?

Ex Societate Conjugali pronascitur Societas Paterna, tanquam fructus, quæ *est inter parentes, & liberos*; ut sibi invicem prodesse, liberi autem bene educati, ad civilem vitam apti evadere queant.

Quæ

Quæ sunt Parentum Generalia Officia erga Liberos?

Parentum erga Liberos Officia generalia sunt tria: Liberos procreare; deinde eosdem educare; tandemque eos ad honestum vitæ genus applicare.

Quid est Patria Potestas?

Patria Potestas consistit in eo, ut 1. liberi sui juris non sint. 2. Vt pater castigandi liberos potestatem habeat, ita tamen, ut intra terminos paternæ castigationis illa subsistat, nec ad jus vitæ, & necis se extendat: cum liberi dicantur partes parentum, non tam fictione juris civilis, quam natura, & rei veritate. 3. Vt, quodcunque acquirit filius, acquirat patri, nisi hujus voluntas aliud statuat. 4. De jure civili veteri, fuit potestas patria sita in abdicatione liberorum, h. e. in ejectione e domo, & familia. 5. Competit quoque parenti exheredatio; ad quam Justinianus Nov. 115. *ingratitudinem*, si probata fuerit, sufficere declarat.

Quænam sunt Liberorum erga Parentes Officia?

Liberorum erga Parentes Officium in eo consistit, ut 1. Parentes ament, & obsequium illis præstent. 2. Vt eosdem juvent, &, si necesse fuerit, illos sustentent.

Quamdiu durat Patria Potestas?

Imperium paternum non est perpetuum, sed finem consequitur, quando liberi similes Parentum evadunt: quod tum fit, cum ipsi, & se, & familiam suam in legitimo conjugio, cum consensu parentum inito, regere possint, & e patria potestate dimissi sunt.

CA-

CAPUT V.

De Societate Herili.

Quid est Societas Herilis?

SOcietas Herilis eſt, quæ intercedit inter Dominum & Servum, bene vivendi cauſa inſtituta.

Quid eſt Servus?

Servus eſt homo, alterius poteſtati ſubjectus, vim habens inſtrumenti activi, ad ea miniſterio corporis exequenda, quæ Dominus imperat, quique, quia ipſe in poſſeſſione eſt, nihil habere, aut poſſidere poteſt; ſed, quicquid acquirit, Domino acquirit ſuo.

Quot modis fiunt Servi?

Natura ſæpe homines procreat tam bardos ſtupidosque, ut ſibi ipſis de victu, & ſalute proſpicere non poſſint; atque hos Philoſophi vocant Natura Servos. Alias Servi fiunt 1. *Captivitate.* Jure enim victos hoſtes, utpote mortem quærentes, victores necare poterant. Sed hoc ſtrictum jus, æquitate quadam, olim in ſervitutem permutarunt, quæ iterum redemtione pecuniaria apud Chriſtianos ſublata. 2. Fiunt ſervi *Neceſſitate*, qua coacti, in ſervitutem ſeſe vendere coguntur homines, Gen. XLVII. 3. *Nativitate*, & quidem illi jure civili, qui matre ſerva editi. 4. *Pœna.*

Quæ eſt Poteſtas Dominorum in Servos?

Servorum apud Veteres miſerrima erat conditio, & poteſtas Domino in infinitum concedebatur, ita ut ad jus vitæ & necis ſeſe porrigeret. Inſpectione tamen curaque Magiſtratuum, paulatim mitigatum eſt

est hoc jus, & ad æquitatem naturalem redactum. Sub Christianis denique Imperatoribus, Seculo, ut Bodinus putat, XIII. plane evanuit. Nunc enim fere tantum servi ex contractu reperiuntur, qui liberi existentes, pacta mercede, alterius imperio ad certum tempus se subjiciunt.

Quænam Domini sunt Officia erga Servos?

Domini Officia sunt, Servos bene eligere; iis operas prudenter, & pro cujusque viribus, partiri; disciplina nec laxa, nec nimis adstricta eos regere; promissam illis mercedem exsolvere; necessitates & commoda eorum non negligere; adeoque non metu tantum, sed & amore herilis imperii eos imbuere.

Quænam Servorum sunt Officia erga Dominos?

Servorum Officia sunt, ut Dominis pareant, omniaque, quæ illis à Dominis honeste injunguntur, diligenter & fideliter exequantur, inque omnibus suis actionibus respiciant commodum, & honorem Dominorum.

CAPUT VI.

De Familia Imperfecta.

Quid est Familia Imperfecta?

FAmilia Imperfecta est, in qua una aut plures Societates desiderantur.

Quæ sunt Species Familiæ Imperfectæ?

Familiæ Imperfectæ Species *Una est*, in qua deest Paterfamilias; atque hæc omnium maxime mutila cen-

censenda, & est quasi quædam Anarchia. Difficulter enim Vidua eam potest habere autoritatem, ut omnia familiæ membra contineat in officio. *Altera Species est*, ubi Viduus imperat: hic enim non magna ratio haberi potest liberorum non adultorum, nec earum rerum, quæ ad internum Domus regimen pertinent. *Tertia* imperfectio est in familia sterili. Nam liberi conjugalis amoris pignora sunt, heredes domesticæ possessionis, & maximum senectutis solatium. *Quarta* imperfectio est in ea familia, in qua præ paupertate desiderantur servi, & ubi quisque sibi pro servo est. *Quinta* imperfectio familiæ est, cum cælibes Domum instruunt, omniaque munera domestica aut per se exequuntur, aut ad eam rem utuntur Servorum ac Ancillarum ministerio.

CAPUT VII.

De Variis generibus Possessionum, & acquirenda Possessione.

Quot sunt Genera Possessionum?

POssessiones, quæ ad degendum commode in domestica societate sunt necessariæ, dividuntur in Animatas, & Inanimatas. *Animatæ*, sunt pecudes, & veteri jure etiam servi, quorum simulacra in adscriptitiis glebæ, hominibus propriis, & iis, quos Galli Manus mortuas vocant, alicubi reperiuntur. *Inanimis* possessio, est vel Naturalis, vel Artificialis. Inter *Naturales* possessiones primas tenent, Fundi, Agri, Vineæ, Piscinæ, Lacus, Fodinæ metallicæ: Et secundas tenent fructus, qui hinc percipiuntur, nempe Frumentum, Legumina, Poma, Pisces, &c. Inter pos-

possessiones *Artificiales*, primum locum tenet Domus; secundum, varia supellectilis genera, quæ vel ad necessitatem faciunt, vel ad commoditatem, vel ad splendorem. His accedunt Arma, Libri, Pecunia.

Quotuplex est modus Possessiones legitime acquirendi?

Modus Possessiones legitime acquirendi, *est triplex:* Naturalis, Artificialis, & Neuter.

Quænam est Acquisitio Naturalis?

Acquisitio Naturalis est, quam natura, urgente necessitate, ad victum acquirendum docuit; quales sunt, Pastoritia, Venatio, Agricultura, Metallica, Lignaria, & Permutatio.

Quænam est Acquisitio Artificialis?

Acquisitio Attificialis est, quæ ad arbitrium, & industriam hominum propius accedit, quam ad naturæ providentiam. Atque hæc est, vel Privata, vel Publica. *Acquisitio privata* dicitur, qua aliquid acquiritur ex privatis rebus, estque vel Mercatura, vel Numularia, vel Operaria, vel Cauponaria. *Ex publico* acquirunt, qui operam suam publico locant, uti Milites in bello; in pace Consiliarii, Professores, Personæ Ecclesiasticæ.

Quænam est Acquisitio Neutra?

Acquisitio Neutra est, quæ neque Naturalis est, neque Artificialis, sed aliunde a fortuna provenit. Huc pertinet hereditas, donatio, inventio thesauri: item certamen de rebus dubiis, deposito pignore; ac deniq; lusus.

CA-

CAPVT VIII.
De Vſu Poſſeſſionis.

Quomodo Rebus quæſitis utendum eſt?

REbus quæſitis utendum eſt, primo ad neceſſitatem; deinde ad delectationem; deniq; ad ſplendorem. Caveat interim paterfamilias, ne impenſæ majores ſint, quam reditus, & videat, ut ſumptibus quid detrahi poſſit, ſine incommodo rei domeſticæ.

Annon conſultum foret, communionem & Vxorum, & Bonorum in Republ. introducere?

Minime conſultum foret, communionem & Vxorum, & bonorum in Republ. introducere. *Communio* enim *Vxorum* ſtorgas, quas hominibus impreſſit natura, delet, & tollit; quia omne parentum & liberorum diſcrimen aufert. *Communio* vero *bonorum* pugnat cum utili ſeu commodo; ſiquidem fieri non poteſt, poſita generis humani corruptione, ut pacifice, ordinate & diligenter res adminiſtrentur, niſi unusquisque rerum ſuarum curam ſuſcipiat. Jure quidem creationis, & naturæ, bona actu non fuerunt diviſa: ſed tamen, quia jus illud eſt indifferens ad communionem, & diviſionem, permiſſum erat, ut dividerentur, ſi idipſum generi humano videretur expediens.

SYNO-

SYNOPSIS POLITICÆ.



SYNOPSIS POLITICÆ.

CAPUT I.

De Politica in Genere.

Unde Politica Nomen habet?

POlitica Nomen habet ἀπὸ τῆς πόλεως, a *Civitate*, quia in ea instituenda, regenda, & conservanda est occupata.

Quid est Politica?

Politica est prudentia, bene instituendi, & regendi Remp. ad obtinendam communem civium salutem.

Quibus Mediis paratur Prudentia Politica?

Media, quibus Prudentia Politica paratur, sunt præcipue quinque: 1. Visus, sive notitia humanarum rerum, ex visu, vel tractatu. 2. Historiarum cognitio. 3. Peregrinatio. 4. Conversatio cum Prudentibus, & Sapientibus. 5. Præcepta fideliter tradita & explicata. *Ornant Politicum* Eloquentia, studium exoticarum Linguarum, & peritia Geographiæ, ac Genealogiarum.

Quodnam est Objectum Politicæ?

Objectum Politicæ est Civitas, quæ, prout sine ordine consideratur, est objectum Politicæ materiale; prout vero consideratur, ut ordinem habet, seu ut ordinata est, objectum est formale, diciturque Respublica.

Quis

Quis est Finis Politicæ?

Finis Politicæ est beata civium vita: ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, & virtute honesta sit.

Quænam sunt Media ad hunc finem ducentia?

Media ad hunc finem ducentia duo sunt: Recta Reipublicæ constitutio, & bona ejusdem administratio.

CAPUT II.

De Civitate & Cive.

Quid est Civitas?

Civitas, est hominum multitudo, qui congrediuntur, boni civilis consequendi causa.

Quomodo differunt Civitas & Respublica?

Civitas notat ipsum cœtum, juris fruendi causa sociatum. At, Respublica, cœtus illius ordinem, legibus descriptum, innuit.

Quæ est Causa efficiens Civitatis?

Pendet Respublica à Deo imprimis: quia 1. inclinationem ad Civilem Societatem hominum naturæ insevit: & 2. honestos cœtus protegit ac defendit. Proxime pendet a voluntate, & consensu mutuo hominum, in unam Civitatem coëuntium.

Quis est Finis Civitatis?

Finis Civitatis est, commode, & honeste vivere: Est autem commode vivere, earum, quæ ad neces-

ſarium vitæ uſum requiruntur, rerum copiam habere. Honeſte vero, ſeu bene vivere, eſt ſecundum virtutem vivere.

Quid eſt Civis?

Civis, ſecundum Ariſtotelem, eſt Socius multitudinis, qui particeps eſt ſuffragiorum, & juris de Republ. ſtatuendi. Vel potius: Civis eſt, qui participat jus in ea Civitate, in qua eſt Civis, juxta cujusque Civitatis deſcriptionem & formulam, ſeu Legem, qua conſtituitur, quaque Civibus jura ſua definiuntur. Proinde dicitur Civis ſecundum magis, & minus: neque enim ad omnes in una Civitate æqualiter omnia, multo minus ad omnes diverſæ Civitatis, accommodari poſſunt, quæ de ſingulis Civium juribus dicuntur, de quibus ſcilicet alii plura, alii pauciora, & minora, omnes tamen aliqua participant.

Differuntne Civis bonus, & Vir bonus?

Abſolute loquendo, Civis bonus, & Vir bonus omnino differunt. Civis enim bonus is dicitur, qui Civitatem ſuam conſervare intendit, illis mediis, quæ ad propoſitum finem faciunt. Sed, Vir bonus eſt, qui firmum habet propoſitum agendi juxta rectæ rationis normam, & exercendi actiones, quas honeſtas, & virtus moralis exigunt. Hinc patet, quod Civis bonus conſideretur in ordine ad Rempublicam; Vir bonus vero definiatur ex perfectione virtutis moralis. Cum autem Reſpublicæ ſint bonæ & malæ, inde fit, ut alicubi quis poſſit eſſe bonus Civis, qui tamen non eſt Vir bonus. In optima autem Republica, Virum bonum, & Civem bonum non differre, caret dubio.

Qui-

Quibus modis Civitas obtinetur?

Civis non fit Loco, aut Domicilio ; potest enim fieri, ut Civis non sit, qui in hac Civitate habitat, qui *Inquilinus* dicitur. Sic Servi in Civitate quondam erant ; nec tamen Cives fuerunt. Similiter, potest quis in Civitate versari, ut ne domicilium quidem habeat; quales sunt Peregrini. Quin nec communio fori, aut cujuscunque juris, Civem efficit: potest enim aliquid tale ex pacto inter fœderatos fieri. Proinde tribus maxime modis jus Civitatis obtineri potest. 1. *Nativitate :* Nam Liberi jus Civitatis a Parentibus consequuntur. Isque modus quibusdam populis tantopere placuit, ut nullos, nisi e Civibus natos, pro Civibus agnoscerent. 2. Fit Civis *Cooptatione*, quando peregrinus, jus Civitatis, vel certo quodam pretio redimit, vel titulo donationis consequitur. Addunt 3. aliqui *Manumissionem*, qua Servi, e potestate Dominorum dimissi, olim Civitatem consequebantur. Interim manumissio non constituit proprie jus Civitatis. Dominus enim non potest plus conferre servo per manumissionem, quam ut liberum eum faciat : Civem autem illum constistituere, ejus relictum est arbitrio, qui in Civitate Imperium tenet.

Quinam sunt Cives Honorarii?

Præter Originarios, vel Assumtos Cives, dantur etiam *Honorarii*. Iis jus Civitatis honoris causa tributum est, ita, ut nullius teneantur imperio, nec obligati sint ad perferenda onera. Sic Rex Galliæ Civis est Honorarius Venetorum, & Helvetiorum.

Poteſtne quis ſimul eſſe Civis duarum Civitatum?

Quemadmodum difficile eſt, duas inhabitare ſimul domos, ita nec commode fieri poteſt, ut quis duarum Civitatum ſit Civis. Vnicuique enim Civitati Civis debet omnia ſua, quod quia duabus ſimul Civitatibus præſtari nequit, ideo nec duarum Civitatum civis bonus eſſe poteſt. Accidit tamen nonnunquam inter Fœderatos, Socios, Amicosque, ut aliud quid Lege ſtatuatur. Sic Genevenſes ſunt Cives Bernates, & viciſſim Bernates ſunt Cives Genevenſes. Similiter Toruninenſes & Dantiſcani habent mutua Civitatis jura.

Quale Jus obtinet Civitas in Cives?

Civitas obtinet Jus in corpus & bona Civium. Etenim quilibet Civis obligatus eſt ſaluti publicæ ſuccurrere, tam vita, quam fortunis & facultatibus ſuis. Hinc, ſi ſalus Civitatis poſtulet, & ea aliter conſervari nequeat, Civis alienari, & hoſti tradi poteſt. Sic quoque Civitas, exigente id publica utilitate, Civium bona pignori obligare, vel diſtrahere, nec non illorum actiones ad communem ſalutem dirigere poteſt, inſuper habito, quod unus, vel alter damnum inde patiatur.

Quomodo differunt Civitas & Vrbs?

Civitas ad Societatem & cœtum, Vrbs præcipue ad locum & ædificia pertinet. Vocabulum autem Vrbs ab eadem eſt origine, unde & orbis. Vrbare enim, ſive orbare, eſt circulo circumſcribere: quippe olim ambitus Vrbis aratro deſignabatur in orbem. Hinc Romani, cum promiſiſſent Carthaginienſibus, ſalvam eorum Civitatem fore & jura, poſtea emigrare

grare jussis Civibus, excisaque Vrbe, Civitatem non in tectis, & mœnibus, sed in Civibus esse, causati sunt.

Quæ sunt observanda condituro Vrbem?

Vrbi condendæ deligendus est locus salubris, planus, Civibus egressu facilis, hostibusq; accessu difficilis: aquis salubribus abundans, non nimis amplus, non nimis mari magnoque flumini vicinus, nec tamen nimis ab eo remotus; denique fertilis.

CAPVT III.

De Republica.

Quid est Respublica?

RESpublica, est societas plurium familiarum, sub eodem Magistratu, iisdemque Legibus degentium.

Quæ est Origo Rerumpublicarum?

Falsum est, quod quidam Politici docent, Imperia, & Respublicas, vi primum coaluisse, & ex bello ortam esse summam imperandi potestatem. Nimirum, postquam homines, naturali instinctu, ad vitam commode degendam, in societates coiverunt, & de colendo naturæ jure, ad Societatem conservandam, pactum quasi inter se iniverunt, nondum tamen securitati singulorum, aut firmitati concordiæ civilis consultum fuit, quamdiu nihil erat, quod violatores naturæ, & pacti vindicaret, & vi coërceret. Vt enim justitia fiat a singulis, Legesque naturæ sponte observentur, depravata hominum natura non patitur. Opus ergo fuit vi cogente, & potestate coërcente, in qua resideret publica & com-

munis justitia, tanquam custode & vindice juris cujusque singulorum; cui se propterea singulos subjecisse apparet, ut Societatis majori & communi bono, ac suo quisq; jure perfruerentur, viverentq; adeo, & securius, & affluentius. Ab hoc jure majoris partis, omnis imperandi parendique ratio profluxit. Sed, quia non omnibus satis commodum visum fuit, ad aliquod negotium expediendum, totam multitudinem congregari, igitur ipsa multitudo, hanc suam potestatem, vel uni, vel paucis tradidit, iisque præstitit obsequium.

Quis est Finis Reipublicæ?

Finis Reipublicæ esse debebat communis utilitas, & omnium Civium Salus. Quod non ita est intelligendum, quasi ea demum sit Respublica, in qua Civium Salus semper ex æquo spectatur. Nam & illi Societati, denominatio Reipublicæ non est deneganda, in qua quocunq; modo negotium publicum administratur, sive id cum populi commodo, vel ejus incommodo fiat. Vtilitas namque & Salus populi, non est æqualis omnium Rerumpublicarum norma & mensura, sed illarum tantum, quæ dicuntur Rectæ & Laudabiles: hæ enim populi salutem demum respiciunt.

CAPVT IV.

De Divisione Rerumpublicarum.

Quot sunt Rerumpubl. Genera?

RErumpublicarum Genera sunt duo: Nam, in quibusdam primario, & per se utilitas Civium quæritur, Imperantium vero salus per accidens: & hæ dicun-

dicuntur Respublicæ *Rectæ*, & *Laudabiles*. In aliis contra per ſe intenditur Imperantium utilitas, Civium vero ſalus ex accidente ſpectatur: & hæ dicuntur *Corruptæ*, *Vitioſæ*, & *aberrantes Reſpublicæ*. Hoc tamen non ita accipiendum eſt, quaſi illæ Reſpubl. in quibus primario Imperantium ſalus quæritur, ſint ſimpliciter injuſtæ. Nam, ſi dominium hominis privati in mancipium naturali & gentium jure permiſſum eſt, quare injuſtum ſit, ſi integer populus, aut magna aliqua multitudo, ſerviat Principi alicui?

Quæ ſunt Rerumpubl. Species?

Quia Reipubl. adminiſtratio vel eſt penes unum, vel penes paucos, vel penes omnes, inde utriusque tam rectæ, quam depravatæ Reipublicæ, tres dantur Species.

Quæ ſunt Species Rectæ Reipublicæ?

Species Rectæ Reipubl. ſunt: 1. *Regnum*, quod eſt Imperium unius, in ſalutem Subditorum directum. 2. *Ariſtocratia*, in qua pauci quidem, ſed optimi imperant, ob ſalutem publicam. 3. *Politia*, ſeu Reſpubl. popularis, quæ eſt totius multitudinis imperium æquale, ad ſalutem & commodum omnium Civium ordinatum.

Quæ ſunt Species Depravatæ Reipublicæ?

Species depravatæ Reipublicæ ſunt ſimiliter tres: 1. *Tyrannis*, Regno contraria, & eſt imperium unius, in proprium ipſius imperantis commodum directum primario. Ei accenſetur *Dominatus*. 2. *Oligarchia*, quæ repugnat Ariſtocratiæ, & eſt ſpecies Reipublicæ, in qua pauci quidem, ſed divites imperant, ob privatum commodum. 3. *Democratia*,

quæ adverſatur Politiæ, & eſt Imperium promiſcuæ multitudinis, in quo omnia ad pauperum utilitatem referuntur.

CAPUT V.

De Regno.

Quæ ſunt Species Regni apud Ariſtotelem?

REgni, quod præſtantiſſima, & antiquiſſima cenſetur Reipublicæ forma, *quinq;* ab Ariſtotele enumerantur Species. 1. *Laconicum*, ita dictum, quod apud Lacedæmonas fuerit in uſu, eſtque talis Respublica, ubi unus quidem imperat, ſed ſecundum Leges, quibus jurejurando adſtrictus eſt, ita ut ultra Leges nihil facere audeat. 2. *Barbaricum*, Barbaris, v. gr. Perſis, & Babyloniis uſitatum, in quo unus, omnium dominus factus, ſubditis volentibus, juxta conſuetudinem patriam, imperat. 3. *Æſymneticum*, quod eſt Regnum extraordinarium, ubi, rerum neceſſitate ita exigente, libero populi ſuffragio, extra ordinem, alicui omnimoda poteſtas concedebatur, & quidem vel perpetuo, vel ad certum tempus. Quales Reges, Æſymnetæ, quaſi Reipublicæ Curatores, & τὰ αἴσυμα νοȣ̃ντες, i. e. ſalutaria cogitantes, vocabantur. 4. *Heroicum*, quando propter illuſtre aliquod beneficium, aut virtutis eminentiam, uni delatum eſt imperium. 5. *Regnum proprie dictum.*

Quid eſt Regnum proprie dictum?

Regnum proprie dictum, eſt ſummum, & abſolutum imperium unius, ad communem ſubditorum utilitatem directum. Rex enim omnes ſubditos paterno

terno amore complectitur, illorumque curam habet ad exemplum boni patrisfamilias.

Estne Princeps Legibus solutus?

Princeps 1. non est solutus *Legibus Divinis*; cum his enim non confertur ut Rex, sed ut Christianus. Neque 2. solutus est *Legibus Naturalibus*; hæ enim inscriptæ sunt cordibus omnium hominum, Rom. II. 14. atque huc revocandæ quoq; sunt *Leges juris gentium*, quarum sacra & sancta est apud omnes gentes autoritas. Neque 3. solutus est *Legibus fundamentalibus*; has enim in ingressu Regni, antequam confirmatur, mutua cum proceribus conventione, & jurejurando interposito, servare promittit; eaq; conventio mutuam habet obligationem. Nec 4. solutus est *Legibus Civilibus*, *quoad vim directivam*. Est autem vis directiva, quando Lex agenda præscribit, & ad agendum obligat, non per rigorem & interminationem pœnarum, sed potius per suam in jure naturali, & recta ratione fundationem; atque ad observationem civiliter invitat, non serviliter cogit. Interim, 5. solutus est Legibus, quoad *vim coactivam*, quæ est, quando rigore, & metu pœnarum, facienda imperantur, ita ut, nisi quis obtemperet, gravem incurrat animadversionem. Nimirum Lex coërcet tantum instrumentaliter, prout est signum voluntatis in Rege; Rex autem ipse coërcet principaliter, ut agens primarium. Quare, si Lex Civilis cogeret principem, agens pateretur a suo instrumento, & idem coërceret seipsum; quod est absurdum.

Quænam sunt Causæ evertentes Regnum?

Causæ evertentes Regnum sunt: 1. Si illi, quorum in manu Regnum est, inter se dissideant, & agnati,

ac heredes, de successione non possint convenire, aut ipsi ex alia causa in diversas partes abeant. 2. Si Reges, a gubernatione regia, paulatim ad tyrannidem se convertant, & omnia pro libidine administrent, subditorumq; privilegia imminuant.

Quæ sunt Causæ conservantes Regnum?

Conservari Regnum potest, si Rex subditis vicinisq; suis sit terrori: quod fit, 1. *Virtute*, quales sunt Fortitudo, Prudentia, & Ars militaris. 2. *Potentia*, quæ consistit partim in Concordia, partim in Militia, partim quoq; in munitione civitatum & arcium. 3. *Fortuna*. Putant namq; alii, singulari Divini Numinis providentia illius Regis actiones dirigi, cui omnia feliciter & ad votum succedunt.

Quænam sunt Arcana Regni?

Regni Arcana concernunt Regnum vel Successivum, vel Electitium. *In Regno Successivo* plurimum prodest, si 1. Rex Majorum servet instituta. 2. Si Consiliarios Antecessoris non temere dimittat, nec paternos Amicos repudiet. *In Regno Electivo, contra Patricios*, sequentia Arcana sunt observanda: 1. Vt is, qui Regnum affectat, si sit terræ filius, ex splendida familia se ortum comminiscatur, aut ex ejusmodi familia ortam matrimonio sibi jungat. 2. Vt imperium oblatum non protinus suscipiat, sed deliberando tergiversetur, quo subditorum animos expiscari, sibique magis confirmare valeat. 3. Cognomina, & titulos Principi convenientes debitosque, non statim a populo sibi tribui concedat. 4. Aliis Senatoribus similem se quovis tempore profiteatur. 5. Magistratus ipse creet, sibi & imperio faventes; eos, qui pristinæ libertatis memores sunt, & magna pol-

pollent autoritate, vel non eligat, vel, si præterire eos non possit, annuos illorum Magistratus constituat. 6. Prohibeat, ne Viri Illustres abeant peregre, aut ad exercitum mittantur. 7. Certum imperii heredem ac successorem constituat, quo illud ad posteros rransferat, & Patriciis eripiat. *Adversus plebem* observandum: 1. Vt paulatim populi libertas infringatur. 2. Vt obsequiosi e plebe, honoribus & præmiis afficiantur. 3. Reliqui, qui præsentem statum oderunt, eumque oppugnare satagunt, vel in bellum mittantur, vel aliis negotiis onerentur, ut nunquam ipsis otium de libertate cogitandi relinquatur.

CAPVT VI.

De Tyrannide, & Dominatu.

Quid est Tyrannis?

TYrannis, est summum & absolutum imperium unius, quod in subditos invitos, qui imperanti vel similes, vel eo meliores sunt, cum oppressione libertatis, ad propriam utilitatem, exercetur.

Quotuplices sunt Tyranni?

Tyranni sunt in triplici differentia. 1. Quidam sunt tales tantum *Titulo*, qui imperium illegitimis modis, nulloque justo titulo, h. e. causa, sibi acquirunt. 2. Quidam sunt Tyranni *Exercitio*, qui legitimis mediis acquisitum imperium violenter administrant, suosque subditos crudeliter tractant. 3. Quidam sunt Tyranni *titulo & exercitio simul*, qui imperium improbis artibus acquisiverunt, illudque postea nequiter administrant.

Quæ observanda sunt, ut quis, num aliquis Tyrannus sit, pronunciare queat?

In Tyranno distinguenda sunt vitia privata a publicis. Nec enim Tyrannus est, 1. qui in administranda Republica negligens est, illiusque curam committit aliis, dum ipse interim otio, & voluptatibus indulget. Nec 2. Tyrannus dici potest, qui pacta non servat, aut unum, vel alterum rigidius tractat. Quia sæpe necessitas jubet a pacto recedere; sæpe subditi alicujus delictum duriorem pœnam efflagitat. Porro, nec 3. unus vel alter actus tyrannicus tyrannum efficit, modo tyrannice non agat, nec semper in subditos ultra modum crudeliter sæviat.

Quænam Signa sunt Tyranni?

Signa Tyranni inter alia sunt, Virtutum, maxime Justitiæ, fraudulenta simulatio; Insignium Virorum e medio sublatio; odium erga virtutes; amor erga vitia, & qui iis se mancipant; Sævities.

Quibus modis Tyrannis conservatur?

Modi Tyrannidem conservandi sunt: 1. Viros virtute excellentes, tanquam statui tyrannico adversos, deprimere. 2. Convivia publica, conventus, & collegia tollere: amicitiam inter Cives impedire: Scholas, & educationem juvenilem prohibere. 3. Subditis interdicere studium peregrinandi, quo semper maneant domi, & servilibus muneribus assuescant. 4. Accurate subditorum actiones cognoscere, & eum in finem habere emissarios, & delatores, qui omnia observent & referant. 5. Inter subditos odium & inimicitiam disseminare, ne contra se conspirare queant. 6. Cives tributis, stipendiis militum, impensis in opera publica construenda, ad inopiam redigere, ne quid

ardui

ardui moliri queant. 7. Perpetuo bellum gerere, subditis vero pacem & otium non concedere. 8. Nemini fidere, & imprimis virorum honestorum aversari conversationem. 9. Peregrinorum potius, quam Civium, ministerio uti, illisque vitam & salutem suam credere. 10. Simulare magnam Reipubl. curam. Quo pertinet, si egregia, & splendida ædificia excitet Tyrannus; Vrbes templis, muris, propugnaculis, aliisque, quæ splendorem conciliare possunt, ædificiis, exornet.

Quid est Dominatus?

Dominatus est Respubl. in qua unus summum & absolutum, vel jure belli, aut fœdere, vel etiam successione hereditaria acquisitum obtinet imperium, primario ad proprium ipsius Dominantis, secundario autem ad subditorum serviliter parentium salutem directum. Nimirum, cum Rex omnia conferat ad salutem publicam, Tyrannus omnia agat contra eandem, media via incedit Dominus, qui nec refert omnia ad commoda civium, nec tamen illa negligit, sed secundario curat, postquam suis rebus ante omnia prospexit. Sic paterfamilias servos non intendit pessundare, nec tamen eos primaria intentione curat. Et hoc genus Monarchiæ Barbaris Aristoteles tribuit.

Anne ii, qui in Monarchia parentium loco sunt, Cives dici possunt?

Veteres, omnes, quibus in quacunque Republica obsequii gloria, & parendi conditio relicta erat, Cives appellabant: quin, in latiore significatu, sæpe imperantes parentesque simul hac voce complectebantur. Juniores, Subditorum appellatione nuncupant, qui Imperantibus opponuntur.

CAPUT VII.

De Ariſtocratia.

Unde Nomen habet Ariſtocratia?

ARiſtocratia Nomen habet ἀπὸ τῦ ἀρίϛυ, i. e. *ab optimo*: dicitur enim Reſpublica Optimatum.

Quid eſt Ariſtocratia?

Ariſtocratia eſt Reſpublica, in qua pauci, iique optimi, ſummum & abſolutum habent imperium, ad communem Civitatis Salutem directum.

Quinam hic deſignantur Optimi?

Optimi hoc loco intelligendi ſunt, non qui abſolute tales, ſed qui aliorum comparatione minus mali ſunt, aut in quibus plura, quam in plebe, virtutum argumenta reperiuntur. Cum vero electio virorum ſimpliciter optimorum admodum ſit difficilis, (faciliime enim, per ſimulationem probitatis, nequiſſimus quisque gubernacula Reipublicæ ad ſe trahit:) non eſt ut vitioſa reprehendenda adminiſtratio, ſi nobiles divitesque frequenter, præteritis e plebe melioribus, Magiſtratum capeſſunt. Nam, quamdiu ratio boni communis habetur, manet Reipublicæ legitima forma. Nobilium vero & Divitum ratio habenda eſt maxime: quippe genere, inſtitutione, indole, & potentia prævalent: major igitur illis animus eſt, ad hoſtes arcendos; acrior ad patriam defendendam ſtimulus, in qua fortunas, & honores habent; unde & in publico periculo privatim perdere plus timent: neque enim oppreſſa patria alibi tam eſſe poſſunt honorati; pauperes vero, qui ſuo labore victitant, ubivis facile ſe ſuſtentare poſſunt.

Quot

Quot Personæ requiruntur ad Aristocratiam?

Quot Personæ ad Aristocratiam requirantur, non facile est explicatu: cum ab uno, donec ad universam multitudinem perveniatur, infinita intervalla decurrant; nec ubique eadem sit Civium multitudo. Pharsaliorum Respubl. viginti habuit Optimates; Epidaurii CLXXX. imperantes; Vetus Massiliensium Respubl. sexcentos summo præfecit imperio. Quotquot ergo sint, qui rerum summam habent, modo plures uno fuerint, nec majorem populi partem constituant; Aristocratiæ nomen præbent. Interim, quo pauciores regnant; eo diuturnior est gubernatio: quia concordia, quam Aristoteles præcipuam diuturnitatis Aristocratiæ ponit causam, melius inter paucos conservatur.

Quænam sunt Causæ corrumpentes Aristocratiam?

Prima Causa mutandi Aristocratiam; est Honor: dum, ob imperandi cupiditatem, multi imperium affectant. 2. Est Ignominia; quando viri fortes, virtute, prudentia, ac dignitate præditi, injuriis afficiuntur. 3. Nimium incrementum honoris, & potentiæ alicujus Civis. 4 Bonorum inæqualitas; cum quidam sunt nimis divites, quidam vero nimis pauperes; his enim nunquam inter se convenit.

Quænam sunt Arcana Aristocratiæ contra Reges?

Arcana Aristocratiæ *contra Reges* sunt: 1. Cavere, ne unus Optimatum autoritate, & potentia nimium crescat. 2. Nemini Optimatum concedere, ut arces munitas habeat in iis locis, in quibus momen-

tum aliquod rerum eſt. 3. Nulli diu ſummum imperium, præſertim bellicum, concedendum. 4. Si quis viribus nimium creverit, vel laboribus onerandus eſt, vel in bellum mittendus, vel oſtraciſmo e Republica ſegregandus.

Quænam ſunt Arcana Ariſtocratiæ contra Plebem?

Arcana Ariſtocratiæ *contra Plebem* ſunt: 1. Conjugia Optimatum cum Plebejis prohibere. 2. Plebi non permittere, ut conventus publicos celebret. 3. Ea, quorum adminiſtratio magnam dignitatem non habet, ſed potius laborem, civibus induſtriis concedere. 4. Civium opera, in villis aliisque curandis, uti, eosq; liberali proſequi ſtipendio, & menſæ interdum admovere. 5. Varios ordines, & diſcrimina Civium conſtituere, ne facile conſpirent.

CAPUT VIII.

De Oligarchia.

Quid eſt Oligarchia?

OLligarchia eſt Reſpublica, quando pauci e Proceribus, per injuriam, violentiam, aliosq; modos, imperium ad ſe transferunt, reliquis, penes quos pariter eſſe debebat, excluſis, totaque multitudine oppreſſa, proprio lubitu dominantes, & poteſtate in ſuam abutentes utilitatem. Talis Reſpubl. Athenienſium erat, cum a Lyſandro XXX. nomine quidem Adminiſtratores, revera autem Tyranni, conſtituerentur. Vocatur hoc genus Reipublicæ aliquando *Dynaſtia.*

CA-

CAPVT IX.

De Politia.

Quid est Politia?

POlitiæ vocabulum interdum latiſſime ſumitur, pro omnibus Rerumpublicarum formis : interdum proprie ſumitur, pro ſtatu populari juſto, & recto. Hoc ſenſu, Politia eſt Reſpublica, in qua penes populum ſumma eſt poteſtas, in publicam totius Civitatis ſalutem directa. In hac igitur Rep. univerſus populus, vel pars ejus maxima, ſeu viritim, ſeu centuriatim, ſeu tributim ſuffragia ferunt, & jura Majeſtatis exercent.

Quænam ſunt Requiſita Politiæ?

Requiſita Politiæ ſunt: 1. ut Magiſtratus ab ipſo conſtituatur populo, atque ab eodem autoritatem ſuam ſumat. Cum enim plebs per ſe, ad jus dicendum ſedere non poteſt, debet alios conſtituere, nomine qui id faciant ſuo. 2. Vt a Magiſtratu in rebus gravioribus ad judicium populi appelletur. 3. Vt leges, quibus Reſp. eſt gubernanda, a Magiſtratu quidem proponantur, ſed a populo jubeantur. 4. Vt Magiſtratus apud populum accuſari, vel etiam morte mulctari queant.

Quænam ſunt Cauſæ conſervantes Politiam?

Politia videtur Reip. ſpecies diuturna & ſtabilis; cum propter æqualem ordinem civium libera ſit a ſeditione, quæ Reſpublicas turbare, imo perdere ſolet. Facit ad eam conſervandam: 1. Si virtus militaris ibi floreat, & cives arma tractare didicerint:

per virtutem enim militarem, maxime libertas conſervatur. 2. Si Dux Bellicus conſtituendus ſit, videndum, ne ejus potentia ſit aut nimia, aut abſoluta vel perpetua, ſed reſtricta, & pro arbitrio Imperantium revocabilis. 3. Haud uni facile ſummus, vel etiam diuturnus, concedendus eſt Magiſtratus. 4. Cavendum, ne Cives externa admirentur, exterisque principibus adulentur. 5. Cavenda ſunt bella inteſtina; vix enim componi poſſunt, niſi imperio ad unum devoluto; atque ſic Auguſtus Remp. Romanam, discordiis civilibus feſſam, nomine Principis, ſub imperium accepit.

CAPUT X.

De Democratia.

Quid eſt Democratia?

VOcabulum Democratiæ alias accipitur *Generaliter*, pro imperio populari; quo ſenſu, & Politia venit nomine Democratiæ. *Specialiter*, notat ſtatum popularem corruptum, quem *Ochlocratiam* quoque nominare ſolent. Eſt autem Democratia, ſive Ochlocratia, populi Regimen vitioſum, quod ad libidinem multitudinis, in qua utilitatem ſui ſtatus ipſi conſtituunt, refertur.

Quæ ſunt Proprietates Democratiæ ſeu Ochlocratiæ?

Proprietates Democratiæ ſeu Ochlocratiæ ſunt, ut multitudo affectu potius, & impetu animi, quam ratione ducatur, neque ad decus & commodum publicum reſpiciat, ſed ſuæ libidini ſatisfactum cupiat; ex hac regula Leges & Comitia moderetur, libertatem

tatem contentiose, licenter, præfracte & superbe exerceat; inimica omni temperamento. In tali multitudine plurimum possunt Demagogi.

Quid sunt Demagogi?

Demagogi sunt, vulgi, & multitudinis Duces, qui plebem in varias partes flectere noverunt.

CAPUT XI.

De Comparatione Rerumpublicarum Rectarum ad se invicem.

Quænam inter Rectas Reipublicæ formas censenda est optima?

Generatim ea censenda est optima Reip. forma, quæ ad ingenia suorum Civium & commoda, maxime est comparata: neque enim in tanta morum, locorum, & temporum diversitate, omnibus omnia conveniunt. Quod si vero Rerump. formæ inter se mutuo comparentur, *plerique Monarchiam* cæteris formis præferunt. Finis enim gubernationis, est Civium inter se conjunctio, & pax. Quæ conjunctio in eo potissimum esse videtur sita, ut omnes idem sentiant, velintque. Hoc vero multo certius & facilius obtinetur, si uni parendum sit, quam si multis. Vix enim fieri potest, ut multi, quorum unus ab alio non dependet, de rebus iisdem eodem modo judicent. Itaque si multi sint, qui multitudinem regunt, & alius aliud imperet, aut alicui non parebitur, aut in varia studia populum scindi necesse erit. Accedit & illud incommodum, quod, quem-

admodum in amplis familiis, ubi multis servis idem ministerium assignatur, negligenter negotia procurantur, ita, ubi multi sunt Rempublicam administrantes, unus alium respicit, &, dum unusquisque onus in Collegam rejicit, nemo satis diligentem curam adhibet. *Est quoque Monarchia forma Reipublicæ maxime durabilis:* id enim minus facile dividitur, quod est magis unum; magis autem unum est ipsum simplex unum, quam multitudo in unum conspirans.

CAPUT XII.

De Forma Veteris Reipublicæ Judaicæ.

Quænam fuit Forma Veteris Reip. Judaicæ?

FOrmam Veteris Reipublicæ Judaicæ, Josephus, eleganti, & apto vocabulo, θεοκρατίαν appellavit, Dei imperium, vel Rempublicam, ea voce designans. Quanquam enim Judæi, Ductores primo suos, dein Judices, tandem Reges habuerunt, non tamen Monarchiam, aut Aristocratiam in ea gente licet appellare. Nam, in omnes illos, & Rectores & Judices, fuit imperium Dei, qui Hebræis singulari quodam modo semper assedit, &, inusitata in aliis gentibus ratione, tenuit Rempublicam Hebræorum. Ex hujus enim præscripto, Magistratus constituti, & conditæ Leges; ex hujus oraculis, in dubiis sunt responsa petita; in ejus sinu erant arcana hujus imperii; idemque, admirandis modis, eam Rempublicam tutatus est. Adeoque inter Divini mandati limites constricta omnis Hebræorum Imperantium potestas,

nec

nec Legum novarum latores erant Hebræi Magistratus, ſed earum tantum, quas cœlitus acceperant, cuſtodes.

CAPUT XIII.

De Gynæcocratia.

Æquumne, ut Fœminæ imperent?

SI rem in ſe ſpectemus, Fœminæ ab imperiis procul arcendæ ſunt. Nam 1. Sacra Scriptura exigit, ut mulier ſit ſub dominio & poteſtate viri, huicque ſubjecta, Geneſ. III. 1. Cor. XI. & XIV. Neq; reſtringendum hoc præceptum cum *Tholoſ. l.7. de Rep. cap.11.* ad conjugium, & erga maritos; quippe Apoſtolus, 1. Cor. XIV, 34. 35. etiam conventus publicos includit, quando fœminas in Eccleſia tacere jubet. 2. Jure plerarumque gentium fœminis ſceptra capeſſere nefas fuit, quod ad parendum natæ crederentur. 3. Jus quoque civile, *l. 2. de Reg. Jur.* jubet, ut fœminæ ab officiis civilibus, vel publicis, removeantur. Quin & Jus Canonicum cap. mulierum. C. 33. q. 5. decernit: *Mulierem conſtat ſubjectam dominio viri eſſe, & nullam autoritatem habere; nec docere enim poteſt, nec teſtis eſſe, neque fidem dare, neque judicare: quanto magis non poteſt imperare?* 4. Deeſt plerunque mulieribus prudentia, conſtantia, aliæque ad imperandum neceſſariæ virtutes.

Quænam incommoda oriuntur ex Succeſſione Fœminarum in Regnis?

Fœmina ſuceedens, aut nubit, aut innupta moritur. Si non nubit, ſtirps emoritur, una cum ipſa.

Si nubit, transit in familiam viri, ejusque sanguinem substituit pro suo. Porro, aut fœmina, quæ succedit, potestatem Regni cogitur transferre in manus mariti, aut non: Si hoc, jus divinum, naturæ, & civile, vim quodammodo patiuntur. Sin illud, ægre patietur Regina, potestatem sibi extorqueri. Quin, matrimonia quoque ejusmodi Reginarum, inter ipsas, & populum, contentiones suscitant, utrum videlicet ex sua potius, quam totius Reipublicæ sententia, nubere illæ debeant.

CAPUT XIV.

De Mixta Republica.

Quid est Mixta Respublica?

MIxta Respublica est, in qua ordo imperandi, ex diversarum Rerumpublicarum institutis, est temperatus, ita, ut in consortium potestatis aliis admissis, jura majestatis per distinctos Civium ordines exerceantur. Vti si unus imperet, solus tamen nec Leges universales condere, nec bellum decernere, nec nova tributa indicere queat, sine aliorum Civium consensu.

Quænam requiruntur ad Mixtam Rempublicam?

Ad Mixtam Rempublicam requiritur, 1. Vt penes plures sit summum imperium, quo pacto contradistinguitur Monarchiæ, seu imperio unius. 2. Vt illud imperium sit penes plures divisim: qua ratione discernitur ab illis Rebuspublicis, in quibus summa potestas quidem est penes plures, sed indivisim. 3. Vt diversi Civium ordines de summa potestate participent.

Vnde

Vnde fit Denominatio Reipubl. Mixtæ?

Denominatio Reipubl. Mixtæ desumitur ab illius Reipubl. institutis, quæ in ea prævalent. Vti si unus quidem imperium habeat, alii tamen pauci, vel plures, ad Comitia vocentur, ibique, cum Principe suo, de publicis negotiis consultent, dici potest Respublica Monarchico-Aristocratica.

Quotuplices sunt Mixtæ Respublicæ?

Distinctio Rerump. Mixtarum, pro varietate institutorum, quibus fundatæ sunt, variat, nec certis regulis comprehendi potest, quot modis mixtio fieri queat.

CAPVT XV.

De Republica Media.

Quid est Respublica Media?

MEdia Respublica est, in qua Cives neque nimium prudentes, neque nimium stupidi, neque nimis divites, neque nimis pauperes, sed mediocriter se habentes, imperant. Hanc copiose explicat Aristoteles; vix tamen est, ut detur.

Quare Reipublicæ Mediæ exempla non suppetunt?

Respubl. Media nulla existit: quia 1. exiguus mediocrium Civium est numerus; plerique enim nimia habendi cupiditate laborant, & divitias augere student. 2. Pauperum & divitum contentiones faciunt, ut neuter ordo velit amplecti medium, sed semper extrema desideret. 3. Morum depravatio non patitur, ut alii cum aliis velint pari jure vivere,

Quare Respublica Media vocatur Optima?

Respublica Media vocatur Optima, quia in ea ſpectatur virtus, quæ captum vulgi non ſuperat, & ad cujus conſtitutionem non eſt opus exquiſitiſſima juventutis inſtitutione, nec maximis etiam divitiis. Proinde, ut medium in aliis rebus commendatur, ita idem in Republica quoque laudandum. Accedit, quod medii ordinis Cives, ſibi invicem non invident, nec ſe contemnunt, ſed firmam alunt amicitiam, & cuncta ad communem dirigunt utilitatem.

CAPUT XVI.

De Majeſtate.

Quid notat Vocabulum Majeſtatis?

MAjeſtatis Vocabulum, non habet in aliis linguis aliquid ſimile; Græca quoque, utut copioſiſſima, hic deficit. Vulgares linguæ pene omnes, retinent Latinam vocem. Significat autem ſæpe dignitatem, ſed cum augmento & pondere loquendi, ut *Majeſtas matronalis*, apud Livium; *Majeſtas tribunitia*, apud Aſconium. Hinc, quæ in privatis hominibus dicitur gloria & autoritas, illa in Imperantibus dicitur Majeſtas, graviore & ampliore voce. At juniores plerique, Majeſtatis vocabulo ſummam poteſtatem notant, quæ priſcis, modo imperium, modo jus imperii, ſummum rerum arbitrium, ſummum rerum judicium, denique hoc ipſo vocabulo, poteſtas, dicebatur.

Quid eſt Majeſtas, quatenus Imperantis autoritatem ſignificat?

Majeſtas, quatenus Imperantis autoritatem ſignificat, eſt magnifica, & reverenda opinio, de imperantis

tis dignitate, virtutibus, & omnibus iis, quæ iſtis virtutibus ſunt affinia, ſubditorum animis impreſſa.

Quænam ſunt Virtutes, quibus Admiratio, Cultus, & Amor inſuper, Imperantibus conciliantur?

Virtutes, quibus *Admiratio*, & *Cultus* conciliantur, ſunt Fortitudo, Prudentia, Magnanimitas, Magnificentia. Illæ autem virtutes, quæ *Amorem* pariunt, ſunt Manſuetudo, Temperantia, virtutes Homileticæ, & Juſtitia. Quæ virtutes inter ſe junctæ, ſua mixtura, in animis ſubditorum, ſummam reverentiam conciliant.

Quænam ſunt Affinia Virtutum?

Affinia Virtutum ſunt: 1. Morum gravitas, 2. Divitiarum abundantia, & ſubditorum multitudo, 3. Corporis ſtructura egregia, & vocis decentia. 4. Proſperitas fortunæ in expediendis arduis negotiis, & præcipue rebus bellicis. 5. Raritas conſpectus. 6. Miniſtrorum, qui ad officia adhibentur, ſplendor, & dignitas. 7. Conſtantia in utraque fortuna.

Quid adverſatur Principis Dignitati?

Principis Dignitati adverſatur, 1. Adulatores habere, vel pati. Eſt enim adulatio venenum, quo Principum animi, velut corrupti, ſincere judicare neſciunt. 2. Plebejis exercitiis, & ſordidæ mercaturæ operam dare. 3. Nimis humilem & abjectum ſe præbere. 4. Res ſcurriles, & ineptas tractare. Ex his, ſimilibusque rebus, naſcitur contemtus, ſive vilis & cum odio conjuncta, de Principe ejusq; vitiis opinio; unde denegatio obedientiæ ſubſequi ſolet, quam ſequitur tandem ruina Imperii. Sic Fliolmus Sueciæ Rex nimia

mia famulorum familiaritate usus, ab iis ebriis in dolium mulso repletum detrusus, interiit. Loccen. Hist. Suec. p. 4.

Quid est Majestas, prout summam denotat potestatem?

Majestas, est summa & libera potestas, administrandi societatem civilem, ad finem propositum obtinendum, & conservandum, cujusque actus, alterius voluntatis humanæ arbitrio, non possunt in irritum recidere. Est igitur talis potestas, supra quam, & contra quam, & sine qua, nihil potest lex, aut jus Civitatis.

Quænam sunt Propria Summæ Majestatis?

Propria Summæ Majestatis sunt: 1. ut sit absoluta, &, nihil in terris excelsius habens, subjaceat soli Deo. 2. Vt sit Incommunicabilis. Quod enim absolutum & summum est, non potest cum quoquam in illa Republ. communicari: scilicet, ut plures sint in ea Rep. qui eandem specie summam potestatem contineant, adeoque duo, vel plures sint summi Principes. Nam, alias jura Majestatis in Rep. expediri posse per plures Cives, dubio caret, & tum nihilo minus manet in se summa, & indivisa, licet quidam in consortium Regiminis admittantur. 3. Vt sit libera, nec ullis legibus positivis constricta. Licet enim digna Principe vox sit, legibus alligatum se profiteri, & majus imperio sit, submittere legibus principatum; tamen id non de coactione, sed spontanea submissione capiendum. 4. Vt sit irrevocabilis. Vbi enim semel Majestas, vel electionis, vel successionis jure, in capite quodam constituta est, illa durat perpetuo, & quidem vel ad vitam imperantis, uti fit in Regnis Electitiis, vel

vel ad heredes transit, ceu contingit in Regnis hereditariis. 5. Vt sit universalis, quæ se in omnes cives extendit. Proinde, non parum peccatur in illa Republ. in qua Clerici a potestate civili sunt exemti. Nam isti, vel nulli humano imperio, vel præter Majestatem, alterius potestati subjiciuntur. Prius, nemo sanæ mentis facile dixerit: omnis enim anima, potestatibus sublimioribus subdita esse debet, Rom. XIII. Sed, nec posterius affirmari potest; cum id repugnet summæ potestati, in omnes habenti imperium. Deinde Clerici sunt pars Reip. ergo ipsi tenentur fidem dare Reip. & legibus, à suprema potestate promulgatis, obedire. Hinc Theodoretus, l. 4. c. 7. asseverat, *Probos Episcopos, non solum DEO, sed & Regum legibus debere obtemperare.* Et Gregor. l. 2. ep. 65. fatetur, *Principi datam esse potestatem, non tantum super milites; sed & super sacerdotes.*

Estne Majestas etiam in ea Rep. in qua plures imperant?

Eadem est Majestas, sive in unum collata sit, sive in multis resideat. Vbi enim Civitas, ibi Majestas, quocunque genere Reip. civitas gubernetur. Quod enim Status Aristocratici & Democratici regimini Majestatis vocabulum non solet attribui, ad titulorum formulas pertinet, non ad rerum fundamenta. Fit enim, ut Majestatis titulo compelletur etiam ea dignitas, quæ non habet adjunctam summam & absolutam potestatem. Sicut ex diverso, qui Majestatem revera habent, vocabulo tamen, quatenus in titulum honoris transiit, non gaudent.

Quæ-

Quænam est origo Majestatis?

Origo Majestatis, sive summæ illius potestatis, quæ civitati regendæ unice est necessaria, a Deo pendet, & ab ipsa natura. Quomodo natura homines ad civilem societatem ineundam compulerit, supra explicatum est. Quod ad Deum attinet, notetur locus apud *Ecclesiasten VIII.* 2. seqq. *Ego os Regis observo, & præcepta juramenti Dei. Ne festines recedere a facie ejus, neque permaneas in opere malo; quia omne quod voluerit, faciet, & sermo illius potestate plenus est: nec dicere ei quisquam potest: quare ita facis?* Ex his verbis intelligitur potestas ἀνυπεύθυνος, seu a nemine homine dependens, neminis hominis arbitrio judicioq; subjecta; tum jus vitæ, & necis, quorum utroque sæpe solent omnia Majestatis jura, seu πᾶν τὸ κράτος ἐξουσίας ἀρχικῆς; *omnis potestas imperii*, comprehendi, atque significari. Est quoque notabilis locus 1. *Petri II.* 13. 14. *Subjecti estote omni humanæ naturæ, propter Deum, sive Regi, quasi præcellenti; sive ducibus, tanquam ab eo missis, ad vindictam male factorum, laudem vero bonorum.* Hic locus 1. omni potestati, divinitus inter homines, & ab hominibus constitutæ, parendum præcipit. 2. Dividit potestatem in summam seu independentem, & subordinatam, qualis est omnium Magistratuum, Curatorum &c. 3. Divinam voluntatem, ut præcepti hujus causam, refert: & 4. Finem omnis imperii designat.

An juramentum Principis imminuit ejus potestatem?

Etsi bono viro etiam injurato credendum, &, ceu dicere solebat Alphonsus Rex Neapolit. tantum ad fidem

fidem valere debet Principis verbum unum, quantum privatorum hominum jusjurandum: nihilo secius quidam ſubditi, circa initium regiminis, citra juramentum, Principibus ſuis fidem non habent, permoti ſine dubio fraude ac malitia nonnullorum Principum, qui poteſtate ſua fuerunt abuſi. Quod ſi igitur Princeps ſubditis ſuis jurat, ſe juſte regnaturum, æquum ac miſericordem ſe omnibus exhibiturum, quale juramentum eſt Regum Galliæ, a Bodino l. 1. c. 8. propoſitum, id jusjurandum Majeſtatem non infringit; quia hoc eum tantum ad officium ſuum obligat, illudque præſtat Princeps non coactus, ſed ſponte, ac ut conſuetudini, Populique deſiderio ſatisfaciat. Si vero juramentum poteſtati principum certos ponit limites, uti cum in leges fundamentales ita jurare cogitur, ut non ſolum immunitates, privilegia, ac leges, ſe ſervaturum promittat, ſed etiam clauſulas addat, per quas legibus ita ſe ſubjicit, ut, ſi quid adverſus eas delinquat, ſubditis fas ſit, coram Senatu adverſus eum experiri, omnem obedientiam renunciare, vel alia ratione ejus injuriis modum ponere, hactenus detrimentum patitur majeſtas, & poteſtate legum ferendarum priva eſt. Tale fuit juramentum Stephani Batorii Regis Poloniæ, his verbis conceptum: *Juſtitiam omnibus incolis Regni noſtri, jura publica in omnibus Dominiis conſtituta, absq; omnibus dilationibus, & prorogationibus adminiſtrabo, nullo quorumvis reſpectu habito. Et, ſi, quod abſit, juramentum in aliquibus violavero, nullam mihi Incolæ Regni, omniumq; Dominiorum uniuscujusq; gentis obedientiam præſtare debebunt. Imo ipſo facto eos ab omni fide, & obedientia Regi debita, liberos facio:*

facio: absolutionem nullam ab hoc juramento meo a quoquam petam, neq; ultro oblatam suscipiam. Sic me Deus adjuvet. Chytræus l. 23. Saxon.

Nunquid alterius Honoris prærogativa imminuit Majestatem?

Honoris & dignitatis prærogativa, alteri concessa, neutiquam imminuit Majestatem. Majestas enim proprie consideratur non nisi in ipsa Repub. respectu ordinis imperantium, & parentium; minime vero respectu alieni territorii. Nam, hic sane Princeps Principi præfertur; vel 1. ob majorem potentiam, & magis late patens imperium: vel 2. ob antiquitatem, & vetustatem imperii: vel 3. ob inveteratam consuetudinem, aut causas alias.

Estne vulgaris divisio Majestatis in Personalem & Realem toleranda?

Divisio Majestatis in Personalem & Realem tolerari nequit: unde Gerhardus quoque *Loco de Mag. Polit.* c. 123. monet, cavendum, ne hac distinctione abutantur seditiosi Regicidæ, qui existimant, Reges & Principes impune violari posse, absque Majestatis, quæ Regno proprie inhæret, violatione.

Quid vocant vulgo Majestatem Personalem?

Majestatem Personalem vocant eam, quæ Monarchæ personam respicit, in quam collata est, & cum eadem exspirat. Vnde & Majestas Imperatoria seu Regia dicitur.

Quid vocant vulgo Majestatem Realem?

Majestas Realis dicitur, quæ ipsi Monarchiæ, seu Regno perpetuo inhæret, & ipsi est coæva, nec cum Monarcha exspirat, sed, quamdiu corpus Regni durat, permanet.

Quare

Quare hæc diviſio rejicienda?

Hanc diviſionem rejiciendam eſſe, conſtat I. Quia abſurdum eſt, duo ſumma in aliqua Republica ſtatuere, quorum alterum in ordine fundandi, alterum in ordine regendi collocetur. Quæ abſurditas vel exinde magis conſpicua fit, quando Majeſtas Perſonalis ſubjicitur Majeſtati Reali, quæ tamen adhuc ſumma poteſtas vocari debet. Etenim ſummam eſſe poteſtatem, & tamen alteri ſubjici, non poteſt liberum eſſe a contradictione. II. Si Majeſtas Perſonalis eſt ſumma & abſoluta poteſtas in bona & perſonas civium omniumq; ſubditorum, quæri non immerito poteſt, in quæ bona, aut in quas perſonas, jus ſummum exerceat Majeſtas Realis. III. Poteſtas, quæ a populo Principi conceditur, aut eſt plenaria, aut limitata. Si limitata fuerit, nullam conſequitur Princeps Majeſtatem. Si plenaria, ergo quoque totalem, realem, & omnem accipit: ita ut nulla penes populum remaneat: niſi in una numero Rep. quis duas Majeſtates, ſive duo ſumma, abſurde ſtatuere velit. Quamobrem, quamdiu imperat Princeps, abeſt a Repub. Majeſtas: extincto eo ad Rempubl. revertitur. Atque hoc vult Tacitus, cum l. 3. Ann. c. 6. ait, *Principes mortales, Remp. æternam eſſe.* Nimirum id docet, mortuis Principibus, Reſpublicas non ſtatim perire, ſed adhuc durare.

Quid ſunt Jura Majeſtatis?

Jura Majeſtatis ſunt, ex quibus ſumma poteſtas conſtituitur. Ea Livio dicuntur *Jura Imperii*, Tacito *Sacra Regni*. De numero horum Jurium, non conſtat inter Politicos. Plerique tamen dividunt in Majora, & Minora. Majora dicuntur, in quibus

suprema potestas, & dignitas Majestatis consistit. Minora, utilitatem, & Fiscum respiciunt.

Anne communicari possunt Jura Majestatis?

Quoniam Majestas pro subjecto essentiæ Civitatem habet, hactenus una & individua intelligitur esse, neque communicabilis alteri civitati. Amitteretur enim & periret, quicquid communicaretur aut divideretur, i. e. non maneret Majestas, quod esse debet. At in eadem civitate, id est in uno eodemq; subjecto essentiæ, subjectum existentiæ diversum esse potest, ut quædam Majestatis Jura penes unum, quædam penes plures sint; sed hoc ad formam civitatis referendum est, quæ exinde mixta fit, & appellatur. Notandum interim, cum subditorum sive parentium natura pugnare, si Jura Majestatis illis communicari dicantur. Nempe, cum communicatione Jurium Majestatis, adeoque cum assumtione ad Societatem imperandi in eadem civitate, non debent confundi, quæ indulgentur privilegia & beneficia, salvo semper ipso imperii jure intelligenda. Hæc autem, & partem tantummodo civitatis exiguam spectant, & a Majestate Civitatis dependent, ejusque scopo inservire coguntur. Quod autem Majestatis est, independens sit necesse est. Nam, de Magistratibus, & Curatoribus, ea, quæ mandata, & commissa sunt a Majestate, agentibus, res aperta est, quantuscunq; sit, vel in objecto actionis, vel in mandatis, & formula splendor; nihil proprium, nihil summum, nihil denique tale est, quod Ministerii modum, & parendi mensuram transcendat.

CAPVT XVII.

De Jure Legum ferendarum.

Competitne Summæ Poteſtati Jus Legum ferendarum?

SVmmæ Poteſtati competit omnino Jus ferendarum Legum. Forma enim Civitatis eſſentialis conſiſtit in ordine imperandi parendique, ſive in imperio: imperium autem, ſine jubendi poteſtate, intelligi nequit. Ex juſſione ergo Legis origo repetitur, quæ nihil eſt aliud, quam ſummæ poteſtatis juſſum, & quidem ad finem Civitatis relatum: is enim obtineri nequit, niſi jubere aut vetare ſummæ poteſtati liceret, quæ vel ad conſtituendam bene Civitatem, vel ad regendam pertinent. Primum hoc itaque & præcipuum caput Majeſtatis eſt, Legem univerſis & ſingulis civibus dare poſſe libere, id eſt, ſine neceſſario Superiorum, aut æqualium, aut inferiorum conſenſu.

Atqui, ſæpe Sapientes inveniunt, & Magiſtratus quoq; inferiores ferunt Leges.

Quamvis Lex non inveniatur a Majeſtate, ſed alterius conſilio ſuggeratur; tamen autoritatem, & vim ſuam a Majeſtate conſequitur. Hic enim non inventio, ſed autoritas ſpectatur, quæ ſuam facit Legem, cui ſuam impertivit vim, & robur. Inferiores autem Magiſtratus, quando in uſum Civium ſuorum condunt ſtatuta, hoc tantum fit Summi Principis permiſſu, qui poteſt ea abrogare, confirmare, aut libere circa ea diſponere.

Quid est Lex?

Lex est præceptum, a civili Majestate rite promulgatum, obligans omnes subditos ad faciendum id, quod imperatur, & omittendum id, quod interdicitur, prout utilitas Civitatis id exigit.

Estne Promulgatio Legis necessaria?

Promulgatio Legis omnino requiritur, neque obligat Lex naturaliter, nisi ab eo tempore, quo promulgata est. Malus ergo Legislator Caligula fuit, qui vectigalia indixit, neque proposuit. Itaque, cum, per ignorantiam scripturæ, multa commissa fierent, tandem flagitante Pop. Rom. proposuit quidem Legem, sed & minutissimis literis, & angustissimo loco, uti ne cui describere liceret: *Suet. in Calig. c. 4.*

Quodnam est Objectum Legis?

Objectum Legis Civilis sunt res indifferentes, id est tales, quæ a jure naturali certo determinatæ non sunt ad bonum, vel malum, honestum, vel turpe. Nam, quæ se habent indifferenter ad bonum, vel malum, illa ex se vim obligandi non habent; sed illam vim consequuntur per publicam potestatem. Qua demum fit, ut, quod hactenus erat liberum seu indifferens, ad certam juris rationem revocetur, & vim obligandi consequatur. In desuetudinem autem si deducta fuerit Lex naturalis vel Divina, in usum revocari Lege humana potest; quin & determinari ad certum tempus & locum possunt, quæ tantum quoad substantiam Divinitus mandata erant.

Estne Justum de Essentia Legis?

Sane, Lege humana positiva nihil prohibendum erat, quod Lege Divina, aut naturali conceditur, neque

que mandandum, quod iisdem vetatur. Non tamen ideo Justum est de Legis essentia. Lex enim Civilis ex utilitate Reip. est definienda, atque est medium hujus obtinendi finis: media autem suam bonitatem a fine accipiunt. Sicut vero Resp. non est una & eadem, sed alia bona, alia mala: ita & finis erit diversus, & consequenter media, inter quæ & Leges, diversimode se habebunt. Si autem quis nihilominus acriter contendat, Justum esse de Juris, sive Legis essentia, distinguere licebit inter Justum moraliter, & civiliter tale.

Potestas Legislatoria in quibus occupatur?

Potestas Legislatoria occupatur, 1. in Legum sanctione, ut Leges in usum Civitatis condantur, quo sint norma administrationis publicæ, & actionum civilium. 2. In Legum authentica interpretatione. Habent quidem & JCti facultatem interpretandi Leges, quatenus veram sententiam Legum explicant, ac e consuetudine, & receptis populi moribus, vim earum ostendunt, eaque interpretatio *Doctrinalis* dicitur. Sed, si quid ambigui aut obscuri in Legibus occurrat, ad Principem itur, ut earum obscuritatem vera declaratione tollat: quæ interpretatio dicitur *Authentica*, ac vim Legis obtinet. 3. Occupatur quoque Potestas Legislatoria circa Legum abrogationem, & mutationem. *Abrogatur* Lex, cum ipsi penitus vis obligandi adimitur. *Mutatur*, quando ei aliquid additur, vel adimitur, vel etiam autoritas illius tollitur, & Lex alia in locum surrogatur. Citra necessitatem tamen urgentem Leges semel constitutas mutare non decet; nec enim alia re magis labefactatur status Civitatis, quam legum crebra mutatione.

Quænam sunt Partes Legis?

Lex perfecta tribus partibus absolvitur: 1. *Procœmio*, quod tanquam caput Legi præponitur, quo ejus ratio, æquitas, justitia, utilitas demonstratur, ut eo facilius obsequium inveniat. 2. *Constitutione*, qua illud, quod in Civitate justum, vel injustum esse debet, præcipitur, aut vetatur. 3. *Epilogo*, quo bene merentibus, seu obsequentibus, præmia, immorigeris pœnæ decernuntur.

Suntne hæ Partes in omni Lege necessariæ?

Potest Lex Procœmio & Epilogo carere, modo certum quid præcipiat: imo Seneca Ep. 94. ex Stoicorum sententia, Procœmium in Lege prorsus damnat, inquiens: *Non probo, quod Platonis Legibus adjecta principia sunt: Legem enim brevem esse oportet, quo facilius ab imperitis teneatur, velut divinitus emissa vox sit; jubeat, non disputet. Nihil videtur mihi frigidius, nihil ineptius, quam Lex cum prologo. Mone, dic, quid me velis fecisse: non disco, sed pareo.* Interim hodie, consensu gentium plerarumque, videmus usurpari hæc procœmia, in novis Legibus ferendis, aut veteribus corrigendis. Quin imo ipse Decalogus, Lex nobilissima & sapientissima, suis procœmiis non caret.

Quomodo Lex debet esse comparata?

Requisita Legis *Isidorus lib. 2. Orig.* sic expressit: *Lex esse debet honesta, justa, possibilis, secundum naturam, & patriæ consuetudinem, loco temporiq; conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoq;, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat: nullo privato commodo, sed pro communi Civium utilitate conscripta.* Cæterum, quia humana prudentia non

potest

poteſt omnia complecti atque definire, ratiocinatio ex ſimilibus, aut exemplis, aut reſponſis prudentum, vel placitis curiarum, præcipue autem Principis declaratio, pro remedio ſunt.

Quomodo Lex dividitur?

Lex dividitur in Scriptam, & Non-ſcriptam: Fundamentalem, & non fundamentalem, ſeu privatam: denique Vniverſalem, & Particularem.

Quid eſt Lex Scripta?

Scripta Lex dicitur, quæ publica autoritate in ſcriptis eſt propoſita.

Quid eſt Lex Non-Scripta?

Non-ſcripta Lex, & quæ alias *Conſuetudo* dicitur, eſt jus, tacito Imperantis conſenſu, paulatim introductum. Poſſunt quidem & conſuetndines redigi in ſcripturam, non tamen ideo transeunt in naturam Legum ſcriptarum; quia hic ſcriptura tantum accedit, ut memoria juvetur. Proinde differunt omnino, legem ſcribi, & legem redigi in ſcripturam.

Quid eſt Lex Fundamentalis?

Lex Fundamentalis eſt, quæ concernit fundamentum Reipubl. & modum Regiminis, ſeu adminiſtrandi imperii reſpicit.

Quid eſt Lex Privata?

Privata Lex eſt, quæ Reip. negotium per ſe non attingit, ſed privatas Civium res & actiones diſponit, iisque modum, & rationem præſcribit.

Quid eſt Privilegium?

Privilegium, eſt lex vel conſtitutio privata, qua alicui, e ſingulari ratione, aliquid ſpeciale, contra ju-

ris communis dispositionem, conceditur. Dividitur privilegium in *Personale*, quod cum morte privilegiati extinguitur; uti Doctoratus: & *Reale*, *seu Hereditarium*, quod ad posteros transmittitur; uti Nobilitas.

Ecquis Fons est omnium bonarum Legum?

Fons omnium bonarum Legum, est Lex naturæ, sive ipsa Natura intelligens, quam Deus homini indidit, & per quam cognoscere & dijudicare potest, quæ sunt honesta, & humanæ dignitati consentanea; tum quæ turpia, & indecora. Connascitur autem hoc lumen, & naturale rationis dictamen, non actu, sed potentia; proxima tamen, quæ scilicet, ut primum ratio se vindicare, & exercere incipit, in actum prodit, applicaturq; ad opera particularia, per dictamen conscientiæ. Comprehendit Lex naturalis prima & universalia principia practica & conclusiones inde deductas. Prima Principia practica, sunt: *Bona esse facienda: Mala non esse facienda.* Atq; hæc non possunt deleri ex hominis mente. Quando autem, per consequentias, ad minus universalia descenditur, fieri potest, ut prava educatione, aut consuetudine, ea, quæ juris naturæ sunt, obscurentur, & obliterentur.

CAPUT XIIX.

De Potestate circa Sacra.

Competitne Majestati potestas circa Sacra?

COmpetit omnino Majestati potestas circa Sacra. Competit enim illi omne id, sine quo finis Reipubl. obtineri non potest. Fieri autem nequit, ut felicitas civilis comparetur, vel incolumis servetur, citra curam Religionis, Cultumq; Divinum.

In

In quibus consistit Potestas Principis circa Sacra?

Gerhardus, in loco de Magistr. Polit. duas hujus juris munerisque facit partes. I. Recti cultus conservationem: II. Collapsi corruptive restaurationem. In *Recto cultu conservando*, potestati civili permittit commendatque, 1. *Ministrorum idoneorum constitutionem*, non sine cautione, de adhibendo Ecclesiæ judicio, in vocatione Ministrorum. Atque ad hoc caput refert Scholas, sustentationem Ministrorum, ordinem inter eos instituendum, tum & remotionem flagitiosorum Ministrorum. 2. *Legum Ecclesiasticarum promulgationem*, de externo Cultus Divini exercitio, additis cautionibus, ne tales sint Leges, quæ cum officio Ministrorum pugnant: ne quid temere, aut sine matura deliberatione mutetur, nec sine consilio Ministerii Ecclesiastici Leges ferantur. 3. *Bonorum Ecclesiasticorum* legitimam dispensationem. 4. *Ecclesiæ Inspectionem*: quo Visitationes refert, & Synodorum convocationem. *In Recto cultu*, si collapsus est, restaurando, ponit 1. Inquisitionem in errantes, præsertim hæreticos, & seductores. 2. Coërcitionem eorum. 3, Idololatrici cultus abolitionem.

Suntne Personæ Ecclesiasticæ Potestati Civili subjectæ?

In Ecclesiasticis personis duo sunt consideranda: 1. Ecclesiasticum, quod gerunt, officium. 2. Politicum, quo civili societati obstrictæ sunt, vinculum. Ad Ecclesiasticum officium quod attinet, id in Verbi Divini prædicatione, & Sacramentorum administratione potissimum occupatur, & hac ratione pote-

 stati

ſtati civili non ſunt ſubjectæ. Magiſtratus enim nec poteſt, nec debet illis præſcribere aliam docendi formam, quam eſt in verbo Divino ipſis præſcripta. Reſpectu Politici, quo Eccleſiaſticæ perſonæ Reip. obſtrictæ ſunt, vinculi, ſubditi ſunt, cum Magiſtratus non exiſtant. Vnde Levitæ non ſolum Aaroni, ſed & Moſi, qui Princeps Civilis erat totius populi, fuerunt ſubjecti. Salomon, propter crimen læſæ Majeſtatis, Abjatharem Pontificem non tantum ſacerdotio exuit, ſed & neci adjudicavit; etſi gratiam ei fecit, propter merita illius erga Davidem parentem, 1. Reg. II. 26. Hinc Paulus, Act. XXV. 10. a Synedrio Hieroſolymitano ad Cæſarem appellat: *Ad tribunal Cæſaris ſto*, inquit, *ubi me oportet judicari.*

Competitne Perſonis Eccleſiaſticis Jurisdictio?

Jurisdictio, proprie ita dicta, perſonis Eccleſiaſticis non competit; etſi apud quasdam gentes ea illis conceditur. Non tamen derogandi iis ſunt tales actus, qui ad jurisdictionem accedere videntur, a jurisdictione tamen proprie dicta longius abſunt. Vti eſt uſus Clavium; Denegatio Sacramentorum; prohibitio ingrediendi Eccleſiam; Excommunicatio. Licet ad cognitionem Majeſtatis pertineat, an quis, præcipue in dignitate conſtitutus, juſte excommunicetur.

Suntne plures Religiones in Republ. tolerandæ?

Flagitat quandoque neceſſitas, plures in Republ. tolerare Religiones. Nam, non poteſt Majeſtas ea, quæ perfecte optima ſunt, omnibus ſemper imperare; ſed eam oportet interdum minus bona permittere ſub-

ſubditis, ſive vitandi majoris incommodi gratia, ſive quod virtutis illius præſtantia ſuperet Civium captum. Diſtinguenda tamen eſt ſingulorum, privatim diverſa, citra turbas, ſentientium, tolerantia, ab exercitii publici conceſſione: ſicut & tranquillus Reipublicæ Status, a perturbato diſcerni debet. Religionis item diverſitas a blaſphemiis publicis plurimum differt. Aliud quoque eſt tolerare religiones diverſas, aliud approbare: unde nec ſyncretiſmus locum habet, ſed pax, & concordia publica.

Anne licet Subditos ad Religionem amplectendam cogere?

Vis homines ad religiones cogendi in Sacris Literis non eſt fundata; quin potius in iis reperitur, quod Servator nullum alium modum propagandi Doctrinam fidei Apoſtolis injunxerit, quam docendo, & quidem in lenitate ſpiritus. Deinde, Chriſtus requirit ſpontaneam fidem, citra violentiam. Nec favet dictum Domini, apud Lucam XIV. 23. *compelle intrare*: quia eo non ſignificatur violenta quædam coactio, ſed ſedula diligentia in invitando, & rogando. Præterea, *in Eccleſia primitiva* inauditum fuit, licitum eſſe Regibus & Principibus, Chriſtianam Religionem vi obtrudere populis: quin, id Patres docent, Deum ſponte colendum eſſe, & a Religione omnem abeſſe debere coactionem. Canon Concilii Toletani cap. de Judæis diſt. 45. *Præcipit ſancta Synodus; nemini deinceps ad credendum vim inferre. Cui enim vult Deus, miſeretur, &, quem vult, indurat.* Tertulliani dictum notum eſt: *Lex nova non ſe vindicat ultore gladio.* In libro antiquo, cui nomen Conſtitutiones Clementis, de Chriſto dicitur: *Liberam*

reli-

reliquit hominibus arbitrii potestatem , non morte temporali eos puniens, sed in altero seculo ad reddendam rationem vocans. Procopius, in arcana historiæ parte, docet, a Sapientibus culpatum fuisse Justiniani consilium, quod Samaritas vi, ac minis, ad Christianam fidem compulerit ; addit & incommoda inde secuta.

CAPUT XIX.

De Jurisdictione & Provocationis Jure.

Competitne Majestati Juris reddendi potestas?

COmpetit omnino Majestati potestas juris reddendi : quippe etiamsi illa omnia constituat quæ Reip. utilitati inserviunt, inanis tamen erit omnium Legum tenor, nisi de genere facti positæ Leges, singularibus applicentur, & quod cuique potentia competit, id actu, seu effectu tribuatur. Hinc reddendi juris nata potestas, quæ factis singulis in specie statuta accommodat. Atque hæc Potestas Jurisdictio dicitur, & Criminalia non minus quam Civilia spectat ; etsi, usu hodierno, Criminalium potestas hoc vocabulo non notatur.

Quodnam est Subjectum Jurisdictionis?

Potestas administrandæ Justitiæ, formaliter & primo, est in Majestate, sive penes unum, sive penes plures sit Majestas : per participationem est in Magistratibus.

Com-

Competitne Majestati Jus Provocationis?

Quia Jurisdictio primo & formaliter penes Majestatem est, satis intelligitur, a Majestate ipsa non posse appellari, sive provocari; ad Majestatem autem, tanquam ad fontem omnis Jurisdictionis, ab omnibus Magistratibus provocari posse, (id quod jus extremæ provocationis vocant,) caret controversia, & hoc jus a Majestate est inseparabile.

Quid est extrema Provocatio?

Extrema Provocatio, est jurisdictionis inferioris judicis, per legitimam invocationem supremi, in eodem judicio factam, suspensio. Semper enim cum ordine Magistratuum ascendit jurisdictio, donec in summa terminetur potestate: nisi *ab eadem ad se ipsam* putet quis appellandum esse; quomodo Græcorum quidam, a Philippo Macedoniæ Rege poto, ad eundem sobrium appellavit, Val. Max. l. 6. c. 2. & ab Imperatore male informato, ad eundem melius informandum, appellationem permissam esse, tradunt Interpretes, per l. 1. C. *de relation.* & l. 1. §. *quæsitum de Appellationib.* Hanc tamen appellationem, sive provocationem, rectius *irregularem* dixeris.

Potestne Jus extremæ Provocationis aliis communicari?

Nihil prohibet, quo minus Majestas jus suum mandet alteri, ut ab ejus sententiis, vel simpliciter, vel in certa causa, non appelletur; modo id *non fiat abdicative:* sic enim possessio, & superioritas Principi, tanquam mandanti, reservatur. Sic olim Caligula Magistratus omnes extra provocationem judicare jussit: quod, cum in desuetudinem ierat, Hadrianus

nus Augustus renovavit, &, ne a Senatu provocaretur, vetuit. *ff. a quib. appell. non licet.* Ex Aurea Bulla quoq; c. 11. Electores eo jure utuntur, *ut nulli Comiti, Baroni, Nobili, Vasallo, Civi, vel Rustico, Electorum tam Secularium quam Ecclesiasticorum, a sententiis eorum, aut etiam Judicum suorum, appellare liceat.*

CAPUT XX.

De Jure Magistratuum constituendorum.

Competitne Majestati Jus Magistratuum constituendorum?

EX Jurisdictione, quæ competit Majestati, fluit Magistratuum creatio, & constitutio, quæ nihil est aliud, quam concessio Jurisdictionis particularis, certis limitibus, ac modo circumscriptæ, Superioritatis jure semper salvo, vel ad Remp. gerendam, vel ad Jus privatis dicendum. Cum enim Majestas omnibus in locis Reip. adesse, aut cuncta istius negotia immediate procurare nequeat, ideoque indigeat aliorum opera in regenda civitate, eapropter Magistratus constituit, quorum subsidio facilius & melius Resp. administrari possit.

Quot modis accipitur Vocabulum Magistratus?

Latinis veteribus Magistratus semper sunt ii, *quibus a Majestate certa imperia sunt commissa.* Juniores, præsertim Theologorum consuetudinem secuti, pro Imperantibus in universum sumunt, & maxime

xime pro iis, *qui Majestatem habent*; ita, de Magistratu Politico agentes, quicquid est Imperii in Rep. & præsertim summum, intelligunt. Prior significatio est hujus loci.

Quæ observanda sunt in eligendis & constituendis Magistratibus?

Observet Princeps, sive Resp. 1. Ne illi ad Magistratus dignitatem promiscue evehantur, qui eam ultro ambiunt: nam, *se ingerentes pro suspectis habentur*, ex pronunciato Vlpiani, l. 25. *ff. de procurat. & desens.* 2. Nec nimis juvenes, ob imperitiam, nec nimis senes, quia horum prudentia evanuit, sunt eligendi. 3. Non brevi tempore mutandus est Magistratus. Rerum enim gerendarum cognitio longo tantum usu acquiritur: tum vero parum est in iis autoritatis, qui jam ad clavum sedent, &, intra paucos menses, cives, vel subditi iterum futuri sunt. Quin, nec multum diligentiæ adhibent in rebus gerendis, qui sciunt se brevi populo fore æquales. Neque tamen etiam perpetuos Magistratus esse convenit; ne, qui iis funguntur, nimis potentes, aut sævi reddantur. 4. Remotissimis regionibus optimi gubernatores imponendi sunt: ipsa enim longinquitas, ut subditis spem auxilii adimit, ita regentibus fiduciam impunitatis præstat. 5. Nemo officio, quamvis exiguo, admoveatur, in quo honor est & dignitas, nisi spes sit, ad majorem dignitatem eum idoneum fore: tales enim, sive evehantur ad honores ulteriores, sive in loco suo relinquantur, detrimento sunt Reipubl. Nam, priore casu, muneribus indigni præficiuntur; posteriore, ii, quibus juniores præferuntur, vindictam meditantur. Adde, quod in offi-

cio ſedulos facit ſpes creſcendi. 6. Annua inſtituenda Magiſtratus inquiſitio: nullius enim virtuti ita credendum, ut non Principi, ſive Reip. conſtet ratio adminiſtrationis; cum honores mores ſubinde mutare ſoleant.

Quid fluit ex Jure Magiſtratuum conſtituendorum?

Ex Jure Magiſtratuum conſtituendorum fluit *Jus condendæ Civitatis*, ut ibi incolæ ſint veri Cives, habeantque poteſtatem, non tantum commercia exercendi, ſed & Magiſtratu fungendi, ac judices de civilibus, & criminalibus conſtituendi.

CAPUT XXI.

De Jure Belli & Pacis.

Competitne Majeſtati Jus Belli gerendi?

QVia Majeſtatis eſt, non domi tantum pacem inter Cives conſervare, eoque prohibere injurias, judicare, omniaque turbamenta tranquillitatis civilis, ſine qua civitas beata eſſe nequit, e medio tollere; ſed etiam ab omni vi externa cives defendere: itaque ſatis apparet, neque injurias demi, aut vindicari aliquando poſſe, niſi bello adverſum eos, qui nullum judicem agnoſcunt; neque pacem inviolatam perdurare, niſi bello interdum redimatur ac ſtabiliatur. Fluit ergo, ex ipſis juris naturæ dictatis, hæc poteſtas, vim injuſtam vi juſta depellendi, tegendi armis patriam, defendendi aras, focoſque. Neque de Jure Divino ſupereſt dubitatio.

Quid

Quid est Bellum?

Bellum, est dissidium populorum, per vim concertantium, susceptum, ad propulsandam, vel vindicandam injuriam.

Quomodo dividitur Bellum?

Bellum dividitur in Publicum, & Privatum; Solemne, & minus solemne; Justum denique, & Injustum.

Quid est Bellum Publicum?

Bellum Publicum est, quod ab eo, qui summam habet potestatem, sive eo, cujus actus alterius actui non subsunt, nec ab alterius humanæ voluntatis arbitrio irriti reddi possunt, vel hujus jussu, & autoritate geritur.

Quid est Bellum Privatum?

Bellum Privatum est, quod privata suscipitur & geritur autoritate.

Licetne aliquando Subditis Bellum gerere, sine consensu Superioris?

Licet Subditis Bellum gerere, sine consensu Superioris, si nimirum Respubl. absente Principe contra hostem defendenda sit, nec possit Principis voluntas commode explorari. Nam, & homini privato, in subita violentia, sine Magistratus consensu, contra latronem se defendere, est concessum.

Anne Subditis Arma corripere licet adversus Principem?

Observandum hic 1. quod subditi quidam, vel coacte, vel voluntate sua sint tales. 2. Quod quidam mere dicantur subditi, qui scilicet nullam potesta-

tis partem obtinent, ſed Superiori ſimpliciter ſunt ſubjecti; quidam vero mixti, qui vel ex legibus fundamentalibus, vel ex pacto, vel conſuetudine, in partem poteſtatis ſunt recepti. 3. Diſtinguendum inter delicta Principis publica & privata. His præmiſſis, dicendum: 1. Principi Supremo, qua tali, ſubditi non debent reſiſtere: reſiſterent enim alioqui ordinationi Divinæ, & poteſtatem publicam ſibi arrogarent; quod iis, qui ſe mere paſſive habent, non competit. 2. Qui vel ſua voluntate, vel juſto bello coacti, alteri ita ſubjiciuntur, ut Superior in eos habeat poteſtatem vitæ & necis, tales Superiori huic reſiſtere non poſſe, ſed ſolam obſequii gloriam iis relictam eſſe, extra controverſiæ poſitum eſt periculum. 3. Principi, Rempublicam data opera evertenti, ſubditi etiam meri ſeſe opponere poſſunt. Quamprimum enim Superior Reip. quærit everſionem, & in bona ac corpora ſubditorum graſſatur, non amplius eſt ordinatio Divina; (quæ requirit, ut ſit Dei Miniſter, ſubditis in bonum, & malis in malum) ſed potius Reip. hoſtis: & adverſus hunc ſubditis licebit ſe tueri. Summa enim poteſtas non faciendi quidlibet notat arbitrium, ita, ut rationem nullam, tum juris naturæ, tum gentium habere conveniat: Sed tantum jurium Majeſtatis, abſolutum, ſine approbatione, & conſenſu aliorum, innuit imperium. Sedulo tamen tenendum, non cuique hoc caſu concedendam eſſe poteſtatem Principem invadendi, ſed communem omnium ſubditorum conſenſum requiri: tum vero omnia alia remedia prius tentanda ſunt, quam ad arma deveniatur. 4. Mixti, & non meri, qui dicuntur ſubditi, violentiæ Superioris ſeſe opponere poſſunt. Ex contractibus enim mutua oritur obli-

gatio. Quod si ergo Princeps a contractu suo discedat, nec jura, libertates, & privilegia subditorum tueatur, Ordinibus licet salutis publicæ habere rationem. 5. Moraliter pravo & impio non licet obsistere, nisi bonum evertat publicum. Nam Jeroboamo, qui idololatria sua peccare faciebat Israël, Deus tamen per Prophetam nunciari jubet: *Eris Rex super Israël*, 1. Reg. XI. 37. & Saul, a quo Spiritus Domini recesserat, nihilominus vocatur *Unctus Domini*, 1. Sam. XXIV. 7. Scilicet, Magistratum esse, abstrahit a virtute & vitio morali privato, & tantum bonitatem civilem sive publicam requirit. Ergo, quamdiu vitia Imperantis sunt privata, obedientia, quæ illum ut personam respicit publicam, ei non est deneganda.

Quid est Bellum Solemne?

Ad Bellum Solemne requiritur, 1. ut utrinque geratur ab eo, qui summam habet potestatem. Cum enim Majestas superius tribunal in his terris non agnoscat, necesse est, ad gladium provocet, ac suam caussam fortunæ committat. 2. Requiritur, ut Bellum utrinque rite sit indictum. Hæc indictio vocatur *Clarigatio*, a claritate vocis, qua Bellum denunciabatur a Patre Patrato, sive Principe Fecialium.

Quid est Bellum minus Solemne?

Bellum minus Solemne est, quod sine ritibus prædictis geritur, cum scilicet in alterius regionem mittitur exercitus, sine denunciatione prævia.

Quid est Bellum Justum?

Bellum Justum est, quod a legitimis personis, justis de caussis, debito modo, & fine geritur. Non igitur justæ Belli causæ sunt, diversitas Religionis,

libido dominandi, Avaritia, aut imminutio vicinæ poteſtatis: ſed 1. legitima defenſio; 2. vindicatio ejus quod noſtrum eſt, aut noſtri juris. 3. Pœna, qua imperii violata Majeſtas, attritæ ſubditorum fortunæ, violata gentium jura, aliæque injuriæ vindicantur.

Quid eſt Bellum Injuſtum?

Bellum Injuſtum eſt, quod ob cauſas non juſtas geritur, & nec a perſonis legitimis, nec modis legitimis peragitur.

In quibus conſiſtit Præparatio ad bellum?

Præparatio ad Bellum occupatur in armis, pecunia, commeatu, & militibus conquirendis.

Quid eſt Militia?

Militia, eſt multitudo apta, & compoſita in armis, ad vim faciendam, vel arcendam, certis legibus ordinata.

Quotuplex eſt Militia?

Militia triplex eſt: Lecta, Mercenaria, & Socia.

Quid eſt Militia Lecta?

Militia Lecta eſt, quæ colligitur ex indigenis, ſeu ex illis, qui in ea Civitate & provincia ſunt nati.

Quid eſt Militia Mercenaria?

Militia Mercenaria eſt, quæ certis ſtipendiis tam domi, quam foris conducitur.

Quid eſt Militia Socia?

Militia Socia eſt, quæ, ex pactionibus fœderum, populo periclitanti in auxilium mittitur.

Quæ

Quæ observanda sunt in gerendo Bello?

In bello gerendo, sive administrandis iis, quibus vires hostiles infringuntur, observandum, 1. ne quis occasiones, rebus gerendis aptas, elabi patiatur. 2. Loca commoda sunt occupanda, quo hosti occasio præcidatur, prædas agendi, aut auxilia evocandi. 3. Cavendum, ne unius prælii fortunæ aut casui, qui adversus esse potest, tota vis Reipubl. committatur. 4. Iis, qui alienam provinciam invadunt, in id incumbendum, ut ab initio locum aliquem tutum occupent, eumque probe muniant, quo ibi pedem figere, refugium habere, commeatus & prædas deponere, & supplementa militiæ servare queant. 5. Eligendi sunt periti belli Duces, autoritate, & prudentia instructi. 6. Miles continendus est in officio, ut promte pareat, strenue certet, ab injuriis abstineat.

Licetne Militi Bellum sectari, si de justitia causæ dubitet?

In *Dubia Causa*, milites, qui *Subditi* sunt, castra sequi possunt: in Dubio enim, patriæ potius, quam inimicis favendum. Alia tamen ratio *Ducum* est: hi enim, quoniam ut Consiliarii vocantur, serio illis de Justitia Belli judicandum. Qui milites *Subditi non sunt*, in dubia causa militare non debent; quia ad eos bellum non pertinet, nec illis licet rei dubiæ se immiscere.

Quid est Bellum Offensivum?

Bellum Offensivum est, cum, extra limites nostræ regionis, castra promoventur, & ita hostis impugnatur.

Quid est Bellum Defensivum?

Bellum Defensivum est, cum intra limites nostros hostem avertimus, & ipsius insultus propulsamus.

Quis est Finis Belli?

Finis Belli intermedius est Victoria; ultimus est Pax: ideo enim belligerantes certant, ut tandem, sedatis motibus, pax obtineri queat.

Quæ sunt observanda circa Victoriam?

Circa Victoriam observetur, 1. quod ea serio utendum: hoc est urgendi sunt successus, & trepidis instandum, ne potissima pars vires colligat. 2. Victus benigne habendus. 3. Victoria auxiliantibus grata, & nec innocentibus gravis, nec finitimis onerosa esse debet. 4. Victoria non superbe, aut crudeliter utendum.

Quid est Pax?

Pax est solemnis & publica conventio, qua, deposita inimicitia, vel simpliciter, vel certis pactionibus, ab hostili armorum usu cessatur, & finis Bello hactenus gesto imponitur.

Quid circa Pacem concludendam observandum est?

Negotium concludendæ Pacis prudenter tractandum est, ne ex ea plus detrimenti, quam commodi, sentiat Civitas. Interdum enim magis expedit, Bellum animoso consilio gerere, quam abjecto animo turpem pacem inire.

Quid faciendum Pace jam firmata?

Quando Pax firmata est, oportet, 1. Oblivisci omnium eorum, quæ tempore publicæ hostilitatis facta sunt ab utroque exercitu. quod *Amnestiam*, seu

Legem oblivionis, vocant. 2. Contractam Pacem sancte servare oportet, & non tantum perfidiam evitare, sed & sibi cavere ab omni eo, quod alteram paciscentium partem potest exasperare. Hinc, ut conclusa pax eo firmior sit, solent paciscentes sibi mutuo dare *Obsides*, qui sunt tanquam fidejussores, de pace perpetuo & inviolabiliter servanda, ita ut, in casu non servatæ fidei; etiam in illorum vitam sævire liceat.

Qua re Pax violatur?

Pax violatur, quando conditiones pacis rumpuntur, & vel aliquid fit, quod iis est adversum, vel non peragitur illud, quod vigore pacis omnino fieri debebat. Non tamen, ob violatam quomodocunq; pacem, illico ad arma prosiliendum, sed præmittendæ sunt admonitiones de servanda pace.

Quid sunt Induciæ?

Induciæ sunt conventio, per quam, bello adhuc manente, bellici tantum actus aliquantisper cessant.

Quid circa Inducias observandum?

Dum Induciæ fiunt, cavendum, 1. Ne per eas amittantur rerum occasiones. 2. Ne interea vires accedant hosti. 3. Vt tempore induciarum miles nihilo secius sit in armis. Non semper enim fidem servant homines, cumprimis, si perfidia in suum uti possint commodum. In pactis autem induciarum interpretandis, abesse debent dolus & calumnia, & id, quod vere senserunt, aut sentire potuerunt paciscentes, sequendum erit.

CAPUT XXII.

De Jure Tributorum & Vectigalium.

Referendumne est Jus Tributorum indicendorum inter Jura Majestatis?

POtestas indicendi Tributa pertinet omnino ad Jura Majestatis. Cum enim nemo jure obligetur, de bonis suis aliquid largiri, nisi id cedat in commodum & utilitatem publicam, igitur is, qui Reip. præest, subditis imperare potest, ut tributa conferant in usum boni publici, ne pecunia necessaria desit.

Licetne Principi a Subditis exigere tributa?

Licet utiq; Principi a subditis exigere tributa: idq; Christus ipse Matth. XXII. confirmat, dum jubet *Cæsari dare, quæ sunt Cæsaris.* Quemadmodum enim totum corpus, alimentis ventriculo denegatis, ad tabem redigi necesse est; ita, tributis Magistratui denegatis, extrema Reipubl. pernicies impendet: *nec quies gentium sine armis, nec arma sine stipendiis, nec stipendia sine tributis haberi possunt*; ut ait Tac. l. 4. Hist.

Quæ sunt observanda in Tributis indicendis?

In Tributis indicendis observandum, 1. ut illorum exigendorum necessitas populo exponatur. 2. In iis exigendis servanda est æqualitas, ne quidam immunes sint, alii nimis onere graventur. 3. Tributa moderate imperanda sunt, secundum facultates & lucrum

crum

crum, quod quisq; e Republ. captare poteſt. 4 Tributa in uſum publicum convertenda ſunt, non vero in privatam Imperantium utilitatem, multo minus luxum. 5. Tributa non ſunt exigenda e rebus ad victum & amictum quotidianum pertinentibus. Nam, qui Cives ſuos privat rebus neceſſariis, iis animam eripere videtur.

Quomodo dividitur Tributum?

Tributum dividitur in Ordinarium, & Extraordinarium.

Quodnam eſt Tributum Ordinarium?

Ordinarium tributum eſt, quod ſtato tempore recurrit. Hoc tamen non eodem modo, nec in eadem quantitate, ſemper perſolvi poteſt, verum mutandum, prout Civium facultates vel augentur, vel decreſcunt.

Quodnam eſt Tributum extraordinarium?

Tributum Extraordinarium eſt, quod ſtatum ſuum tempus non habet, & tantum in caſu neceſſitatis imperatur. Ab hoc tributi genere, nec Eccleſiaſtici, nec Nobiles, pro more tamen regionis, ſe excuſare poſſunt.

Quid eſt Vectigal?

Vectigal, eſt pecunia, quæ ab indigenis pariter & peregrinis, in uſum viæ publicæ, ſolvitur ex iis rebus, quæ vel importantur, vel exportantur.

Æquumne eſt, ut Vectigal ſolvatur?

Omnino æquum eſt, ut vectigal ſolvatur, 1. ut viæ, per euntium & redeuntium vecturas detritæ, reficiantur. 2. Quia ſecuritas præſtatur transeuntibus.

Quæ

Quæ observanda sunt circa Vectigalia?

Circa Vectigalia observandum est, 1. mediocritatem ea excedere non debere. Quando enim nimis magna mercibus imponuntur Vectigalia, non tantum seditiones oriuntur, sed & Mercatores insuper prohibentur ea apportare, quibus carere non possumus, & exportare, quibus abundamus. 2. E rebus turpibus & sordidis vectigal, capere indecorum. 3. Nec rebus ad victum necessariis imponere decet vectigal. 4. Illis rebus, quæ cum Civitatis incommodo, vel importantur, vel exportantur, majora sunt imponenda vectigalia. 5. Vectigalium præfectura non committenda malæ fidei hominibus, nec talibus locanda. 6. Qui immunitate non gaudent, nec tamen vectigalia solvunt, aut minorem bonorum partem professi fuerint, res suas penitus amittunt, illarumque dominium ad vectigalis Dominum transfertur, seu fisco committitur; quod *Pœna commissi* vocari solet.

CAPUT XXIII.

De Jure Fœderum.

Quid est Fœdus?

FOedus, est conventio publica, autoritate Imperantium facta, inter duos populos, ad societatem, & amicitiam colendam, & ad mutuam utilitatem promovendam.

Quomodo dividuntur Fœdera?

Fœdus dividitur in Æquale, & Inæquale, Defensivum, & Offensivum; nec non Defensivum ac Offensivum simul; item in Temporarium, & Perpetuum.

Quid est Fœdus Æquale?

Fœdus Æquale est, quod utrinque se habet eodem modo, & in quo socii ab utraque parte obligantur ad paria.

Quid est Fœdus Inæquale?

Fœdus Inæquale est, quod non se habet eodem modo, & in quo una pars ad majora, & plura, altera vero ad minora & pauciora tenetur.

Quid est Fœdus Defensivum?

Fœdus Defensivum est, quod ob mutuum defensionis auxilium initur, ut, si unus ex sociis bello impetatur, alter eidem succurrat, eumq; defendat.

Quid est Fœdus Offensivum?

Fœdus Offensivum est, quod initur ita, ut, si unus hostem habeat, is & alteri sociorum sit hostis, quo sic ambo paciscentes mutuis viribus communem hostem invadere cogantur.

Quodnam est Fœdus Defensivum & Offensivum simul?

Fœdus Defensivum & Offensivum simul est, quod defendendi, & offendendi causa contrahitur.

Quid est Fœdus Temporarium?

Fœdus Temporarium est, quod ad certum tempus contrahitur, quo elapso illud exspirat, nisi iterum renovetur.

Quid est Fœdus Perpetuum?

Fœdus Perpetuum est, quod ad contrahentium vitam, aut aliud angustius tempus, non restringitur, sed ad paciscentium successores extenditur.

Quid

Quid observandum est in pangendis Fœderibus?

In Fœderibus pangendis, magna opus est prudentia. Etenim, 1. cum plures in unum fœdus conveniunt, oportet, ut id omnibus sit utile ac necessarium; alioqui enim non erit diuturnum. 2. Fœdera inter diversos Reipubl. Status non facile ineunda; sunt enim in his diversa studia, diversi quoq; fines. 3. Fœdus non pangendum est cum iis, qui non sunt potentes; hi enim auxilio esse nequeunt. 4. Non contrahendum est Fœdus cum iis, quorum suspecta potentia; ne occasionem ad opprimendum sociûm arripiant. 5. Non facile contrahendum fœdus cum nimis remotis. Nam, quod ait Tacit. l. 3. Ann. *Ex distantibus terrarum spatiis, consilia post res afferuntur.* 6. Fœdera semel contracta, sanctissime sunt servanda; plerunque enim juramento firmantur: tum vero graves pœnæ solent manere fœdifragos. 7. Si una paciscentium pars fœdus violaverit, licitum est alteri quoque ab eodem recedere.

Licetne cum Infidelibus Fœdus pangere?

Si *Jus Naturæ* consulatur, licet utique cum Infidelibus fœdus pangere, præcipue si non contrahatur animo nocendi. Jus enim Naturæ discrimen Religionis non attendit, sed potius permittit cuique defensionem, & eo fine alterius, quicunque is fuerit, auxilium. Sed nec *Juri Divino* repugnant ejusmodi fœdera: quod Fœdus Labanis & Jacobi, Genes. XXXI. Salomonis & Hirami Tyriorum Regis, 1. Reg. V. testantur. Interim, *non temere*, nec nisi ob causam urgentissimam, ejusmodi fœdera sunt contrahenda. Unde Franciscus I. Rex Galliæ, ob Fœdus cum Turca

initum

initum, Anno 1544. in Comitiis Spirensibus communis Christianorum hostis fuit declaratus.

Quid est Neutralitas?

Neutralitas, est status, quo Princeps, vel Respubl. finitimis inter se bellum gerentibus, non tantum a societate belligerantium abstinet, & neutram partem juvat, verum etiam illorum causæ se non admiscet; sed potius prudenter & caute inter illos se gerit medio modo, ob tranquillitatem, & salutem boni publici.

Estne consultum Neutralitatem arripere?

Machiavellus c. 21. *de Principe*, Neutralitatem dissuadet, & satius esse putat, vel vere amicum vel inimicum se ostendere: cum Neutralis cedat in rapinam victoris, & ea sit belli natura, ut is judicetur communis hostis, qui non fert suppetias. Hinc Neutrales quidam comparant grano inter duos molares lapides interjecto; alii iis, qui mediam domus partem incolunt. Enim vero, est tamen aliquando utile, neutras partes sequi. Nam, ut ait Sen. ep. 106. *Odium evitabis, neminem lacessendo:* testaturq; experientia, Neutralitatem sæpe Rebusp. magnæ fuisse utilitati.

CAPUT XXIV.

De Legationibus.

Opusne est Principi Legatis?

OMnino opus est Principi Legatis. Sæpe enim ea incidunt tempora, in quibus inter Summos Principes quædam tractanda sunt, quæ tamen ipsi, partim ob periculum, partim ob causas alias, per sese expedire

dire nequeunt. Hinc neceſſitas induxit, ut ejusmodi negotia publica per alios, nomine Superiorum, tractentur, iique, quoniam ad alios ablegantur & mittuntur, Legati dicuntur. His autem Majeſtas Principis perſonam imponit, eosque illuſtri dignitate & poteſtate exornat: unde etiam illi, qui munus Legati ſuſtinent, mittentis perſonam referunt.

Quid eſt Legatus?

Legatus eſt publicus mandatarius, miſſus ab eo, qui poteſtate mittendi prædituſ eſt, ad ſui ſimilem, ob publicum aliquod negotium perficiendum.

Quæ reſpicienda ſunt in eligendo Legato?

In Legato eligendo, reſpicere oportet ad Ingenii pariter & Corporis dotes.

Quæ ſunt Ingenii Dotes, Legato neceſſariæ?

Ad Dotes Ingenii, Legato neceſſarias, pertinet: 1. *Varia Eruditio*, ut is multarum rerum ſibi paraverit ſcientiam. 2. *Felicis memoriæ promtitudo*, ut teneat, quæ ab aliis fuere prolata, quæque ipſe dixit. 3. *Prudentia*, quo in actionibus ſe circumſpectum & providum præbeat. 4. *Judicii Rectitudo*, ut de iis, quæ objiciuntur, recte judicare valeat. 5. *Experientia*, quæ prudentiam auget, ac judicium recte firmat. 6. *Constantia animi* in rebus magnis, ne ſe patiatur dimoveri a juſto propoſito, licet adverſi quid acciderit. 7. *Eloquentia*, quæ non tam conſiſtit in promto eloquio, quam in gravitate ſententiarum, quæ facundo ſermone exprimuntur. 8. *Probitas*,

per

per quam intelligitur animi & vitæ integritas, ne donis ſe corrumpi patiatur, ac ſemper & ubique Superioris ſui commodum unice reſpiciat.

Quæ ſunt Corporis Dotes, Legato neceſſariæ?

Ad Corporis Dotes in Legato requiritur: 1. *Sanitas:* corpus enim morbis obnoxium, ad labores perferendos, & longum iter ſuſtinendum, ineptum eſt. 2. *Corporis Decor*, & gravitas. 3. *Juſta Ætas:* nam, nec adoleſcentibus, nec ſenibus munus hoc imponi debet. Huc referunt quoque aliqui *Bona Fortunæ:* nimirum, natalium honeſtatem, dignitatem officiorum, & divitiarum copiam.

Quibus rebus muniendus eſt Legatus?

Legatus muniendus eſt Mandato, & Inſtructione, quin & literis Creditivis, ac Sumtibus.

Quid eſt Mandatum?

Mandatum continet mandantis juſſum, cum poteſtate illud perficiendi.

Quid eſt Inſtructio?

Inſtructio conſiſtit in mandati interpretatione, qua Legato certa præſcribitur forma, & modus exequendi mandatum.

Quid ſunt Literæ Creditivæ?

Literæ Creditivæ ſunt, quibus Legatus commendatur ei, ad quem mittitur, & fides illi fit. Vocantur hæ Literæ alio nomine *Credentiales*.

Quare Sumtibus muniendus eſt Legatus?

Sumtibus muniendus eſt Legatus, ut dignitatem ſui Principis tueri queat.

In quibus consistit Legati officium?

Legatus, suscepta Legationis provincia, 1. actutum se itineri accingere debet. 2. Transiturus per alienas Regiones, Dominum territorii de adventu suo reddat certiorem. 3. Via solita & Regia illi tenenda. 4. Adventus e propinquo ei significandus, ad quem mittitur, ut debito suscipiatur modo. 5. Introitus in Vrbem, ordine decenti, & convenienti distributione equitum, curruum, famulorum, instituendus. 6. Post adventum petere debet Legatus, ut audiatur; ac literæ credentiales ab eo offerendæ sunt. 7. Mandatum, cum admissus fuerit, claris & perspicuis verbis proponendum est. 8. Mandato proposito, responsum modeste exigendum est. 9. Non immisceat se Legatus rebus alienis, & ad se nihil pertinentibus. 10. Mandati fines diligenter observandi sunt: quod si vero aliquid præter spem de novo emergat, novum mandatum exigat. Clausula enim communis, *Cætera tuæ prudentiæ & fidei committimus*, non attinet ad ipsum Legationis actum, sed tantum ad articulos, & modos speciales rei gerendæ. 11. In graviorum rerum tractatione, petendum, ut responsi formula literis consignetur.

Quænam sunt Privilegia Legatorum?

Legatorum Privilegia varia sunt: Vti 1. quod, dum absunt, si domi conveniantur, non coguntur mittere procuratorem. 2. Vacationem a muneribus Reipubl. obtinent, non modo in ipsa Legatione, sed & biennio post, l. 8. §. 1. ff. *de Legation.* 3. Communi omnium gentium consensu, Legati sacri sunt, & inviolabiles.

Quæ

Quæ sunt Legationum Genera?

Legationes variant, pro varietate causarum, quæ Legationem postulant, & pro arbitrio mittentium. Hinc aliæ Legationes sunt *Negotiosæ*, quæ ob Bellum, vel Fœdus, vel Sponsalia, vel res alias ejusmodi decernuntur. Aliæ sunt *Officiosæ*, quæ fiunt ad gratulandum, aut testandum dolorem.

CAPUT XXV.

De Moneta.

Quid est Moneta?

MOneta, est materia ut plurimum metallaris, & autoritate Principis charactere aliquo notata, habensque legitimum pondus, ut sit emtionis, & venditionis, aliorumque contractuum perficiendorum legitimum instrumentum.

Quæ sunt Monetæ necessaria Requisita?

Monetæ necessaria Requisita sunt tria: Materia, Forma, & Valor.

Quid est Materia Monetæ?

Materia Monetæ, est qualitas & bonitas intrinseca, Schrot und Korn / Gehalt und Gewicht: estque vel Aurea, vel Argentea, vel Ærea. Non tamen ex puro auro & argento hodie cuduntur Numi, sed plerunque alia materia, certi ponderis, addi solet. In hac Temperatura ne fraus committatur, certi auro, argento, & æri flando constituti præfecti, & ponderatores, qui olim Zygostatæ, l. 2. C. de *Ponderatoribus*, dicti, nunc vocantur, die Wardeine.

Quid est Forma Monetæ?

Forma Monetæ, est nota sive signum publicum, ipsi numo impressum, unde ejus publica autoritas, & valor cognoscitur.

Quid est Valor Monetæ?

Valor Monetæ, est ejus publica æstimatio, per quam difficultatibus permutationum subvenitur, der Werth oder Wardirung. Debet autem, in Numis probis, extrinseca æstimatio intrinsecæ bonitati respondere.

CAPUT XXVI.

De Dominio Eminente.

Quid est Dominium Eminens?

DOminium Eminens, quo vocabulo primum Grotius in libro de Jure Belli & Pacis usus fuit, est summa potestas Principis, vel alterius Reipubl. in possessiones, & bona Civium, ob utilitatem publicam, libere de iis disponendi. Potest igitur summus imperans, necessitate, vel bono publico id flagitantibus, bona, & opes Civium deposcere, aut eorum ædes destruere, vel circumjacentes hortos, & agros vastare, ut Civitas eo firmius possit muniri.

Estne Compensatio in ejusmodi casu necessaria?

Æquitas suadet compensationem, nullum vero strictum jus eam urget, ita ut, si damnum compensari nequeat, æquo animo illud ferendum sit. In omni enim societate, etiam maxime civili, quilibet saluti publicæ est obstrictus re, quin & corpore. Sarcit quidem acceptum damnum, si potest, Respubl. at magis

in

in præmium, quam ex debito; itaq;, si non potest, necessum est, ut pars quæque ferat, quod mutari non potest, ob reliqui corporis salutem.

CAPUT XXVII.

De Modis perveniendi ad Imperium.

Quot Modis paratur Imperium?

IMperium paratur vel Electione, vel Successione, vel Occupatione.

Quomodo se habet Electio?

Electio, ratione *Causæ*, fit vel ab omni populo, vel ab Optimatibus. Ratione *Modi*, distinguitur in eam, quæ fit per suffragia, vel per sortem. Vota sunt vel plane libera, vel ad certum quendam ordinem, ac certas personas restricta.

Quomodo se habet Successio?

Successio imprimis fit ratione generis & agnationis, quando Liberi in Imperio succedunt Parentibus, vel etiam proximi Agnati. Ad hanc successionis speciem, pertinent *Pacta Gentilitia* in illustribus familiis, per quæ constituitur, ut, alterius stirpe extincta, ad alterum Principatus, certa successionis lege, perveniat. Fit amplius successio ratione Desponsationis, Emtionis, Permutationis, Donationis, itemque Testamentariæ Dispositionis.

Quomodo fit Occupatio Imperiorum?

Occupatio Imperiorum fit per bellum justum & legitimum. Juris enim est naturalis, ut, quæ ex hostibus capiuntur, dominio Victoris subjiciantur.

Estne Successio Electioni, an hæc illi præferenda?

Quæ melior, ac laudabilior sit, Successio ne, an Electio, inter dubia rationum momenta multis disceptatur, & pro utraque gravissima non desunt argumenta. Nam, *in Electione* plus dissidii est, sed & plus libertatis: *in Successione*, nihil quidem dissidii, sed & nihil libertatis. Præterea, judicia, si ita loqui licet, naturæ, ut aliquando recta, ita sæpe cæca sunt, dum ex optimis Principibus aliquando pessimi nascuntur. Judicia hominum certa magis sunt; sed & hæc sæpe fallunt, ac falluntur, dum haud raro illi eliguntur, qui imperio jam præpositi, indigni Imperio, & impares deprehenduntur. Pro utraque igitur, & contra utramque, militat ratio. Interim de eo inter omnes constat, id in Republ. retinendum esse, quod diuturnus confirmavit usus. Quippe, quæ in suo statu manent, magis Reipubl. conducunt, quam ea, quæ per innovationem inducuntur, si maxime meliora appareant. Bene autem electus est Princeps, qui, nisi electus foret, nasci debuisset: bene natus est, qui, nisi natus esset, debuisset eligi.

CAPUT XXIIX.

De Jure Primogenituræ.

Anne Jus Primogenituræ æquitate nititur?

EX consuetudine omnium fere gentium, Regna & Principatus ad unum devolvuntur, & quidem Primogenitum; idque eorundem salus postulat. Portionibus enim si dividantur, viribus simul privabuntur. Finge enim, supremum aliquem Principatum inter filios dividi; aut 1. distrahitur in distinctos Principatus, quorum singuli sunt pari potestate: aut

2. die

2. divisi Principatus administrantur ab omnibus, pro rata parte, adinstar unius. Si *primus Modus* assumatur, dubium nullum erit, quin nervus virium in tantum diminuatur, in quantum partes illæ divelluntur, in quarum multitudine unita omne robur consistit. *Alterum si assumas modum*, multo gravioribus turbis implicatur Respubl. Quia indivisa illa potestas, ubicunque introducta fuit, semper per contentionum præcipitia delapsa est aut ad ἀναρχίαν, aut ad unius dominatum, propter impatientem consortii potestatem. Interim primogenitus, si solus imperat, reliquis fratribus, quin & sororibus, de alimentis, eorum conditioni congruis, prospicere omnino debet; quod *Apanagium* vocant.

Estne Filius primogeniti in successione Patruo præferendus?

Æquum esse videtur, ut filius primogeniti in successione patruo præferatur. Expediti enim juris est, filium succedere in locum patris. Jam is, *qui in locum alterius succedit, eodem jure utitur, quo usus est autor illius*, cap. *is qui* 46. de R. I. in 6. & surrogatum sortitur naturam surrogati, participatque de omnibus illis privilegiis, cui surrogatur. Filius ergo iste, uti in omnia parentis succedit jura, ita & in successionibus Imperiorum; id quod etiam communis usus comprobat.

CAPUT XXIX.

De Senatu.

Quid est Senatus?

SEnatus, etsi alicubi simul jus decernendi, & sententiæ dicendæ habet, tamen in se spectatus, & pro-

ut ejus objectum consideratur, jurisdictione caret; cum proprie versetur in dandis consiliis, quæ ad totius Reip. finem ducunt. Est igitur Senatus ordo in Rep. qui de rebus ad bonum publicum spectantibus consultat, ad obtinendum finem propositum.

Quæ sunt Consilii Requisita?

Consilii Requisita tripliciter considerantur: 1. *Ratione Objecti.* Res enim, quæ sub consultationem publicam veniunt, oportet esse graves, arduas, & maximi momenti. 2. *Ratione Qualitatis*, consilium esse debet bonum. Bonitas autem consilii non æstimatur ex honestate morali, ac si tum demum bonum sit, cum non nisi id, quod honestum & justum est, suadet: sed in ordine ad Remp. in quantum ei potest esse utile. 3. *Ratione Finis.* Semper enim pro oculis habendus est scopus Reipubl. ad quem, tanquam ad metam, cuncta dirigenda sunt Consilia.

Quid est Consiliarius?

Consiliarius est Minister Reipublicæ, qui prudentia, & consiliis Rempublicam juvat, ad obtinendum, vel conservandum finem propositum.

Quæ requiruntur in Consiliario?

In Consiliario requiritur, 1. Vt sit vir bonus. 2. Vt possit dissimulare & reticere, quæ in Republica consultantur. 3. Vt sit instructus prudentia civili, & sciat, quid suæ Civitati conveniat.

CAPVT XXX.
De Judiciis.

Quid sunt Judicia?

JVdicia sunt juris, & injuriæ dijudicationes; quia plerique suis in rebus cæcutiunt, & affectibus ducuntur

tur, & ideo verum a falſo diſcernere nequeunt. Hinc inſtituendus eſt aliquis, qui careat affectibus in expediendis negotiis, adeoque id quod juſtum, & æquum eſt pronunciet.

Quodnam eſt Judicis Officium?

Judicis Officium eſt: 1. Actoris querelam facile quidem audire, ita tamen, ut Reo defenſionem, quam jus naturæ permittit, non deneget. 2. Cauſam exacte cognoſcere, conſideratis facti circumſtantiis. 3. In ferenda ſententia nihil gratiæ, nihil odio concedere, ſed, ſepoſitis affectibus, citra munerum corruptelam, ſecundum Leges receptas, juſtum & æquum pronunciare. 4. Pronunciatam ſententiam exequi: Eluſoria enim redditur autoritas judicis, ſi ſententia lata non tradatur executioni.

CAPUT XXXI.

De Subditis & Parentibus.

Quid eſt verus Subditus?

VErus Subditus eſt, qui, in conditione parendi poſitus, Domino ſuo, & corpore, & rebus obligatus eſt. Nimirum ſunt aliqui non ratione perſonæ, ſed tantum *Bonorum* obligati Domino; unde illi nihil aliud debent, quam quod de bonis præſtare oportet. Alii etiam, præter bona, obligati & ſubjecti ſunt Domino, ratione *Perſonæ* ſuæ: & quidem, vel *Immediate*, ita, ut nulli alii prius debeant obſequium: vel *Mediate*, cum prius alii, quam ſummæ poteſtati, obedientiam exhibere tenentur.

Ad quæ tenetur verus Subditus?

Verus Subditus tenetur, 1. ad *Fidelitatem*, quâ ſe obligat, quod nihil mali de Principe ſuo loqui, omnem

perniciem ab eo avertere, &, si in periculum incidat, ei vita, sanguine, & bonis succurrere velit. 2. Tenetur ad *Obsequium*, quod involvit vim parendi mandatis supremi Principis omnibus, quæ natura, vel moribus fieri possunt.

Suntne Peregrini Subditi?

Peregrini nequaquam veri sunt Subditi, sed tantum subditi temporarii, ratione Legum, quas pro eo tempore, in illo loco, ubi degunt, tenentur observare. Iniquum enim foret, si quis in aliqua degens Civitate, pro arbitrio quidvis agere, & Leges ejus violare vellet.

CAPUT XXXII.

De Interitu Rerumpublicarum.

Quibus modis interit Respublica?

RESpublica interit, vel per Eversionem, vel per Conversionem.

Quomodo evertitur Respublica?

Respublica evertitur, quando penitus deletur, devastata civitate, interfectis civibus omnibus, nec non forma Regiminis abolita.

Quomodo convertitur Respublica?

Converti dicitur Respublica, quando, eodem manente populo, forma immutatur: uti, cum ex Monarchia fit Democratia, vel alia quædam mutatio circa regimen occurrit. Fitque mutatio omnis, vel per vim, vel per consensum.

Unde provenit Interitus Rerumpublicarum?

Interitus Rerumpublicarum provenit, vel a causis internis, vel a causis externis. Causæ internæ, sive in ipsa Republ. nascentes, proveniunt vel ab alterutra

parte,

parte, h.e. vel a ſubditis, vel ab imperante tantum, vel a parte utraque ſimul.

Quomodo Subditi cauſa ſunt Interitus Reipublicæ?

Subditi cauſa ſunt Interitus Reipublicæ, quando, ſparſis primarum diſcordiarum igniculis, mox factionum & ſeditionum flammam excitant.

Quomodo Imperans eſt cauſa Interitus Reipublicæ?

Imperans eſt cauſa Interitus Reipublicæ, 1. Quando imperii faſces intempeſtive deponit. 2. Cum autoritatis ſuæ aciem hebeſcere patitur. 3. Cum leges, diuturno uſu confirmatas, temere abrogat. 4. Si crudelitatem exerceat, & in corpora, aut fortunas ſubditorum ſæviat. 5. Cum ſuas, perperam conceptas, opiniones, recte ſentientium conſiliis anteponit. 6. Cum minus neceſſaria, & viribus majora, temere ſuſcipit.

Quomodo Subditi & Imperantes ſimul cauſa ſunt Interitus Reipublicæ?

Subditi, & Imperantes, ſimul mutationum, & everſionum cauſæ exiſtunt, 1. Si potentia ſua ſuperbi, & ſecuri, vel nulla, vel non ſana admittunt conſilia. 2. Si effœminati, otiique dulcedine molles, rerum neceſſariarum uſum deponunt.

Quænam ſunt cauſæ externæ ruinam Rebuspublicis afferentes?

Quidam inter cauſas externas, Rebuspublicis ruinam afferentes, palmarium locum tribuunt *Fato*. Per hoc autem ſi intelligunt Providentiam Divinam, qua diſponuntur, & gubernantur res, usque ad præfinitum terminum, haudquaquam errant. Etenim Deus ſua

cuique Regno initia, progressus, incrementa, & interitum, justa voluntate decrevit. Hinc Ps. XLIV. dicitur: *Manus tua gentes disperdidit, & plantasti eos: afflixisti populos, & expulisti eos. Nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non salvavit eos: sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui: quoniam complacuisti in eis.* Fatum autem Stoicum omnino hinc removendum est; quod definiunt, sempiternam quandam, & ineluctabilem seriem rerum, & catenam volventem semetipsam, & sese implicantem, per æternos consequentiæ ordines, ex quibus nexa est. Atque ita putant, Rempublicam mutari necessario, ut, quamvis sint, qui laboranti Civitati velint succurrere, & etiam sciant remedia, non possint ea tamen adhibere, fato omnia consilia impediente. Cæterum, præter Providentiam Divinam, cui, uti hominum actiones civiles, ita integræ quoque Respublicæ curæ sunt, reperiuntur quoque causæ humanæ externæ Rebuspublicis exitiales. Quales sunt, 1. Sociorum, vel ad hostes desilientium, vel suppetias nobis non ferentium defectio. 2. Eorum, qui subsunt nostræ potestati, rebellio. 3. Peregrinorum irruptio. 4. Bellorum externorum diuturnitas.

CAPUT XXXIII.

De Remediis adversus causas, quæ interitum Rebuspubl. afferunt.

Quænam sunt Remedia contra seditionem, quæ Subditi Rempubl. evertunt?

REmedia contra seditionem consistunt, 1. in cautione & præmunitione seditionum, ne turbæ exciten-

citentur. 2. In Emendatione opportuna, priusquam motus incipientes sumserint vires, & ad perniciosioris tumultus effectum proveniant. 3. In pœna & suppliciis, quo alii ab ejusmodi strepitu deterreantur. 4. Si vires egerit seditio, bello, & fortioribus agendum est remediis.

Quomodo Magistratus tollit causas Rempublicam affligentes?

Magistratus tollit causas Rempubl. affligentes, 1. Si justo tempore imperii fasces deponat. 2. Autoritas ei conciliatur & conservatur, si prudentia & virtute subditorum animos sibi conciliaverit, & publicæ salutis unicam curam gerat. 3. Prudentium virorum consiliis bonis locus dandus est. 4. Leges veteres, non nisi aut utilitate summa suadente, aut necessitate summa urgente, sunt abrogandæ. 5. Contra crudelitatem, & flagitia Superiorum, necesse est constituere *Ephoros*, quorum erit, sedulo cavere, ne Magistratus degenerent.

Quæ sunt Remedia adversus mala Rerumpublicarum, quæ a Subditis & Magistratu simul proveniunt?

Contra mala, quæ a Subditis, & Magistratu simul proveniunt, remedium perutile existimatur, ut summi Imperantis potentia quodam quasi fræno coërceatur, quin & Inferioris Magistratus potentiæ obviam ire necesse est. Id quod fiet, 1. Si adversus potentiam unius, vel plurium, alius creetur Magistratus, cui illorum acta interturbandi facultas concessa. 2. Si, præsertim in Aristocratia, & Democratia, imperia non sint perpetua. 3. Si inter plures æqualiter potestas dividatur. Subditorum imminuitur & comprimitur poten-

potentia, cum opes pro arbitratu congerendi, honores ambiendi, aliave, quibus potentia robur & augmenta ſumit, parandi, fibula imponitur, Cives quoque præmiis, vel etiam pœnis, ad artes & bellica exercitia tractanda adiguntur.

Quæ ſunt Remedia adverſus cauſas externas, quæ ruinam Rebuspublicis afferunt?

Remedia adverſus cauſas externas, ruinam Rebuspublicis afferentes, ſunt Pietas erga Deum, & vitæ emendatio. Adde huic fidem & benignitatem erga ſocios, fœdera cum vicinis, æquas pacis, ad bella finlenda, conditiones.

CAPUT XXXIV.

De Ratione Status.

Quid eſt Ratio Status?

RAtio Status, recenti, & ab Italis inventa appellatione, dicitur prudentia extraordinaria regendi Rempublicam, & dirigendi media ad ſalutem Imperii & Imperantis; ita ut, ſi incidant tempora, ubi non licet ſecundum ordinarias Regulas imperium exercere, ad extraordinaria media confugere liceat. Quicquid igitur fit ex Ratione Status, ſeu utilitate Reipublicæ, quod in ſe non adeo juſtum videtur, id excuſationem meretur, ita ut, licet in ſe non ſit juſtum, ſpectato fine Reipublicæ, non ſit injuſtum, quia aliter Respublica regi & conſervari non poteſt.

SYNO-

SYNOPSIS PHYSICÆ.

PHYSICÆ PARS GENERALIS.

CAPVT I.

De Natura Physicæ.

Quid est Physica?

PHysica, est scientia corporis naturalis, quatenus est naturale; hoc est: Versatur in corpore naturali cognoscendo, ejus principiis investigandis, & proprietatibus ac operationibus explicandis. Igitur restrictio, *quatenus est naturale*, notat, Physicam non attendere ad ea, quæ corpori præter naturam extrinsecus accedunt; sed ad illa tantum, quæ ad ejus naturam pertinent, vel ex illa fluunt. Physica dicitur alio nomine *Physiologia*, item *Scientia Naturalis*.

Quomodo dividitur Physica?

Physica dividitur in Partem Generalem seu Comnem, & Specialem seu Propriam.

Quid est Pars Generalis?

Pars Generalis seu Communis est, quæ corpus naturale, cum principiis & proprietatibus suis, in genere considerat.

Quid est Pars Specialis?

Pars Specialis est, quæ corporis naturalis species, earumque affectiones & proprietates considerat.

CA-

CAPVT II.

De causis corporis naturalis.

Quid est corpus naturale?

Corpus naturale, est talis substantia, in qua motus & quietis inest principium: sive, est substantia extensa in longum, latum, & profundum.

Quæ sunt causæ corporis naturalis?

Causæ Corporis naturalis sunt principia, quæ in esse illius influunt: & dividuntur in Internas, & Externas.

Quæ sunt causæ Internæ?

Causæ Internæ sunt, quæ Corporis Naturalis essentiam ingrediuntur, ut Materia & Forma.

Quæ sunt causæ Externæ?

Causæ externæ sunt, quæ corporis naturalis essentiam non ingrediuntur, sed extrinsecus illud constituunt: ut Efficiens & Finis.

Quid est Materia?

Materia, est causa interna, ex qua corpus naturale constituitur. Vti *mixtum ex elementis*, est materia auri, hominis.

Quid est Materia Prima?

Materia prima, est primum cujusq; rei subjectum, ex quo insito, non ex accidente, aliquid oritur, & in quod, si quid interit, ultimo abit. Nimirum, Materia prima nominatur *subjectum*, quia formis subjicitur, & eas in se recipit. Dicitur autem *primum subjectum*, ut a materia secunda secernatur, quæ etiam subjicitur formis, sed non est primum subjectum. Illud *aliquid*,

quid, quod ex materia oritur, corpus est. Ex hoc subjecto *insito* dicitur corpus oriri, ut significetur, materiam per modum partis in corpore dari. Additur, *non ex accidente*, ut removeatur privatio, & ablegentur accidentia. Si quid vero interit, hoc *ultimo abit* in materiam primam; quia res resolvitur in ea, ex quibus constat. Proinde habet materia prima potentiam ad omnes formas successive recipiendas: at vero materia secunda habet tantum potentiam particularem ad recipiendum formam certam, ad quam est disposita.

Quid est Forma?

Forma, est causa interna, per quam corpus naturale, si materiæ uniatur, constituitur; vel, Forma est, per quam corpus in certa specie constitituitur, & convenienter naturæ suæ operatur. Sic *rationalitas* est forma hominis.

Quid est Privatio?

Privatio, est absentia formæ in subjecto, cum aptitudine materiæ ad eam recipiendam. Sic in ovo est carentia formæ, quæ est propria pulli, ita tamen, ut ovi materia ad pulli formam recipiendam habeat aptitudinem.

Quid est Entelechia?

Entelechia, est peculiare Aristotelis nomen, & notat formam seu actum quemcunque, sive substantialem, sive accidentalem, quatenus operationem aliquam in corpore exercere potest.

Quid est Natura?

Natura, est causa interna, qua quodvis corpus naturale suam habet essentiam, affectiones, actiones, & passiones.

Quid dicitur esse a natura?

A natura esse dicuntur, 1. quæ sunt congenita: uti avibus a natura competit volare. 2. A natura esse dicuntur, quæ non sunt congenita, progressu tamen temporis subjectis habilibus competunt: sic pueris dentes a natura inesse dicuntur. 3. A natura inesse dicuntur, quæ neque sunt congenita, neque suâ sponte successu temporis proveniunt in subjectis capacibus, sed industriâ nostra parantur. Hoc modò à natura nobis inesse dicitur notitia primorum principiorum. 4. A natura esse dicuntur, ad quæ à naturâ magis sumus proclives: ut, cum is nasci dicitur poëta, qui majorem ad poësin habet inclinationem. Jam, *Præter Naturam* evenire dicuntur ea, quæ quidem aliter fiunt, ac eorum natura requirit, non tamen simpliciter ei repugnant, nec cum illius rei interitu fiunt: ut, cum lapis movetur in latus. *Contrà Naturam* eveniunt, quæ fiunt causis secundis ita inter se luctantibus, ut una earum, virtute scilicet inferior, alterius, tanquam fortioris, virtute subacta & victa, licet reluctetur & contra nitatur, cedere cogatur, cum suo vel interitu, vel magno alio incommodo: uti, cum ignis extinguitur ab aqua; aut lapis in altum projicitur. *Supra Naturam* fieri dicuntur, quæ a nullo agente naturali fieri possunt, sed vires agentium creatorum transcendunt: ut, cum à Christo vinum ex aqua fuit productum.

Quid est Causa Efficiens?

Causa Efficiens, est causa externa, à qua corpus naturale producitur.

Quid est Finis?

Finis, est causa externa, propter quam corpus naturale producitur: v. c. Arbores seruntur, ut fructus edant.

Quid est Fortuna?

Fortuna, est causa per accidens, in actionibus hominum certo consilio susceptis, quando cum effectu per se intento, conjungitur aliud quid, quod non intendebatur: v. g. *Si quis terram fodiens, ut fructus feliciter proveniant, thesaurum invenit.*

Quotuplex est Fortuna?

Fortuna est Duplex: Bona, & Mala.

Quid est Fortuna Bona?

Fortuna Bona est, quando eventus, qui accidit, bonus est: uti, cum *rusticus, terram fodiens, reperit thesaurum.*

Quid est Fortuna Mala?

Fortuna mala est, quando eventus, qui accidit, malus est: uti cum *rusticus, terram fodiens, frangit rutrum.*

Quid est Casus?

Casus, est causa per accidens, quando cum illorum, quæ sine electione agunt, effectu aliquid raro conjungitur: uti cum *tegula, de tecto decidens, prætereuntis caput pertundit.*

Quid est Monstrum?

Monstrum, est effectus naturalis, cum insigni aliqua deformitate, a causa deficiente & aberrante productus: *ut homo biceps, aut monoculus.*

Quotuplex est Miraculum?

Quoniam miraculum est præter naturalem potentiam subjecti, ac tripliciter quid esse potest præter naturalem potentiam, hinc ipsum Miraculum quoque triplex est. Primo modo aliquid præter potentiam naturalem est *secundum se totum*, sive secundum ipsam substantiam facti: ut Solem consistere, sive retrogradi; cor-

corpus quantum non esse in loco; aut grave non descendere. Secundus modus, est *ex parte Subjecti*, in quod actus introducitur: uti, cum vita redditur mortuo, aut visus restituitur cæco. Nam, licet neque vita, neque visus, actus sint extra potentiam naturæ, & possint naturaliter fieri, non tamen id fit in corpore mortuo, & ad corruptionem disposito; neq; in oculo perfecte privato, aut corrupto. Tertius modus concernit *rationem, sive modum*, quo actus in subjectum introducitur: ut, cum miraculose sanitati restituuntur ægroti. Leprosum enim, febricitantem, aut paralyticum sanari, non est præter potentiam naturæ, ne quidem in illis subjectis: verum isto modo sanari, scilicet in momento, solo verbo, nihil adjuvantibus ullis medicamentis, præter potentiam naturæ est.

Quid est agens immediatione suppositi?

Agens immediatione suppositi est, quod patiens per proprium suppositum contingit: uti *serra secans lignum*.

Quid est agens immediatione virtutis?

Agens immediatione virtutis est, quod patienti, non per suppositum, sed qualitatem, conjungitur: uti, *cum ignis remotus manum lædit per calorem.*

Quid est Fatum?

Fatum, est ordo in causis naturalibus, effectus suos infallibiliter inferentibus, a Deo præcognitus, & præordinatus.

Quid est Fatum Theologicum?

Fatum Theologicum, est æternum decretum Dei, de omnibus rerum eventibus, in præcipiendo, agendo, permittendo, & determinando consistens.

Quid est Fatum Astrologicum?

Fatum Astrologicum, est astrorum in corpora inferiora influentia, varie ista regens ac dirigens. *Sic fato fiunt Eclipses, Tonitrua.*

Quid est Fatum Physicum?

Fatum Physicum, est omnium causarum naturalium ordo, effectus necessarios inferens, Deo naturæ autori subjectus: *Sic fato fiunt frigora, venti.*

Quid est Fatum Stoicum?

Fatum Stoicum, est absoluta rerum necessitas, ex siderum influxu, & aliarum causarum connexu orta, omnes actiones, cum humanas, tum divinas, respiciens: unde Deum quoq; Fato Stoici subjiciebant.

CAPUT III.
De Affectionibus Corporis Naturalis.

Quid est Affectio Corporis Naturalis?

AFfectio corporis naturalis, est proprium quarti modi, quod ex ejus essentia fluit, omni, & soli corpori naturali semper inest, vel adest, & cum eo reciprocatur: ut, *esse quantum*, *esse locabile*, *mobile.*

Quid est Quantitas?

Quantitas, est affectio intrinseca corporis naturalis, qua illud est extensum, habetque plures partes, quarum una est extra alteram. Sic arbor constat partibus, quarum quælibet ita comparata est, ut sit extra alteram corporis illius partem.

Quid

Quid profluit ex Quantitate?

Ex Quantitate profluit Corporis Naturalis *Mensurabilitas*, *Divisibilitas*, & *Impenetrabilitas*.

Quid est Mensurabilitas?

Mensurabilitas, est ea in corpore quanto aptitudo, juxta quam ad certam mensuram, qua ejus magnitudo significatur, applicari potest.

Quid est Divisibilitas?

Divisibilitas, est ea extensi dispositio, a qua partes extra partes habere concipitur, in quas vel cogitatione, vel actuali separatione dividi potest.

Quid est Impenetrabilitas?

Impenetrabilitas, est unius extensi ab alio distinctio, per quam fit, ut unius extensio, ab alterius extensione sit diversa; ita, ut non possint duo extensa esse in uno & eodem loco, sed semper unum excludat alterum: unde verissime dicitur, *fieri non posse, ut dimensionum detur penetratio.*

Quid est Figura?

Figura, est quantitatis determinatio, extrinsecus in superficie corporis apparens: ut *figura hominis*, *equi.*

Quid est Qualitas?

Qualitas, est affectio intrinseca corporis naturalis, qua illud est potens ad agendum, vel patiendum: ut *lux*, *calor*, *frigus.*

Quid est Qualitas Activa?

Qualitas Activa est, qua corpus naturale est potens ad agendum: ut *caliditas ignis.*

Quid est Qualitas Passiva?

Qualitas Passiva est, qua corpus naturale est potens ad patiendum : ut *potentia ad concipiendum ignem in sulphure.*

Quid est Qualitas Manifesta?

Qualitas Manifesta est, quæ in sensus incurrit, proprioque nomine a nobis designatur : ut *caliditas, frigiditas.*

Quid est Qualitas Occulta?

Qualitas Occulta est, quæ sensus fugit, proprioque momine designari nequit : ut *qualitas magnetis attrahentis ferrum.*

Quid est Magia?

Magia, est habitus rerum abditarum, scientia, & arte operum admirandorum, constans.

Quotuplex est Magia?

Magia est duplex : Naturalis, seu Licita; & Dæmoniaca, seu Illicita.

Quid est Magia Naturalis?

Magia Naturalis, est habitus ex libro naturæ acquisitus : uti, cum paratur *lapis Philosophorum.*

Quid est Magia Dæmoniaca?

Magia Dæmoniaca, est privatio habitus, quem in mancipiis suis supplere conatur Dæmon. Estque vel Divinatoria, vel Præstigiatoria, vel Effectoria.

Quid est Magia Divinatoria?

Magia Divinatoria, est rerum abditarum, ope Dæmonis, parta cognitio : uti sunt *divinationes per Sortes, Pelves, Annulos, Cribra.*

Quid

Quid est Magia Præstigiatoria?

Magia Præstigiatoria, est mirandorum operum, sed apparentium, ope Dæmonis, productio. Sic *Magi hominibus cornua apponunt, currus & equos devorare videntur.*

Quid est Magia Effectoria?

Magia Effectoria, est admirandorum operum realium, auxilio Diaboli, productio: uti, cum *Sagæ fruges perdunt, pecora lædunt.*

Quid est Fascinatio?

Fascinatio alia est Naturalis, alia Magica. *Fascinatio Naturalis*, est alteratio corporis, propter spiritus noxios, in ipsum, ab intuentis oculis vel ore, emissos: uti, cum vetulæ suo aspectu infantes lædunt. *Fascinatio Magica*, est infectio corporis, procedens ex malitia intuentis, & a dæmone facta: uti, cum sagæ morbos inferunt.

Quid est Locus?

Locus, est affectio extrinseca corporis naturalis, sive ejusdem superficies ambiens, qua illud occupat suum spatium, longum, latum, & profundum. Sive: Locus est corporis, certam magnitudinis suæ mensuram & figuram habentis, respectiva inter corpora ambientia collocatio.

Quid est Locus Naturalis?

Locus Naturalis est, ad quem locatum sua natura fertur, in eoque conservatur: Sic *Aqua locus naturalis est piscium, Aër hominum.*

Quid est Locus Violentus?

Locus Violentus est, ad quem locatum vi detruditur, & in quo conservari nequit. *Sic, Aqua est locus hominis violentus, Aër piscium.*

Quid est Locus Communis?

Locus Communis est, qui multa corpora simul continet: Sic, *Aër communis locus est hominum; Aqua piscium.*

Quid est Locus Proprius?

Locus proprius est, qui tantum unicum corpus continet: Sic, *spatium, quod Petrus occupat, proprius Petri locus est.*

Quid est Vacuum?

Vacuum, est locus carens corpore, ad quod tamen recipiendum est aptus. Natura abhorret a vacuo, quia res naturales amant mutuam cohæsionem, ut in se invicem influere queant.

Quid est Tempus?

Tempus, est affectio extrinseca corporis naturalis, qua duratio illius, in se indistincta, distinguitur secundum motum corporum cœlestium. Sic, duratio Petri, quæ continuatus vitæ tractus est, secundum motum Solis & Lunæ, in Annos, Menses, Dies & Horas dispescitur. Proinde, accurate loquendo, Mundus non in tempore, sed cum tempore, in principio fieri cœpit, & inde sex dierum lapsu, ad consummatæ perfectionis perductus est fastigium.

Quomodo dividitur Tempus?

Tempus dividitur in Præteritum, quod fuit: In Præsens, quod est: In Futurum, quod erit.

Quid est Motus?

Motus est quævis mutatio, qua dissimilitudo aliqua in corpore naturali oritur.

Quid

Quid est Motus Localis?

Motus Localis, est affectio disjuncta corporis naturalis, qua illud alium atque alium acquirit locum. Sive, Motus localis, est translatio corporis definiti, ex vicinia corporum immediate illud contingentium, in viciniam corporum, aliorum. Vnum autem corpus alteri prementi cedit, & cedens contiguum propellit. Sic movetur Petrus, cum de loco in locum se confert.

Quid est Motus Naturalis?

Motus Naturalis est, qui a causa interna oritur: uti, *cum lapis tendit deorsum, homo ambulat.*

Quid est Motus Violentus?

Motus Violentus est, qui a causa externa oritur: ut, *cum quis lapidem in alium projicit.*

Quotuplex est Motus Localis?

Motus Localis est vel *Rectus*, qui fit per lineam rectam: vel *Circularis*, qui fit per circulum, vel circa centrum: vel *Vagus*, qui ex Recto & Circulari simul constat, & lineas simplices non observat..

Quid est Generatio?

Generatio, est mutatio a non esse ad esse.

Quid est Corruptio?

Corruptio, est mutatio ab esse, ad non esse. Atque fiunt tam Generatio quam Corruptio per motum instantaneum. In *instanti* enim *introduci* dicitur forma per generationem in totam materiam, pro ejus susceptione dispositam; sicut in instanti ab ea dicitur separari per corruptionem: non autem hic excluduntur præviæ dispositiones.

Quid est Augmentatio?

Augmentatio, est mutatio minoris quantitatis in majorem, usque ad terminum a natura præfinitum: uti, *cum puer crescit*.

Quid est Diminutio?

Diminutio, est motus, quo res naturalis, salva sua essentia, a majore quantitate ad minorem abit.

Quid est Quies?

Quies, est affectio disjuncta corporis naturalis, qua illud locum non mutat, sed fixum ac firmum perstat: Sic *terra quiescit*.

PARS SPECIALIS.

CAPUT I.

De Mundo & Cœlo.

Quid est Mundus?

MUndus, est systema, ordinatum ex cœlo & terra, reliquisque corporibus, quæ his continentur.

Quotuplex est Corpus Naturale?

Corpus Naturale aut est Simplex, aut Compositum, sive Mixtum.

Quid est Corpus Simplex?

Corpus Simplex est, quod ex aliis corporibus, elementis nimirum, non constat, nec in ea resolvi potest: uti *Cœlum, & Elementa*.

Quid est Corpus Mixtum?

Corpus Mixtum est, in quo alia corpora insunt, in quæ etiam resolvi potest: uti *Arbor*, *Lapis*, *Aurum*

Quid

Quid est Cœlum?

Cœlum, est corpus simplex, supremum & primum, amplissimum, subtilissimum, pellucidum, permeabile, omnia corpora inferiora ambiens, & stellas, quæ in ipso moventur, in se continens.

Quid est Stella?

Stella, est corpus simplex, cœleste, globosum, lucidum, &, vi sibi divinitus indita, in orbem mobile.

Quomodo dividuntur Stellæ?

Stellæ dividuntur in Fixas, & Erraticas.

Quid sunt Stellæ Fixæ?

Fixæ stellæ dicuntur; non quod in cœlo sint omnino immobiles; omnes enim Stellæ moventur: sed ideo nomen hoc habent, quia, in extrema cœli regione consistentes, fixam atque invariatam a se invicem retinent distantiam.

Quot sunt Stellæ Fixæ?

De Numero Stellarum Fixarum accurate non constat. Vulgo mille viginti duæ numerantur: sed Recentiores, in solo Orione bis mille stellas numerarunt.

Qui sunt Asterismi?

Asterismi, qui etiam Astra, Sidera, Constellationes, Signa, vocantur, sunt plurium vicinarum & insigniorum stellarum configurationes; memoriæ & distinctionis causa, variarum rerum, vel Imagines, vel Nomina gerentes. Harum Imaginum Veteres XLVIII. constituerunt, ac divisere eas in Asterismos Boreales, Australes, & Intermedios. Atq; Boreales complectuntur versus:

Ad Boreæ partes ter septem sidera cernes:

Vrsa

Vrsa minor : Major : Custos : [a] *Draco : Gemma :* [b] *Genuq;*
Prolapsus : [c] *Lyra : Olor : Cepheus, & Cassiopea :*
Perseus : Andromede : Deltotum : [d] *Auriga :* [e] *Caballus :* [f]
Rictus Equi : [g] *Delphin : Telum :* [h] *hinc Aquila :* [i] *Anguifer :* [k] *Anguis.* [l]

a Arctophylax, sive Bootes. *b* Corona Borealis. *c* Hercules congenulatus. *d* Triangulum. *e* Heniochus. *f* Pegasus. *g* Rictus Equi. *h* Sagitta. *i* Vultur volans. *k* Serpentarius, vel Ophiuchus. *l* Serpens Ophiuchi.

Asterismorum Australium symbolum sunt versus:

Post ter quinq; tibi Signa hæc vertuntur in Austrum : (Orion :
Cetus, & Eridanus : [a] *Lepus, & nimbosus Sirius,* [b] *& Procyon :* [c] *Argo ratis : Hydraq; : Crater :*
Corvus : Centaurus : Lupus : Ara : [d] *Coronaq;,* [e] *Piscis.* [f]

a Fluvius. *b* Canis major. *c* Canis minor. *d* Thuribulum. *e* Corona australis. *f* Piscis austrinus.

Asterismos Intermedios, in circulo Zodiaco vel Signifero, comprehendunt versus:

Signifer inde subest, bis sex qui sidera torquet :
♈ ♉ ♊ ♋
Suntq; Aries : Taurus : Gemini : Cancer :
♌ ♍
Leo : Virgo :

Libraq;

♎ ♏ ♐ ♑
Libraq; : Scorpius : Arcitenens : Caper :
♒ ♓
Amphora : Pisces :

Asterismos in cœlo Australi novos, nobis minime visos, enarrant versus:

Phœnix : Grus : Indus : Xiphias : Pavo :
Anser , & Hydrus :
Passer : Apus : Triquetrum : Musca :
Chamæqueleon.

Quid sunt Stellæ Erraticæ?

Stellæ Erraticæ, Græcis Planetæ dictæ, non ita vocantur, quasi vago motu moveantur; sed ideo, quia non semper a se invicem eandem servant distantiam: sicut Sol & Luna interdum conjunguntur, ut in Eclipsi Solis; interdum opponuntur, uti in Eclipsi Lunari.

Quot sunt Stellæ Erraticæ?

Stellas Erraticas, sive Planetas, Vulgus cum Antiquis septem numerat. Ii sunt: *Saturnus, Jupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna.* Quos complectitur versus:

Post SIM SVM sequitur, pallida Luna *subest.*

Sed Recentiores Astronomi plures deprehenderunt: quales sunt Stellæ Mediceæ, seu Joviales, quæ Jovem ambiunt.

Quis est Motus Stellarum?

Motus Stellarum duplex est. Primo enim Stellæ, tam Fixæ quam Erraticæ, moventur ab Ortu versus Occasum, viginti quatuor horarum spatio, qui motus vocatur *Primus*, & creditur velocissimus. Secundo moventur Stellæ ab Occasu versus Ortum, qui mo-

tus facilius deprehenditur in Planetis, quam in Stellis fixis, cum hæ, ad motum hunc absolvendum, multa annorum millia requirant. Nam Ptolemæus existimat, Stellas fixas singulis centenis annis singulos tantum gradus conficere.

Quando absolvunt Planetæ cursum suum?

Saturnus cursum suum absolvit annis circiter 30. Jupiter annis 12. Mars annis 2. Sol diebus 365. & 6. fere horis. Venus & Mercurius fere cum Sole. Luna 27. diebus, & 8. fere horis.

Quæ observanda sunt de Sole?

Sol Zodiacum diebus 365. horis quinq;, minutis 48. percurrit: quod tempus dicitur *Annus Tropicus*, distinctus a *Politico* in eo, quod hic horas & minuta negligit, ac reservat in quartum quemque annum; qui postea constat diebus 366. completis, diciturq; *Bissextilis*, vel *Intercalaris*. Amplius, cum Sol in Ariete, Tauro, & Geminis versatur, facit, ut dies apud nos incrementum capiat: quod tempus, *Veris* nomine appellatur. Cum pergit ad Cancrum, Leonem, Virginem, & in hisce Signis commoratur, apud nos efficit *Æstatem*. Per Libram, Scorpium, & Sagittarium decurrens, facit *Autumnum*: & denique *Hyemem*, quando peragrat signa Aquarii, Capricorni, & Piscium. Similiter, in Cancro, apud nos *Diem longissimum* efficit; in Libra, facit *Æquinoctium*; in Signo Capricorni, reddit *diem brevissimum*; in Signo Arietis, inducit *Æquinoctium Vernum*.

Quæ observanda sunt de Luna?

Luna lumen mutuatur a Sole, & prout huic propinquior est, vel ab eo remotior, varias habet effigies, quarum VIII. Eruditi observarunt, quas *Phases* vocant.

Prima

Prima Phasis est *Novilunium*, cum Luna, Soli supposita, prorsus latet, & nullum terris lumen præbet: sola enim pars, quæ a conspectu nostro est aversa, illuminatur. *Secunda* Phasis est Lunæ crescentis, cum die a conjunctione 4. exiguam partem illuminatam exerit, & quasi Corniculata aut Falcata conspicitur. *Tertia* Phasis est Lunæ Dimidiatæ, quando die a conjunctione 7. dimidiam partem illuminatam visui nostro ostendit. *Quarta* Phasis est Gibbosa, cum die a conjunctione 11. plus de parte illuminata, quam de obscura, visui nostro objectat. *Quinta* Phasis Lunæ est Plenilunium, cum die a conjunctione 15. totam medietatem illuminatam terræ ostendit. Post Plenilunium, Luna easdem luminis decrescentis vicissitudines nobis ostendit, quas ante crescens habuerat. Quatriduo ergo post plenilunium, vel die a conjunctione 19. denuo apparet *Gibbosa*, dum luminosam partem paulatim a nobis avertit, & de obscura aliquid nobis ostendit: Atque hæc est *Sexta* Lunæ Phasis. *Septima* Lunæ Phasis est, quando a conjunctione die 21. iterum dimidiata apparet. *Octava* Lunæ Phasis est, quando die 26. a conjunctione, Solis radios subitura, paulo ante Novilunium, rursus falcata conspicitur, donec, cum Sole conjuncta, rursus ex oculis quasi evanescit: id quod fieri solet die a conjunctione 30. Porro, Luna crescente, crescere dicuntur in ossibus, medullæ; in capitibus, cerebella; in corporibus, humores: Luna decrescente, ista diminuuntur. Similiter, Luna plena vel crescente, cæsa ligna cariem sentiunt, & ad ædificandum evadunt inepta. Quin & huic sideri causa æstus Oceani, ejusque reciprocationis tribuitur. Præterea, Luna crescente, Cancrorum, Ostrearum,

con-

Conchyliorumq; carnes suaviores magisq; succulentæ sunt; decrescunt vero, decrescente Luna, & omnem gratiam perdunt. Denique, Lunæ ætatem, inserendis leguminibus, observant etiam agricolæ; nec tempore interlunii gallinis ova supponunt; cum sic vel non excludantur pulli, vel imbecilliores sint. Catarrhis vexari & gravedine capitis, qui in Lunæ lumine dormiunt; similiter epilepsiam in plenilunio exasperari, hydropicosq; plerunq; circa plenilunium mortem obire, crebræ docent observationes.

Quid est Lux?

Lux, est qualitas corporis lucidi, per se visu perceptibilis, qua ipsum lucidum est, & alia illuminat.

Quid est Lumen?

Lumen, est repræsentatio lucis in corpore perspicuo, a luce Solis & Stellarum emanans: ut, cum à Sole illuminatus est aër.

Quid est Radius?

Radius, est qualitas à luce exiliens, in rectum & in acutum. *Differt Radius a Lumine*, quod radio præsente semper præsens sit lumen, non vero præsente lumine semper præsens sit radius. Nam, in conclavi versus Septentrionem posito, lumen quidem est in meridie, nulli tamen ibi sunt radii.

Quid est Vmbra?

Vmbra, est privatio luminis, ob interpositionem opaci, facta in parte luci opposita.

Quid sunt Tenebræ?

Tenebræ, sunt privatio luminis, ab omnimoda corporis lucidi negatione ortæ.

Quid est Eclipsis Solis?

Eclipsis Solis est, in qua Sol lumine suo non privatur, sed lumen & radii ejus ob Lunæ interpositionem tantum avertuntur, ne ad nos pertingant. Idque fit in *Novilunio.*

Quid est Eclipsis Lunæ?

Eclipsis Lunæ, est privatio luminis in Luna, proveniens ex diametrali oppositione terræ inter Solem & Lunam. Idque fit in *Plenilunio.*

Quid est Stella Nova?

Stella nova est, quæ orta est ex materia quadam vibrata & condensata stellarum fixarum usitatarum. Talis stella apparuit anno 1572. prope Cassiopeæ stellam, quæ, post annum & trientem, disparuit. Alia conspiciendam se præbuit an. 1601. in pectore Cygni, quæ sensim decrevit, & anno 1661. non major fuit stella sextæ magnitudinis.

Quid est Cometa?

Cometa, est Stella nova, quæ materiam suam accipit ex Planetis. Estque Cometa alius *Crinitus*, alius *Caudatus*, alius *Barbatus.*

Quid est Cometa Crinitus?

Cometa Crinitus est, cujus partes exteriores sunt rariores, & crinium instar circumfusæ.

Quid est Cometa Caudatus?

Cometa Caudatus est, qui versus unam partem longius extenditur; unde caudam habere videtur. Credunt autem plerique, eam caudam formari transitu radiorum Solis per caput seu corpus Cometæ.

Quid est Cometa Barbatus?

Cometa Barbatus est, quando materia versus unam partem modice extenditur. Atque barba ista generatur ex materia opaciore, Soli adversum jacente.

CAPUT II.
De Elementis.

Quid sunt Elementa?

Elementa, sunt corpora naturalia simplicia, sub cœlo contenta, ad universi integritatem, & mistorum constitutionem, a Deo Creatore facta. Vel, Elementa sunt corpora simplicia, ex quibus mixta oriuntur, & in quæ iterum resolvuntur.

Quot sunt Elementa?

Elementa sunt Quatuor: Ignis, Aër, Aqua, Terra.

Quid est Ignis?

Ignis est elementum subtilissimum, levissimum, calidissimum, & siccissimum. Subjicitur proxime globo Lunæ, & a cœlorum motu in orbem celerrime rapitur. Levissimo enim Elemento debetur locus supremus in regione elementari.

Quid est Aër?

Aër est elementum subtile & leve, infra Ignem, ac supra Aquam Terramque existens.

Quot sunt Aëris Regiones?

Aëris Regiones sunt tres: Suprema, Media, & Infima.

Quæ

Quæ est Suprema Aëris Regio?

Suprema Aëris regio est, quæ incipit a superficie Ignis, & extendit se usque ad medium aërem, ubi vapores condensantur: estque, ob ignis vicinitatem, & cœli motum, calidissima.

Quæ est Media Aëris Regio?

Media Aëris regio est, quæ inter supremam & infimam interjacet, & eo usque deorsum se protendit, quousque sursum radiorum solarium refractio se extendit. Hinc æstivo tempore minor est quam hyeme; existitque frigida, tum propter defectum reflexorum radiorum solarium, tum propter copiam, qui illuc deferuntur, vaporum.

Quæ est Infima Aëris Regio?

Infima Aëris regio est, quæ sumit initium a superficie terræ; & eo protenditur, quousque radii Solis reflectuntur: estque, pro vario Solis accessu & recessu, modo calida, modo frigida.

Quid est Aqua?

Aqua est Elementum crassum & grave, frigidissimum ac humidissimum, unum cum terra globum constituens.

Quid est Mare?

Mare, est aquarum salsarum, maxima multitudine congregatarum, receptaculum, perpetuo æstu fluens ac refluens intra alveum suum.

Quid est Flumen?

Flumen, est fluxus aquarum, ex plurium fontium concursu, in certo terræ loco congregatarum.

Quid est Amnis?

Amnis, est flumen, arboribus aut fruticibus circumdatum.

Quid est Rivus?

Rivus, est aqua, e fluvio manans.

Quid est Torrens?

Torrens est, qui ex pluvialibus aquis, aut nivibus in aquam resolutis, colligitur.

Quid est Fons?

Fons, est aqua e terra scaturiens, & intra sinus certos se continens. Origo fontium a variis dependet causis: quales sunt, aqua marina per meatus percolata, aquæ pluviales & nivales, vapores, itemque aquæ sub terra latentes, quas multas dari, puteorum effossiones, ac interdum subitæ illarum proruptiones evincunt. Aristoteles censuit, omnes fontes tantum ex aëre vaporibusq; in aquam solutis originem trahere. Quam sententiam incommodat, quod tanta regularitas in vaporibus concedi non potest, qualis in fontibus conspicitur. Tum vero nimis multis vaporibus opus esset, ad eam aquarum ubertatem, quæ ex fontibus sæpe ebullit, producendam.

Quid est Lacus?

Lacus, est aqua stagnans, perpetuoq; durans.

Quid est Terra?

Terra, est elementum frigidum & siccum, firmissimum, crassissimum & gravissimum.

CAPUT III.

De Qualitatibus Elementorum.

Quid sunt Qualitates Elementorum?

QUalitates elementorum, sunt accidentia, a formis illorum emanantia, & actionibus ac passionibus inservientia.

Quæ-

Quænam sunt illæ Qualitates Elementorum?

Qualitates Elementorum sunt Gravitas & Levitas: Subtilitas & Crassities: Caliditas & Frigiditas: Humiditas & Siccitas. Ex his, posteriores quatuor dicuntur *Qualitates Primæ.*

Quid sunt Qualitates primæ?

Qualitates primæ sunt, quæ nec ex se invicem, nec ex aliis qualitatibus Elementorum fiunt, & ex quibus sunt cæteræ, tum Elementis, tum corporibus sublunaribus propriæ.

Quid est Gravitas?

Gravitas, est qualitas, secundum quam elementum deorsum ad centrum fertur: Vt *gravitas terræ & aquæ.*

Quid est Levitas?

Levitas, est qualitas, secundum quam elementum sursum a centro fertur: Vt *levitas ignis.*

Quid est Subtilitas?

Subtilitas, est qualitas, secundum quam elementum transitum aliis corporibus concedit, & ipsum etiam alia facile transit: Vti *subtilitas aëris & ignis.*

Quid est Crassities?

Crassities, est qualitas, secundum quam elementum transitum aliis corporibus negat, & ipsum etiam alia facile non transit: Vti *crassities terræ & aquæ.*

Quid est Caliditas?

Caliditas, est qualitas, secundum quam elementum alia corpora calefacit, attenuat, solvit, digerit, coquit: Vt *caliditas ignis.*

Quid est Frigiditas?

Frigiditas, est qualitas, secundum quam elementum alia corpora frigefacit, densat, adstringit, & obstruit: Vt *frigiditas aquæ.*

Quid est Humiditas?

Humiditas, est qualitas, secundum quam elementum alia corpora humectat, emollit, & fluida reddit: Vt *humiditas aquæ.*

Quid est Siccitas?

Siccitas, est qualitas, secundum quam elementum, alia corpora exsiccat, indurat, & firmiora reddit: Vt *siccitas terræ.*

Quid est Temperamentum?

Temperamentum, est complexio primarum qualitatum, certo modo temperatarum.

CAPVT IV.

De Mixtione.

Quid est Mixtio?

MIxtio, est miscibilium, hoc est elementorum alteratorum, unio. Ex Elementis enim, vel illis, quæ ad generationem corporis mixti concurrunt, nihil potest generari, nisi prius sint alterata, & ad generationem probe præparata. Amplius, ut mixtio fiat, requiritur, ut Elementa, seu miscibilia, in se mutuo agant, & ut unum alterius qualitates debilitet. Mixtio ergo hic accipitur, non pro diversorum corporum accumulatione, seu confusione, sine omni mutatione substantiali: v. c. cum grana tritici & hordei dicuntur misceri; quæ est tantum cumulatio: vel cum aqua vino miscetur, quæ est confusio

fusio: sed pro mixtione Elementorum, sive generatione corporis mixti.

Quomodo Elementa ingrediuntur corpus mixtum?

Quomodo Elementa ingrediantur corpus mixtum, acriter inter se contendunt Philosophi. Communis sententia est, Elementa in mixtione ita alterari & mutari, ut tantum qualitates remaneant refractæ, ipsas autem formas substantiales Elementorum exspirare; & sic in mixto tantum esse materiam Elementorum cum qualitatibus refractis: quippe cum qualitatibus Elementorum refractis, formas Elementorum substantiales consistere non posse, v. c. cum calore remisso vel refracto, simul non consistere formam ignis, quæ summum requirit calorem.

Quid est Mixtio Perfecta?

Mixtio perfecta est, qua miscibilia perfecte miscentur, mistumq; perfectum constituunt.

Quid est Putredo?

Putredo, est corruptio proprii & naturalis caloris, in unoquoque humido, a calore ambientis.

CAPUT V.

De Corporibus imperfecte mixtis.

Quid est Corpus imperfecte mixtum?

Corpus Imperfecte mixtum est, quod ex infirma & instabili elementorum concretione oritur: ut Exhalatio.

Quid est Effluvium?

Effluvium, est corpus naturale, e terris & aquis po-

tiſſimum virtute ſiderum extractum, varias ſuſtinens impreſſiones.

Quid ſunt Atomi?

Atomi, ſunt effluvia minutiſſima, ob ſummam parvitatem individua, variarum actionum & paſſionum cauſæ: Suntque Ignis, Aëris, Aquæ, Terræ, Miſtorum, Plantarum, & Animalium.

Quid eſt Fumus?

Fumus, eſt effluvium mixtum, calidum & ſiccum, levius & ſubtilius, e terra locisque aridis virtute ſiderum extractum.

Quid eſt Vapor?

Vapor, eſt effluvium mixtum, frigidum & humidum, gravius & craſſius, ex aqua locisque humidis virtute ſiderum extractum.

CAPUT VI.

De Meteoris in genere, & in ſpecie de Ignitis.

Quid eſt Meteorum?

MEteorum, eſt corpus imperfecte mixtum, ex halitibus e terra & aqua, calore Solis ſtellarumq; virtute, excitatis, in aëre genitum.

Quomodo dividuntur Meteora?

Meteora, ſecundum prædominium alicujus Elementi, quod in ipſis magis ſenſibile eſt, dividuntur in Ignita, Aërea, & Aquea: quibus accedunt Emphatica.

Quid ſunt Meteora Ignita?

Meteora Ignita ſunt, quæ ex fumo pingui aut ſulphureo accenſo oriuntur.

Quid

Quid est Ignis fatuus?

Ignis fatuus, eſt meteoron ignitum, ardentis candelæ vel facis huc illuc errantis ſpeciem referens. In terra ſi appareat hoc meteoron, *Ignis fatuus* dicitur; in mari vero, cum geminum, *Caſtor & Pollux*, aut, ſi ſimplex fuerit, *Helena.*

Quid est Ignis Lambens?

Ignis Lambens, ſic dictus, quod res non urere, ſed lambere videatur, eſt, cum inflammatur exhalatio tenuis ſulphurea, ex calidioribus animalibus exſpirans, & plerunque crinitis animalium partibus, imo & veſtibus adhærens.

Quid est Draco Volans?

Draco Volans, eſt exhalatio pinguis & copioſa, accenſa, quæ deorſum oblique cadit e nubibus, ſimilitudinem habens veri draconis, in aëre circumvolantis.

Quid est Tonitru?

Tonitru, eſt ſonus a nube ortus, a diſcuſſione exhalationis calidæ & ſiccæ, exitum quærentis, & latera nubis undiquaque pulſantis.

Quid est Fulmen?

Fulmen, eſt meteoron, quando exhalatio calida & ſicca magno impetu e nube excutitur. Laurum, Ficum, Hyacinthum florem, Vitulum marinum, & Aquilam, a fulmine minime tangi, a quibuſdam proditum eſt.

Quotuplex est Fulmen?

Fulmen eſt triplex: Terebrans, Diſcutiens, & Vrens.

Quid est Fulmen Terebrans?

Fulmen Terebrans eſt, quod ob virtutem potentem, in ſubtili ſpiritu fundatam, etiam anguſtiſſima tranſit. Hoc conflari dicitur argentum, ſalvo & illæſo marſupio.

Quid est Fulmen Discutiens?

Fulmen Diſcutiens eſt, quod conglobatum, ſpiritus ſulphurei & nitroſi, coacti & procelloſi, commixtam vim habet, adeoque icta disrumpit. Hoc eſt illud fulmen, quo quercus ſcinduntur, turres franguntur.

Quid est Fulmen Vrens?

Fulmen Vrens eſt, quod omnia in flammam vertit, ob ſulphuris tenacis, quod admixtum habet, copiam. Hoc eſt illud fulmen, quo urbes, pagi, domus accenduntur.

Quid est Lapis Fulminaris?

Lapis Fulminaris, eſt corpus durum & ſolidum, in nubibus generatum, & cum frigore in terram projectum.

Quid est Fulgur?

Fulgur, eſt flaminæ micatio, ab exhalationibus ſulphureis accenſis orta, lumen de ſe ſpargens, lateque tractum terrenum illuſtrans. Vulgo diſtinguunt Fulgur in id, quod fit ſine tonitru, & id, quod fit cum eo. Sed veriſimile eſt, nullam fulguris eruptionem ſine ſonitu fieri; tametſi, quod ſit procul editus, ad aures noſtras non pertingit. Quanquam vero ſimul contingunt Tonitru & Fulgur; ſemper tamen prius conſpicitur Fulgur, quam auditur Tonitru. Ratio, quia, ut formetur ſonus, neceſſaria eſt aëris fractio, quæ

quæ aliquod temporis ſpatium requirit: neceſſaria etiam eſt ſpecies audibilis, quæ per varias circumgyrationes, multasque ambages, auditui obſertur. Talia autem circa viſum non obtinent; ideo celerius percipit objectum, nempe coruſcationem. Simile quid contingit in globulis e ſclopo emiſſis: &, cum ligna cæduntur, eminus conſtituti, prius videmus lignum ſecuri tangi, quam auditu ſonum percipimus.

Quid eſt Ecnephias?

Ecnephias, eſt exhalatio copioſa, tota ſimul e nubibus, magna vi, deorſum, ſine gyro & inflammatione, excuſſa.

Quid eſt Typho?

Typho ſeu Turbo, eſt exhalatio copioſa, exploſa e nubibus, ſine inflammatione, ſed cum gyro, deorſum.

Quid eſt Preſter?

Preſter, eſt Typho inflammatus. Longa enim vertigine, qua partes inter ſe confricantur, typho concipit flammam, & tranſit in preſterem. Hinc Lucretius l. 6.

Fit quoq; ut interdum venti vis, miſſa ſine igne,
Igneſcat tamen in ſpatio, longoq; meatu.

Quid eſt Lancea Ardens?

Lancea Ardens, eſt meteoron ignitum, genitum ex materia rara & non bene compacta, longa quidem, ſed parum lata, cujus poſtquam una pars accenſa eſt, facile & aliæ ejus partes accenduntur, & inſtar jaculi, ab una parte in aliam tranſcurrit.

Quid

Quid est Clypeus ardens?

Clypeus ardens, est meteoron ignitum, generatum ex exhalatione, quam circumstant duæ nubes diversæ, calida & frigida, quarum una eam pellit a se, altera eam trahit.

Quid est Stella Cadens?

Stella cadens, est meteoron ignitum, genitum, dum exhalatio mediocriter calida, nec densa admodum, nec compacta, in longum continuata & accensa; a mediæ regionis, vel nubis occurrentis frigore expellitur, ac stellæ e cœlo cadentis formam refert.

Quid sunt Stipulæ ardentes?

Stipulæ ardentes, sunt ignitum meteoron, genitum ex non adeo densa exhalatione, cujus partes omnes non æque facile accenduntur, & similes sunt scintillis, ex camino evolantibus.

Quid est Ignis Perpendicularis?

Ignis Perpendicularis, est ignitum meteoron, ortum ex figurata exhalatione in suprema aëris regione accensa, & similis est perpendiculo, plumbeo instrumento, dum latior est in basi, sursum autem in conum abit.

Quid sunt Capræ Saltantes?

Capræ Saltantes, sunt meteoron ignitum, ex grandioribus exhalationibus disjunctis accensis, & more caprarum saltantibus.

CAPUT VII.

De Meteoris Aëreis.

Quid est Meteoron Aëreum?

MEteoron Aëreum est, quod ex vapore & fumo simul fit: ut Ventus.

Quid est Ventus?

Ventus, est meteoron aëreum, genitum ex exhalatione calida & sicca, virtute astrorum evecta, non inflammata, sed lateraliter mota, cui quandoque vapores sunt admixti. Nimirum, exhalationes & vapores in sublime ad mediam aëris regionem elati, inde ab aëre frigido & denso protrusi, refracto impetu resiliunt, &, quia pulsu deorsum aguntur, oblique fluunt.

Quæ est Ventorum Utilitas?

Vtilitas Ventorum est multiplex. Namq; 1. aërem contra situm & putredinem exercent, & hinc causas morborum & pestem discutiunt. 2. Respirationem animalium refrigerant. 3. Jactatione sua juvant plantarum radices, ut defigantur altius, & liberius ac laxius eliciant alimentum. 4. Oceanum faciunt pervium.

Quomodo dividuntur Venti?

Venti dividuntur in Cardinales & Collaterales. Cardinales sunt illi, qui a quatuor mundi cardinibus spirant. Suntque 1. *Aquilo* sive *Boreas*, qui a Septentrione spirat, der Nordwind. 2. *Subsolanus* sive *Eurus*, qui spirat ab Ortu, der Ostwind. 3. *Auster* sive *Notus*, qui spirat a Meridie, der Sudwind. 4. *Zephyrus* sive *Favonius*, qui ab Occasu spirat, der

Westwind. Inter utrumq; Cardinalem olim Athenienses unum posuerunt collateralem, sed postea numerus crevit. At nautæ, quorum valde interest, quo præcise flatu sua impleant vela, in pyxide sua notant ventos XXXII. atque sic inter duos quosque cardinales septem collaterales interjiciunt.

Quod est Ventorum discrimen?

Venti Septentrionales dicuntur esse frigidi & sicci, quia frigida loca permeant, & inde vim habent serenitatem inducendi. *Venti Meridionales*, calidi & humidi sunt: Calidi, quia ex locis Zonæ torridæ propinquioribus spirant: Humidi, quia ex multo vapore e mari mediterraneo, & aliis locis aquosis elevato, constant. *Venti Orientales* sunt calidi & sicci. *Venti Occidentales* sunt frigidi & humidi, quod habent à marino vapore, cujus magnam secum trahunt copiam.

Quid sunt Auræ?

Auræ, sunt molles quidam & humentes ventuli; e mari, lacubus, aut fluminibus evaporati, & in vicinum refluentes. Hujusmodi venti mane potissimum oriuntur.

Quid sunt Etesiæ?

Etesiæ, quasi anniversarii, sic dicti, quod singulis annis biduo post exortum stellæ caninæ XL. diebus spirare, & æstum frangere, ac hominibus pecudibusq; grati & salutares esse solent. Oriuntur, secundum Aristotelem, ex liquatione nivium & glaciei sub ultimo Septentrione.

Quid est Terræ Motus?

Terræ Motus, est partium terræ concussio, ab exhalatione calida & sicca, præter naturam intra terræ cavi-

cavitatem conclusa, & vi maxima exitum quærente, cum tremore stupendo orta. Secundum alios; Terræ motus provenit ab ignibus subterraneis; qui sæpe profunde latent, subsunt maris fundo; & montium insularumque radicibus. Ab iis ergo exhalat spiritus sulphureus & igneus, qui maximas & plurimas longe lateque concutit regiones, unde & subinde dehiscente terra, ignes emicant. Hinc apparet ratio, quare in locis Septentrionalibus rariores sint terræ motus: ob intensum enim earum regionum frigus, non facile concitantur exhalationes in gremio terræ.

Quæ sunt Species Terræ motus?

Species Terræ motus vulgo constituuntur Tremor & Pulsus. Atque Tremor, est agitatio terræ in latera, cum modo in hanc, modo in illam movetur partem. Pulsus, est agitatio terræ ex imo, cum scilicet terra sursum & deorsum movetur, & ingenti hiatu dehiscit, ut vorago appareat.

CAPUT VIII.

De Meteoris Aqueis.

Quid est Meteoron Aqueum?

Meteoron aqueum est; quod generatur ex vapore.

Quid est Nubes?

Nubes est vapor copiosus, in media aëris regione concretus & suspensus. Causa igitur Nubium, est frigus mediæ aëris regionis, vapores condensans, & ventus, qui vaporum particulas dispersas colligat, & comprimit, aut in nubem jam formatam impellit.

Quantum distant Nubes a terra?

Vossius opinatur, tum, cum nubes gravissimæ sunt, & in pluviam se jam resolvunt, concavum earum vix distare a terra passibus quingentis, sive spatio milliaris Italici dimidii: convexum autem nubium, plus minus Italicis milliaribus quatuor. Fortasse dicendum, inæqualem esse Nubium distantiam, atque densas, humiliores; tenues vero, altiores deprehendi; insuper in calidis regionibus, altissimo, in frigidis, humillimo, in temperatis, medio eas hærere loco.

Quomodo dividitur Nubes?

Nubes dividitur in Sterilem & Fœcundam.

Quid est Nubes Sterilis?

Nubes Sterilis est, quæ ex vapore tenuiori & subtiliori compacta est, & facile a calore Solis vel consumitur, vel dissipatur, vel in ventum aut aërem abit.

Quid est Nubes Fæcunda?

Nubes Fœcunda est, quæ ex crassiori vapore est compacta, & in pluviam facile resolvitur.

Quid est Pluvia?

Pluvia, est fluxus nubis fœcundæ, in destillantes aquæ guttas, a calore Solis resolutæ, quæ guttæ suo pondere depressæ, in terram decidunt, & eam, ceu Seneca vult, ad X. pedes humectant.

Quid est Imber?

Imber, est pluvia plenioribus guttis decidens.

Quid est Nimbus?

Nimbus, est pluvia, omnium maximis & decumanis guttis decidens.

Quæ

Quæ sunt Signa Pluviæ?

Signa pluviæ, secundum Cartesium, sunt, cum ros noctu non decidit, & nebula mane sursum recedens, terram omnem siccam relinquit: item, cum aër est nubibus obductus, & Sol nihilominus in ortu lucide splendet.

Quid est Stillicidium?

Stillicidium, est minutissima, & quasi pulverulenta pluvia, ubi rariores sunt guttæ cadentes, nec tanta celeritate se invicem sequuntur.

Quid est Pluvia Sanguinea?

Pluvia Sanguinea est, quando vapor exhalat, vel ex locis rubrica aut minio abundantibus, vel ex locis sanguinolentis.

Quid est Pluvia Lactea?

Pluvia lactea est, quando vapor vel e locis cretaceis educitur, vel e moderato Solis calore, ita aquam excoquente, alborem acquirit.

Quid est Pluvia Lapidea?

Pluvia Lapidea est, quæ oritur ex elevato vapore crasso & viscoso, Solisque calore indurato.

Quid est Nebula?

Nebula, est vapor copiosus & densus, infimam aëris regionem occupans, quæ est vel residuum præcedentis nubis, vel initium sequentis.

Quid est Nix?

Nix, est nubes, vel meteoron, ortum ex nube, magno frigore vel vento in floccos albos & teneros coacta. Etsi vero tota & continua nubes frigore congelatur, frangit se tamen in lapsu, & ut pluvia guttatim, sic nix per floccos decidit. Albedo nivis, par-

tum est a frigore, partim a spiritu aëreo, copiose admixto.

Quid est Grando?

Grando, est meteoron aqueum, a guttis pluvialibus, in descensu, a frigore conglaciatis, ortum.

Quid est Ros?

Ros, est meteoron aqueum, genitum ex vapore tenui, non procul a terra elevato; qui noctis temperatæ frigiditate densatus, & in aquæ tenuissimas guttas resolutus, in terram sparsim decidit. Ros interdum ovibus & capris noxam affert: alvum enim ciet, augetque bilem, necisque causa est; atque animalium ejusmodi, si aperiantur viscera, crocei coloris apparent. Hinc prudentes opiliones non summo mane per roscida educunt gregem, sed exspectant, donec Sol rorem resorbuerit. Venatores quoque observant, odorem canum nimia roratione obtundi.

Quid est Pruina?

Pruina, est meteoron aqueum, quod e vapore tenui, a terra in proximum aërem virtute Solis elevato, & a frigore in salis quasi formam constricto, ut nix exigua super terram effunditur. Plurimum pruina non nisi infimas terræ afficit partes, unde Vineæ interdum in locis humilioribus perduntur; in altioribus salvæ manent & intactæ. Exurit nempe pruina vehemens verno tempore segetes, plantas lactescentes, germinum oculos, & vitium gemmas, ita ut una sæpe nocte spes omnis colonis præcidatur. Levis pruina, exterius tantum nascentia afficit, &, poros restringendo, succum vitalem conservat, autumno quoque uvarum maturitati inservit.

Quo-

Quotuplex est Pruina?

Pruina varia eſt. Interdum enim per herbas inſtar raræ cujusdam nivis diſpergitur; interdum filatim ab arboribus dependet, quando ſcilicet multæ vaporis & exhalationis guttulæ, in longum catenatim nexæ, frigore concreſcunt; vocatur alias Pruina Capillata.

Quid ſunt Fila Divæ Virginis?

Fila Divæ Virginis, pruinæ capillatæ quodammodo affinia ſunt, & autumno maxime, per agros, inſtar telarum araneorum, volant. Non ſunt autem, ceu quibusdam viſum, retia araneorum vento abrupta: hæc enim vix valido vento rumpi poſſunt; fila autem illa Divæ Virginis, ſine ullo vento naſcuntur & volant. Quin potius ex vapore percocto, & terreſtribus ac viſcoſis exhalationibus contemperato, maxime Vere & Autumno, concreſcunt.

Quid eſt Glacies?

Glacies, eſt aqua vel liquor congelatus, ab excellenti frigore. Materia igitur Glaciei eſt aqua, cum admixtis partibus terreſtribus: hæ enim congelationem magnopere juvant. Unde, quo purior eſt aqua, eo difficilius in glaciem concreſcit. Magnas autem Glacies ſecum affert utilitates: nam, & fruges altas radices agere facit, & vermes, reliquaq; inſecta, de medio tollit.

Quid eſt Mel?

Mel, eſt Meteoron, ex vapore terreſtrium excocto & temperato, & roris modo plantis adjacente, nec non ex admiſtis exhalationibus plantarum. Atque hinc apes mel ſuum conficiunt.

Quid est Manna?

Manna, est ſuccus dulcis, pinguior & denſior melle, ex rore & exhalatione percoctus, &, in infima aëris regione, nocturno frigore concretus.

CAPUT IX.

De Meteoris Emphaticis ſeu Apparentibus.

Quid ſunt Meteora Emphatica?

METeora Emphatica ſunt, quæ ſicut non ſunt figmenta cerebri noſtri, ita neque qualitates ſunt fixæ, ſed ſpecies apparentes, ex lucis & umbrarum mixtura ortæ.

Quid est Iris?

Iris eſt arcus multicolor, in nube rorida & opaca, itemque aëre rorido, ex radiorum Solis oppoſiti refractione, apparens oculis ſpectantium. Conſpiciuntur aliquando etiam Irides Lunares, quæ ex Lunæ radiis ortum habent, verum rarius. Figura Iridis eſt ſemicircularis, quia omnes partes nubis roridæ æqualiter ab oculo diſtant, & in ſemicirculum diſponuntur. Quod ſi vero oculi noſtri in tantum elevarentur ac oculi gruis altivolantis, non dimidium, ſed integrum cerneremus circulum. *Iris Solaris* naturaliter ſignificat pluviam, quia apparet in nube rorida, quæ in pluviam reſolvi poteſt. Significat etiam quandoque ſerenitatem, cum ſcilicet poſt imbrem conſpicitur; creditur enim, nubes tum aptas ad recipiendum lumen Solis, exoneratas eſſe aquarum craſſitie. *Iris Lunaris* ſignificat pluvias diuturnas, & cœlum valde inſtabile, quia non generatur hæc Iris, niſi

cum

cum plurimum materiæ pluviosæ est collectum, & cum Luna valde est Australis.

Quid est Halo?

Halo, est Circulus circa Solem, Lunam, aut aliam aliquam majorem stellam apparens, ex radiorum in nubibus refractione effectus. Frequentius autem sub Luna apparet Halo, quam sub Sole, quia hujus fervor halitus dissipat, nec facile eos ita sinit coagmentari, ut Halo in iis appareat.

Quid est Parelius?

Parelius, est imago Solis, a latere ejus, in nube densa, plana, quiescente & aquosa, per radiorum Solis refractionem expressa. Est interdum multiplex, atque etsi Plinius testatur, non plures simul, ad suum ævum, visos Soles quam tres, tamen Scheinerus Romæ Anno 1629. quinque, & anno sequente septem observavit: ac Gassendus nihil prohibere putat, quo minus XI. simul apparere possint.

Quid est Paraselene?

Paraselene, est imago Lunæ, ex refractione radiorum lunarium, in nube lævi & humida repræsentata. Hevelius testatur se An. 1660. tres Pseudolunas, una cum genuina, Gedani conspexisse.

Quid sunt Virgæ?

Virgæ, quæ alias Bacilli, Columellæ, & Funes tentorii dicuntur, sunt lineæ rectæ, quas Solis radii, directe in nubem aquosam, dissimiliter tamen raram, incidentes & refracti, efficiunt. Vulgus dicit, die Sonne ziehet Wasser.

Quid est Fovea?

Fovea, est meteoron, exhibens speciem dehiscentis cœli. Generatur, cum serena nocte, multi halitus in sublime evecti & constipati, in medio densiores, & extremis partibus rariores, constituuntur inter astrorum lumen & nostrum aspectum, ut foveæ similitudinem exhibeant.

Quid est Via Lactea?

Via Lactea, sive Galacia, quam Aristoteles, telescopiis destitutus, inter meteora retulit, est innumerabilis multitudo stellularum, debili sua luce, illam effusi lactis speciem, cœlo sereno exhibentium.

CAPUT X.

De Mineralibus in Genere, & Lapidibus.

Quotuplicia sunt Corpora perfecte mixta?

CORpora perfecte mixta sunt duplicia: Animata & Inanimata. Per Inanimata autem non intelliguntur mortua, sed illa, quæ nullo modo vitam involvunt: uti Mineralia.

Quomodo dividuntur Mineralia?

Mineralia dividuntur in Lapides, Metalla, & Mineralia media, hoc est ea, quæ mediam quandam, inter Lapides & Metalla, naturam habent.

Quid sunt Lapides?

Lapides, sunt corpora perfecte mixta, inanimata, dura, ex sicca terrestri exhalatione, unctuositate quadam aquosa permixta, per temporis diuturnitatem,

vi

vi caloris & frigoris, atque virtute minerali, conglutinata.

Quot sunt Genera Lapidum?

Genera Lapidum sunt quinque. *Primo* Lapides quidam sunt factitii. *Secundum* genus est Lapidum eorum, qui facti sunt ex aliqua substantia, quæ prius non erat lapidea, uti qui fiunt ex ligno putrefacto & cochleis. *Tertium* genus, est eorum, qui oriuntur ex plantis, ut Corallus. *Quartum* genus, est lapidum, qui in animalibus generantur. *Quintum*, est eorum, qui sub terra fiunt, & montes ipsos lapideos constituunt.

Quomodo dividuntur Lapides?

Lapides, secundum diversitatem materiæ, sunt vel Vulgares, vel Pretiosi.

Quid sunt Lapides Vulgares?

Lapides Vulgares sunt, qui ex materia crassiore & impuriore constant, formamque habent ignobiliorem: uti *Tophus*, *Pumex*, *Marmor*, *Magnes*.

Quid sunt Lapides Pretiosi?

Lapides Pretiosi sunt, qui constant ex materia subtiliore & puriore, formamque habent nobiliorem: uti *Adamas*, *Smaragdus*.

Quid sunt Margaritæ?

Margaritas quidam lapidibus pretiosis accensent, voluntq; eas concrescere ex succulento humore, per coagmentationem & appositionem; ut, postquam ex humore primum rudimentum acceperunt, adjecto sæpius novo humore, eoque exsiccato, nova quasi cute ac cortice superinjecto augeantur ac crescant, non secus ac in fellis vesicula, & urinæ vesi-

ca generantur lapides, ac lapis Bezoar in capris Indicis concrescit. Sed Gassendus existimavit, conchis Margaritarum interius politissimis nitidissimisq;, adnasci plerunque tumores quosdam quasi verrucas, ex eadem conchæ materia, qui excreti, uniones sint, unamque cum concha vitam participent, donec ab ipsa separentur.

CAPUT XI.
De Metallis.

Quid est Metallum?

Metallum, est corpus perfecte mixtum, inanimatum, ex sulphure & argento vivo mixtis ac temperatis, in terræ venis natum, fossile, durum, igne liquabile, malleo in omnem formam ductile.

Quid est Sulphur?

Sulphur, est materia metallaris, ex subtiliori exhalatione, pingui & unctuosa, venis terræ inclusa, constans.

Quid est Argentum Vivum?

Argentum Vivum, est materia metallaris, constans ex vapore subtiliore aqueo; qui cum terra conglutinatur, & per calorem sulphuris decoquitur, instar aquæ fluens, nec tamen madefaciens. Dicitur *Argentum Vivum* per metaphoram, item *Mercurius*, quia hujus instar versatile.

Quomodo dividuntur Metalla?

Metalla dividuntur in Pura & Impura.

Quid

Quid ſunt Metalla Pura?

Metalla pura ſunt, qvæ ex puriore Sulphure & Mercurio, exquiſite decoctis, conſtant; ut Aurum & Argentum.

Quid ſunt Metalla Impura?

Metalla Impura ſunt, quæ ex impuriore Sulphure & Mercurio conſtant; ut *Plumbum*, *Stannum*, *Æs*, *Ferrum*.

Quid eſt Aurum?

Aurum, eſt metallum perfectum, ex Mercurio, vel exhalatione mercuriali ſulphurea & ſalina, perfectisſime excoctis, confectum: a Chymicis *Sol* vocatur.

Quid eſt Argentum?

Argentum, eſt metallum perfectum, auro tamen inferius; conſtans Mercurio & Sulphure albo, pæne fixis: a Chymicis *Luna* vocatur.

Quid eſt Plumbum?

Plumbum, eſt metallum imperfectum, molle, ex Mercurio multo impuro, ac Sulphure pauco, itidem impuro ac fœtido, genitum. Cum Plumbo convenit *Stannum*, quod Plumbum candidum dicitur. Chymici, Plumbum, *Saturnum* vocant, Stannum vero *Jovem*.

Quid eſt Æs?

Æs, ſive Cuprum, eſt metallum imperfectum, durum, rubrum, ignibile, ſub malleo extenſibile, confectum ex minera, in terræ viſceribus ex vapore impuro, ſpadiceo, ſulphureo, ſalino, rubro & flavo Mercuriali nata. Chymici *Venerem* appellant.

Quid est Ferrum?

Ferrum, est Metallum imperfectum, durum, plurimum habens exhalationis sulphureæ & salinæ fixæ, minimum Mercurii; fusile, ductile, & extensibile. Chymici *Martem* appellant.

CAPVT XII.

De Mineralibus Mediis.

Quid sunt Mineralia Media?

MIneralia media, sunt corpora perfecte mixta, inanimata; quæ inter metalla & lapides interjacent, ita ut quadantenus naturam eorum participent, quadantenus vero ab eadem recedant.

Quid est Terra?

Terra, hoc loco, est corpus fossile, naturæ mineralis particeps, quod injecta aqua solvitur & lutum fit. Ejus species sunt variæ, pro diversitate *particularum*, ex quibus terra mineralis constat, aut *succi*, quo connectitur, aut regionum, in quibus reperitur. Si enim materia sit valde tenax, lenta & pinguis, *Argilla*; si tenax, alba, & in Insula Creta effodiatur, *Creta*; sin vero in Insula Samo, *Samia*; si lutei & pallidi coloris, *Ochra*; si valde rubens, & in Insula Lemno inveniatur, *Terra Lemnia*, item *Sigillata*, quod sigillo obsignetur; si tantum subrubicunda, & in Armenia effodiatur, *Terra Armena*, vel *Bolus Armenus* nominatur.

Quid est Sal?

Sal, est succus concretus, acer, qui e succo aqueo & terreo mistis, generatur: atque si sit volatile & amarissimum, *Armoniacum*; si pinguius, muris, petris-

trisque adnaſcens, *Nitrum*, item Sal petræ, ſi in mineris & aquis mineralibus reperiatur, *Alumen*; ſi cum materia metallica & mercuriali, ſucco quodam acerrimo & ſubtiliſſimo, connectatur, *Vitriolum* appellatur. Dividitur etiam in Sal Artificiale & Naturale.

Quid eſt Sulphur?

Sulphur eſt ſuccus mineralis, conſtans parte una inflammabili & pingui, grauemque odorem de ſe præbente, altera terrea, craſſa, fixa, ſuccum chalcantoſum admiſtum habente.

Quid eſt Bitumen?

Bitumen eſt aliqua terræ pinguedo, aquis ſupernatans, quæ ad litus disjecta, concreſcit, denſatur, ac dura tenaciſſimaque redditur, ac facile concipit flammam.

Quid eſt Naphtha?

Naphtha, eſt bitumen liquidum, calidum & ſiccum, naturam habens plane ſpirituoſam & igneam; cui tanta eſt cum igne cognatio, ut etiam ex intervallo flamma in illud tranſiliat, imo calore etiam Solis facile accendatur.

Quid eſt Petreolum?

Petreolum, ſic dictum quaſi Petræ oleum, eſt oleum bituminoſum, non ita ſubtile, minusque ſpirituoſum quam naphtha, e petris exſtillans.

Quid eſt Succinum?

Succinum, eſt bitumen, quod eruitur e mineris terræ, foris coagulatum, intus vero naturam naphthæ vel petreoli habens, cum ſpiritu aluminoſo, nitroſo, & vitriolato. Frequentius reperitur in litore Boruſſiæ, eſtque interdum purum, interdum herbis, lignis,

lignis, bestiolis, aliisque sordibus mixtum. Cum panno fricatur, paleas, scobesque ad se attrahit.

Quid est Antimonium?

Antimonium, est corpus minerale, natum in terræ visceribus & cavernis, ex hydrargyro terreo multo, sulphure & arsenico crudo, omnibus his volatilibus, constans: plumbum qvidem æmulatur, sed est admodum fragile.

CAPUT XIII.

De Animato in genere, itemque Vita & Morte.

Quid est Animatum?

ANimatum, est corpus narurale mixtum, anima & corpore organico constans, vitaque præditum; & dividitur in Partes & Species.

Quæ sunt Partes Animati?

Partes animati, sunt Anima, & Corpus organicum.

Quid est Anima?

Anima, est forma corporis naturalis organici, vitam & operationes vitales ei communicans.

Quotuplex est Anima?

Anima est triplex: Vegetativa, ut in Plantis; Sensitiva, ut in Brutis; Rationalis, quæ soli inest Homini. Omnium imperfectissima est Anima Vegetativa; nullius enim cognitionis aut libertatis est particeps. Perfectior aliquo modo est Sensitiva Anima, quæ aliquam admittit cognitionem, inferioris tamen conditionis; nempe sensuum cognitionem, ut & ali-

aliquam libertatem, cujus particeps ſit, quatenus rationi in homine ſubjicitur. Perfectiſſima omnium eſt Rationalis: tum ratione ſubſtantiæ, quia eſt ſpiritus, & a corpore ſeparata poteſt exiſtere; cum ſenſitiva & vegetativa a materia ſeparatæ intereant: tum etiam ratione operationum, uti ſunt Cognitio, Electio, Conſultatio.

Quid eſt Corpus Organicum?

Corpus organicum, eſt materia, eleganter & artificioſe, in varia organa, ad certas operationes edendas, diviſa: eſtque vel Plantarum, vel Brutorum, vel Hominis.

Quid eſt Vita?

Vita, eſt actus corporis naturalis viventis, eſſe, & operationes vitales, huic communicans.

Quid eſt Mors?

Mors, eſt privatio vitæ, in vivente, a ſolutione animæ & corporis, facta.

Quomodo dividitur Mors?

Mors dividitur in Naturalem & Violentam.

Quid eſt Mors Naturalis?

Mors naturalis eſt, quæ a naturali humidi reſolutione oritur.

Quid eſt Mors Violenta?

Mors violenta eſt, quæ a præternaturali & externa quadam violentia oritur.

Quæ ſunt Species Animati?

Species Animati, ſunt Planta, & Animal.

CAPUT XIV.

De Plantis.

Quid est Planta?

PLanta, est corpus perfecte mixtum, vegetante tantum anima præditum; quia è terra nascitur, alitur, augetur, & simile sibi generat.

Quid est Anima Vegetativa?

Anima Vegetativa est, qua vivens nutritur, crescit, & sibi simile generat.

Quæ sunt Facultates Animæ Vegetativæ?

Facultates Animæ Vegetativæ sunt tres: Altrix, Auctrix, & Procreatrix.

Quid est Facultas Altrix?

Altrix, est facultas animæ vegetativæ, qua id, quod quotidie de partibus viventis effluit; ex alimento extrinsecus assumto,& in substantiam corporis viventis converso, restauratur.

Quid est Facultas Auctrix?

Auctrix, est facultas animæ vegetativæ, qua vivens, ex assumto alimento, secundum omnes dimensiones extenditur, justamque quantitatem consequitur, ad edendum operationes debitas.

Quid est Facultas Procreatrix?

Procreatrix, est facultas animæ vegetativæ, qua vivens, ex semine prolifico, sibi simile generat.

Quid est Semen?

Semen Plantarum in se habet virtutem formatricem, quæ corpus plantæ effingit, efficitque, ut debitam formam consequatur. Semen in animali, est substantia

ſtantia humida, calida, ſpumoſa, alba, ex reliquiis ſanguinis, vi teſtium excocta & elaborata, ad animalis generationem.

Quæ ſunt partes Plantæ?

Partes Plantæ, ſunt vel Principales, vel minus Principales.

Quæ ſunt Plantæ partes principales?

Principales Plantæ partes ſunt, quibus anima vegetans nutritionem præcipue perficit, plantarumq; vitam conſervat: ut *Succus*, *Radix*, *Rami*, *Caulis*.

Quæ ſunt Plantæ partes minus principales?

Plantæ partes minus principales ſunt, quæ ad plantam, nec in individuo nec in ſpecie conſervandam, multum faciunt: ut *Folia*.

Quæ ſunt Species Plantæ?

Species Plantæ ſunt, *Arbor*, *Frutex*, *Herba*, *Olus*.

Quid eſt Arbor?

Arbor, eſt planta, e cujus radice ſtipes naſcitur, qui ſeſe in multos effundit ramos: ut *Pomus*, *Pirus*.

Quid eſt Frutex?

Frutex, eſt planta, quæ ramos tantum habet ſine ſtipite, a radice progenitos: ut *Avellana*, *Sambucus*.

Quid eſt Herba?

Herba, eſt planta minor, de ſe emittens caulem, vel ſolum folia: ut *Abſinthium*, *Artemiſia*.

Quid eſt Olus?

Olus, eſt planta ſativa, eſui apta: ut *Lactuca*, *Braſſica*.

Quo-

Quomodo Plantæ generantur?

Plantæ generantur modo vario. Aliæ enim ex *Semine* (quod nihil eſt quam plantula, ſive ramuſculus, pulpa quadam, velut capſula, incluſus,) in terram conjecto; aliæ ex *Radice* aut *Bulbo* in terram depreſſo, vel *Surculo* aut *Ramo* terræ infixo; aliæ deniq; ex *Gemma*, vel *Surculo*, alteri plantæ inſerto, propagantur.

Quæ cauſa, eſt quod non omnes Plantæ in omni loco æque feliciter proveniunt?

Non omnes Plantæ in omni loco æque feliciter proveninnt, quia, pro *diverſitate caloris*, qui in variis regionibus varius eſt; *fermenti*, quod non idem ſemper ſolum amat; & *ſucci alimentarii*, qui in aliis terris alius, Plantæ diverſam terram requirunt.

CAPUT XV.

De Animalibus.

Quid eſt Animal?

Animal eſt corpus animatum, ſentiens, & loco ſe movens.

Quæ ſunt Species Animalis?

Species Animalis ſunt Homo & Brutum.

Quid eſt Brutum?

Brutum eſt animal irrationale, & dividitur in *Volatile*, *Natatile*, *Greſſile*, & *Reptile*.

Quid eſt Anima Senſitiva?

Anima Senſitiva eſt forma brutorum, qua objecta ſenſibilia cognoſcunt, ſalutaria appetunt, & loco moventur.

Quæ

Quæ sunt Facultates Animæ Sensitivæ?

FacultatesAnimæ Sensitivæ, sunt Cognoscens, Appetens, & Loco movens.

Quid est Facultas Cognoscens?

Facultas cognoscens est, quæ, mediante certo corporis organo, objecta sensibilia percipit. Atque hæc comprehendit Sensus Externos & Internos.

Qui sunt Sensus Externi?

Sensus Externi sunt, qui speciem, ab objecto immediate productam, in exteriore corporis parte recipiunt, & ad internos sensus transmittunt.

Quot sunt Sensus Externi?

Sensus Externi sunt quinque: *Visus*, *Auditus*, *Olfactus*, *Gustus* & *Tactus*.

Quid est Visus?

Visus, est sensus externus, oculi beneficio, lucis & coloris species recipiens & cognoscens.

Quid est Auditus?

Auditus, est sensus externus, auris beneficio, soni species recipiens & cognoscens. Est vero *Sonus* qualitas sensibilis, orta ex fractione aëris vel aquæ, cum percutiuntur aut impelluntur.

Quomodo formatur Echo?

Echo formatur, quando sonus a corpore duro, solido, concavo, reciproca aëris vibratione repercutitur; quæ repercussio, si denuo, in alio corpore, similiter disposito, fiat; Echo iteratur & multiplicatur.

Quid est Olfactus?

Olfactus, est sensus externus, nasi & processuum mamillarium beneficio, odoris species recipiens &

cognoſcens. Hinc coryza laborantes, quod in iis abundans humor poros proceſſuum mamillarium occupat, nec halitum odoratum ad nervulos agitandos admittit, odores minime ſentiunt.

Quid eſt Guſtus?

Guſtus, eſt ſenſus externus, linguæ beneficio, ſaporis ſpecies recipiens & cognoſcens. Organum igitur Guſtus primo eſt *lingua*, quæ carne ſua molli & ſpongioſa, ad ſapores, humore quodam vectos, imbibendos, ut ſpongia ad liquorem recipiendum, aptiſſima eſt. Dein eſt *ſuperior gulæ pars*, ſive ſpongioſus palati tractus, quem alii *gurgulionem* appellant. Potiſſimum denique ſunt *nervi guſtatorii*, qui ex cerebro in palatum derivantur. Ii, cum in linguæ cuſpide coëant, hinc illa linguæ pars guſtu quam maxime pollet.

Quid eſt Tactus?

Tactus, eſt ſenſus externus, membranæ & nervorum beneficio, qualitatum tactilium ſpecies recipiens & cognoſcens. Medium Tactus, eſt caro vel cutis, inter qualitatem tactilem, & nervum eam percipientem. Per carnem enim, & cutim interjectam, ſpecies objecti tactilis ad nervos deferuntur.

Quæ ſunt illa, quæ Tactu ſentiuntur?

Tactu ſentiuntur Qualitates Tactiles, quales ſunt: *Caliditas*, *Frigiditas*, *Gravitas*, *Levitas*, *Aſperitas*, *Lævitas*, *Mollities* & *Durities*.

Quid ſunt Senſus Interni?

Senſus Interni ſunt, qui ſpeciem, per ſenſus externos allatam, in cranio recipiunt, cenſent & dijudicant. Nempe, Interni Senſus ab Externis pendent, nihilque cognoſcunt, niſi prius fuerit cognitum per ſen-

ſenſus externos, communicantes ipſis ſpecies rerum perceptarum. Senſus Interni tres ſunt: *Senſus Communis*, *Phantaſia*, & *Memoria*.

Quid eſt Senſus Communis?

Senſus Communis, eſt ſenſus internus, ſpecies ſenſuum externorum recipiens, & ſenſibilia propria a ſe invicem & communibus discernens. Sive, Senſus Communis, eſt ſenſus internus, per quem omnia ſenſuum externorum objecta, in cerebri medio, tanquam communi omnium impreſſionum centro, uniuntur.

Quid eſt Phantaſia?

Phantaſia, eſt ſenſus internus, ſpecies a ſenſu communi ad ſe delatas, diutius retinens, & diligentius examinans. Sive, Phantaſia eſt ſenſus internus, per quem ſenſuum externorum objecta, etiam abſentia, ex olim facto impreſſionis veſtigio, præſentia quaſi ſiſtuntur.

Quid eſt Memoria?

Memoria, eſt Phantaſiæ famula & miniſtra, quæ ſpecies receptas & dijudicatas retinet, & conſervat, ac præſentes ſiſtit.

Quæ accidunt Senſibus?

Senſibus accidunt Somnus & Vigilia.

Quid eſt Somnus?

Somnus, eſt privatio actionum Senſus Communis, ſenſuumque externorum, & facultatis loco motivæ, a ſpirituum animalium in organis negatione, ob ſalutem animalium facta. Conciliant autem Somnum ea, quæ ſpirituum copiam minuunt, vel motum eorum retardant. Reſtaurat interim Somnus ſpiritus ani-

animales, quatenus in animali dormiente, ex ciborum concoctione, novi ſurgunt, qui quieſcente animali non facile diſſipantur. Unde animalia, ſomno fota, vigorem ſuum recipiunt. Quamobrem, deficientibus ſpiritibus Somnus obrepit, & tam diu durat, donec ſpiritus denuo collecti, in organa ſenſuum, prono quaſi alveo, ſe rurſum diffundunt, & torporem animali excutiunt.

Quid eſt Inſomnium?

Inſomnium, eſt quædam, in ſomno, diverſorum objectorum, facta repræſentatio. Varietasque Inſomniorum oritur a diverſitate 1. *Veſtigiorum* cerebro impreſſorum. Sic,

Pleraq; quæ ſenſu volvuntur vota diurno,
Tempore nocturno reddit amica quies.

2. a diverſitate *Temperamenti*, *Ciborum* item & *Potus*, quibus ſpiritus aliter atque aliter figurantur, vel moventur. Sic bilioſi, de rixis, pugnis, incendiis; phlegmatici, de eluvionibus aquarum, navigationibus, ſubmerſione &c. ſomniant. 3. Etiam *Conſuetudinis* hic magna vis eſt, quæ, cum altera quaſi fit natura, nec in ſomno expelli poteſt, ſed ſui veſtigia relinquit. Unde Claudianus:

Venator defeſſa thoro cum membra reponit,
Mens tamen ad ſylvas, & ſua caſtra redit.
Judicibus lites, aurigæ ſomnia currus.

Quid eſt Vigilia?

Vigilia, eſt operatio ſenſus communis, & ſenſuum externorum, facultatisque locomotivæ, a ſpirituum animalium in organis præſentia excitata. Hinc, quæ ſpiritus animales augent, & fortius excitant, vigiliam inducunt.

Quid est Facultas Appetens?

Facultas Appetens est, secundum quam animal ad bonum sensu perceptum inclinat. Sive, est facultas, qua animal in ea, quæ nutritioni & speciei propagationi inserviunt, naturali quodam instinctu fertur. Dicitur alias Appetitus Sensitivus.

Quotuplex est Appetitus Sensitivus?

Appetitus Sensitivus triplex est: *Appetitus Cibi, sive Fames; Appetitus Potus, sive Sitis; & Appetitus Veneris.*

Quid est Fames?

Fames, est appetitio cibi seu alimenti solidioris, orta ex suctione sensu percepta in ore ventriculi, pro restauratione partium, quæ in animali fuerunt absumtæ. Scilicet, cum animalis stomachus vacuus est, ab humore quodam acri, ex arteriis in illum defluente, & cibis diluendis, macerandis & fermentandis destinato, vellicatur, sicque nervi inde ad cerebrum protensi, concutiuntur, ad cibi necessitatem animali significandam.

Quid est Sitis?

Sitis, est appetitus, quo animal ad potum, naturæ suæ convenientem, fertur. Oritur Sitis in animali, quando in faucibus, palato, vel lingua ipsius, ab ardore ventriculi, & vapore quodam calidiore, ex inferioribus corporis partibus exsudante, a cibis item salsis & amaris, similibusque causis, excitatur quædam ariditas, a qua nervuli aliquo modo corrugantur, ad potus necessitatem animali ostendendam.

Quid est Appetitus Veneris?

Appetitus Veneris est, quo animal in conjunctionem cum simili, ad speciei propagationem, vehementi quodam impetu fertur. Existit autem impetus hic animalium inde, quod, justa illorum ætate, semen in vasis generationi & receptioni illius dicatis auctum, accedente quodam ex spirituum affluxu calore, libidinem proritat; quæ in masculis, ex fœminæ, & contra in fœminis, ex masculorum præsentia, multum agitatis spiritibus animalibus, animalia in mutuam conjunctionem furore quodam impellit.

Quid est Facultas Locomativa?

Facultas Locomativa est, secundum quam animal fertur de loco in locum, ad objectum vel prosequendum, vel fugiendum.

Quotuplicia sunt Bruta?

Bruta sunt duplicia: Imperfecta, vel Perfecta.

Quid sunt Bruta Imperfecta?

Bruta Imperfecta, sunt animalia ex putredine orta, sanguine carentia, & incisuris distinctum corpus habentia.

Quid sunt Bruta Perfecta?

Bruta Perfecta sunt, quæ corpus habent integrum, & cæsura carent, quæque sanguine, quem intra se gignunt, sunt prædita.

Quotuplicia sunt Bruta Perfecta?

Bruta Perfecta sunt vel *Amphibia*, quæ in utroque elemento, aqua & aëre, vivunt: ut Rana, Natrix. Vel *Heterobia*, quæ in uno tantum elemento vivunt: ut Pisces in aqua, Aves in aëre.

Quid

Quid est Humor?

Humor, est pars corporis liquida & fluida, in vasis certis contenta, & ad conservationem corporis faciens.

Quotuplex est Humor?

Humor est duplex: *Insitus*, vel *Acquisitus*.

Quid est Humor Insitus?

Humor insitus est, qui corpori ab ipsa formatione inest, & nativi caloris pabulum est atque vehiculum. Dicitur alias *Humidum Radicale*.

Quid est Humor Acquisitus?

Humor Acquisitus est, qui, insiti reparandi causâ, ab utiliore alimentorum parte proficiscitur, ut *Sanguis & Pituita*, qui utiles sunt humores, & maxime ad nutritionem faciunt: nam inutiles sunt, *Cholera & Melancholia*, item *Sudor*, *Lacryma*.

Quid est Sanguis?

Sanguis, est humor calidus, temperatus, dulcis, rubicundus, ex partibus chyli temperatioribus, pinguioribus, & aëreis confectus.

Quid est Pituita?

Pituita est humor frigidus, liquidus, albus, & insipidus, ex frigidiore chyli portione in epate genitus, ut, per ulteriorem præparationem, in sanguinem redigatur.

Quid est Bilis Flava?

Bilis flava, est humor calidus, crassus & amarus, e calidioribus chyli partibus procreatus, & in vesica fellea collectus.

Quid est Bilis Atra?

Bilis Atra, est humor frigidus & siccus, crassus, nigricans, acerbus & acidus, e frigidioribus chyli partibus procreatus, & in splenem collectus.

Quid est Spiritus?

Spiritus, est substantia pertenuis, aërea ac vaporosa, primum animæ instrumentum ad functiones obeundas.

Quotuplex est Spiritus?

Spiritus est duplex: *Insitus*, & *Influens*.

Quid est Spiritus Insitus?

Spiritus Insitus est, qui singulis membris solidis innascitur, & ex semine genitali procreatur, prima caloris nativi sedes.

Quid est Spiritus Influens?

Spiritus Influens est, qui in insiti, ne exsolvatur & evanescat, subsidium emanat.

Quotuplex est Spiritus Influens?

Spiritus Influens est triplex: *Naturalis*, *Vitalis*, & *Animalis*.

Quid est Spiritus Naturalis?

Spiritus Naturalis est, qui in epate generatur ex puriore sangnine, ad naturales operationes perficiendas.

Quid est Spiritus Vitalis?

Spiritus vitalis est, qui in corde gignitur ex naturali spiritu, & per arterias diffunditur in totum corpus.

Quid est Spiritus Animalis?

Spiritus Animalis est, qui in cerebro ex vitali spiritu gignitur, ad operationes sensuum perficiendas.

Quid est Avis?

Avis, est brutum volans, sanguineum, rostratum & pennatum: ut Aquila, Pavo.

Quid est Piscis?

Piscis, est brutum natans, branchiis, pinnis, spinis ac vesica constans. Suntque alii squamosi, alii plani.

Quid est Quadrupes?

Quadrupes, est brutum gressile, caput, collum, dorsum, ventrem, pedesque quatuor habens.

CAPUT XVI.

De Homine.

Quid est Homo?

HOmo, est animal rationale. Sive, ut Recentiores definiunt, Homo, est substantia, ex mente finita, & corpore organico composita.

Quomodo dividitur Homo?

Homo dividitur in Animam Rationalem, & Corpus humanum.

Quid est Anima Rationalis?

Anima Rationalis, est forma hominis, qua est, intelligit, & vult, quæque corpori organico mutuo quasi fœdere jungitur.

Quænam sunt Facultates Animæ Rationalis?

Facultates Animæ Rationalis sunt vel Primariæ, vel Secundariæ. Primariæ sunt, Intellectus & Voluntas: Secundariæ sunt, Imaginatio, Risus, & Sermo.

Quid est Intellectus?

Intellectus, est facultas animæ rationalis, ad verum cognoscendum ordinata.

Quid est Voluntas?

Voluntas, est facultas animæ rationalis, ad bonum appetendum, & malum fugiendum ordinata.

Quid est Imaginatio?

Imaginatio, est facultas animæ rationalis, qua vel percipiuntur objecta a sensibus externis percepta, vel intellectui repræsentantur.

Quid est Risus?

Risus, est facultas animæ rationalis, ad lætitiam repræsentandam ordinata.

Quid est Sermo?

Sermo, est facultas animæ rationalis, ad res mente conceptas enunciatione manifestandas ordinata.

Quid sunt Affectus Animi?

Affectus Animi, sunt motus appetitus sensitivi: vel, uti Recentiores exponunt, sunt Animi commotiones, quæ per spirituum animalium motum, cordis alterationem subsequentem, in animo ita producuntur, conservantur & corroborantur, ut non corpori, vel objectis excitantibus, sed menti passio adscribatur. Nempe, commovetur animus a peculiari motu spirituum, qui cordis alterationem sequitur, & per nervulos, a præcordiis in cerebrum ascendentibus, in animi sedem diffunditur, eumque valide concutit: tum igitur oritur quædam perturbatio, sive præceps quædam judicii & voluntatis inclinatio, aut aver-

aversio. Tales Affectus sunt: Amor, Odium, Tristitia, Lætitia &c.

Quid est Corpus Humanum?

Corpus humanum, est subjectum animæ rationalis, artificiosissime & elegantissime ad varias operationes edendas constructum.

Quotuplices sunt partes Corporis Humani?

Partes corporis humani sunt vel *Similares*, vel *Dissimilares*.

Quid sunt Partes Simulares?

Partes Similares sunt, quæ undique in similes secundum sensum particulas, ejusdemque speciei, dividi possunt. Uti Ossa, Cartilagines, Fibræ, Venæ, Arteriæ, Nervi, Membranæ, Tendines, Caro, Ligamenta, Cutis, Pinguedo, Pili, Ungues.

Quomodo dividitur Corpus Humanum?

Corpus Humanum dividitur in Ventres, & Artus.

Quid est Venter?

Venter est insignis corporis cavitas, in qua viscus aliquod primarium reconditum est.

Quot sunt Ventres?

Ventres sunt tres: Supremus, Medius, & Infimus.

Quid est Venter Supremus?

Venter Supremus est, in quo Cerebrum, cum reliquis partibus animalibus, suum habet situm. Dicitur Caput.

Quid est Venter Medius?

Venter Medius est, in quo Cor, cum reliquis partibus vitalibus, suum habet situm. Dicitur Thorax.

Quid

Quid est Venter Infimus?

Venter Infimus est, in quo Hepar, cum reliquis partibus naturalibus, suum habet situm. Dicitur in specie Venter, aut Abdomen.

Quid sunt Artus?

Artus, sunt partes extremæ, trunco, ramorum instar, adnatæ; & sunt Manus & Pedes.

Quid sunt Partes Corporis Dissimilares?

Partes Corporis Dissimilares sunt, quæ, ex dissimilibus compositæ, diversæ sunt substantiæ & nominis: ut Manus, Pes, Caput.

Quid sunt OSSA?

Ossa, sunt partes corporis durissimæ, siccissimæ, frigidissimæ, a seminis crassamento per exustionem genitæ, ad totius stabilimentum & fulcrum. Sed & processioni inserviunt ossa, quod liquet in cruribus. Hinc Serpentes, Vermes, & alia reptilia, quæ cruribus carent, serpere coguntur.

Quot sunt Ossa?

Numerus Ossium apud Anatomicos est incertus, Galenus 242. Vesalius. 307. numerant. Schola Salernitana sic censet:

Ossibus ex denis bis centenisq; novenis,
Constat homo; denis bis dentibus & duodenis;
Et ter centenis decies sex quinqueque venis.

Quæ sunt Partes Ossium?

Partes Ossium sunt vel Solidæ, vel Cavæ. Cavitates iterum vel sunt intus, ubi Medulla; cujusmodi tamen cavitates non sunt ubique conspicuæ: vel extra;

extra; quæ, si sint profundæ, Acetabula, Græcis κοτύλαι dicuntur.

Quomodo dividitur Compages Ossium in Corpore humano?

Compages Ossium in Corpore humano dividitur in Caput, Truncum, & Artus.

Quid est Caput?

Caput, est pars supra collum posita, cerebri domicilium: & dividitur in Cranium, & Faciem.

Quid est Cranium?

Cranium, est os capitis rotundum, & crassum, ossibus & suturis distinctum, ac membrana circumdatum, cerebri imprimis muniendi & custodiendi causâ paratum, pilosæ capitis parti proxime adhærens.

Quæ sunt Ossa Cranii?

Ossa Cranii sunt vel Communia, vel Propria. *Communia* Ossa Cranii sunt, quæ cum superiori maxilla participant. Nempe *Cuneiforme*, ita dictum quia cæteris ossibus cranii & maxillæ superioris, cunei instar, se insinuat; *& Spongiosum* seu *Cribriforme.* Propria Ossa Cranii sunt, unum *Frontis*, quod sicut in adultis tam viris quam fœminis est unicum, ita in recens natis geminum datur, & habet figuram imperfecte circularem. Sequuntur duo ossa *Sincipitis*, quæ in puerulis primum videntur membranacea, post cartilaginea, denique ossea evadunt. Proximum est os unum *Occipitis*, quod in infantibus est multiplex, & nunc tribus, nunc quatuor, nunc quinque constat ossibus. Denique se offerunt Ossa

duo

duo *Temporum* duriſſima, quorum vulnera, ob muſculos temporales, cenſentur lethalia.

Quænam ſunt Suturæ Cranii?

Suturæ Cranii ſunt, quæ, inſtar ſerræ dentatæ coëundo, oſſa cranii invicem connectunt. Suntque tres præcipuæ: Una anterior, in ſincipite, quæ dicitur *Coronalis;* vel, quod antiqui ea parte capitis coronas geſtabant; vel quia coronam ſeu circulum aliquo modo repræſentat. Huic opponitur altera in occipite, a figura Græcæ literæ Λ, *Lambdoidea* dicta, quæ, a baſi occipitis, ad utramque aurem oblique aſcendit, & in angulum coit. Tertia eſt *Sagittalis*, quia per lineam rectam, inſtar ſagittæ, per longituditudinem capitis, inter Coronalem & Lambdoideam, extenditur.

Quid comprehendit altera Capitis pars, nimirum Facies?

Facies comprehendit duas Maxillas, Superiorem, & Inferiorem. *Superior*, eſt faciei pars oſſea, comprehendens inferiorem partem orbitæ oculorum, & nares, malas, palatum, ac dentium ſuperiorem ordinem. *Maxilla Inferior* in adultis unicum eſt os; in puerulis, usque ad annum ſeptimum, conſtat oſſibus duobus. Figura ſua refert Arcum, habetque ſubſtantiam valde duram, ut ad mordendum & manducandum ſit aptior, intus vero cavitatem, qua medulla continetur, tum ad ſui, tum ad dentium nutritionem. In margine utriusque maxillæ occurunt cavitates, ſive alveoli, quibus Dentes infixi.

Quid ſunt Dentes?

Dentes, ſunt partes omnium duriſſimæ, intus cavæ, venulis, arteriis & nervis præditæ, molliendis, & præ-

& præparandis ventriculo cibis, vocique formandæ, destinatæ. Duritie vix cedunt lapidibus, nec facile cremari possunt: unde Tertullianus in illis semina futuræ resurrectionis latere credidit. Communiter vero est unus ordo dentium in quavis maxilla: & in universum 32. interdum 30. vel 28. numerantur.

Quomodo dividuntur Dentes?

Dentes dividuntur in Incisores, Caninos, & Molares. *Incisores*, in anteriore utriusque maxillæ parte, cibum ori ingestum incidunt, inque partes minutiores dividunt, suntque VIII. *Canini*, extremis incisoribus, tanquam socii, appositi, cibum magis conterunt, suntque IV. nimirum in quavis maxilla duo. *Molares*, postremum obtinent locum, &, molæ instar, in minimas particulas cibum dividunt; suntque XX. decem scilicet in quavis maxilla.

Ex quibus componitur Truncus Ossium Compagis?

Truncus Ossium Compagis componitur ex Spina & Thorace: quibus aliqui addunt Os Innominatum.

Quid est Spina?

Spina, sic dicta, quia piscis VII. refert, est totum id, quod a prima cervicis vertebra, usque ad os coccygis se porrigit; & dividitur in Cervicem, Dorsum, Lumbos, & Os sacrum.

Quid constituit Cervicem?

Cervicem constituunt septem vertebræ superiores. Sunt autem omnes vertebræ excavatæ, pro spinali medulla continenda: pluresque factæ sunt, tum ob motum, qui antrorsum & retrorsum fieri debuit, tum,

tum, ne unius læsio, totam ſpinam traheret in conſenſum.

Quid conſtituit Dorſum?

Dorſum conſtituunt vertebræ XII. quæ omnino inter ſe ſunt ſimiles, excepta duodecima vel undecima, quæ differentem habet articulationem ab aliis: unde totius ſpinæ motus, flexio nimirum, extenſio, obliquatio, ſuper ea vertebra perficitur.

Quid conſtituit Lumbos?

Lumbos conſtituunt vertebræ V. maximæ & craſſiſſimæ, foraminibus crebris perviæ, quarum motus laxior quam dorſi, ut facilius ad terram poſſimus inclinare.

Quid eſt Os ſacrum?

Os ſacrum eſt, quod lumbis ſubjicitur, & dicitur *ſacrum*, quia eſt omnium in ſpina maximum; Antiquis enim, magnum, vocabatur ſacrum. Latum eſt hoc Os, immobile, dorſique baſin conſtituit; figura ei fere triangularis. Extremo oſſis ſacri aliud os cartilaginoſum adhæret, quod vocatur *Coccyx*; oſſibus tribus, vel interdum quatuor conſtat.

Quid eſt Thorax?

Thorax, eſt ambitus oſſeus, partium vitalium receptaculum: atque conſtat Sterno, Coſtis, Scapulis, & Claviculis.

Quid eſt Sternum?

Sternum, eſt os pectoris, anticam ejus partem conſtituens, in qua coſtæ conveniunt. Dicitur Sternum, quia coſtis incumbit & inſternitur; habetque formam Pugionis. Subſtantia ejus eſt partim oſſea, partim cartilaginea: eſtque in infantibus

bus fere totum cartilagineum. Usus ejus, tum ut ab externis injuriis, instar clypei, cor defendat; tum ut inter se costas connectat.

Quid sunt Costæ?

Costæ, sunt laterales pectoris partes, osseæ, ex seminali superfluitate, e spina dorsali prognatæ, in octava spinæ dorsi vertebra initium sumentes; suntque utrinque XII. quarum VII. superiores *Veræ* dicuntur, quia cum Sterno committuntur: reliquæ quinque inferiores, *Adulterinæ* sunt, quia non pertingunt ad os pectoris, sed inchoatæ & quasi mutilæ, in cartilaginem desinunt, ut viscerum, præcipue Hepatis & Lienis, tumoribus facile cedant & obsequantur. Usus Costarum, imprimis Verarum, est, ut faciant ad pectoris, & viscerum ibi contentorum defensionem.

Quid sunt Scapulæ?

Scapulæ, sunt duo ossa, in dorso sita, Claviculis, & Brachio inarticulata, ad costarum robur, & musculorum implantationem.

Quid sunt Claviculæ?

Claviculæ, sunt gemina ossa, collo proxime subjecta, quæ humerum efformant. Dicuntur Claviculæ, quod thoracem claudant. Situs earum est transversim sub imo collo. Figura repræsentat duos semicirculos ex adverso junctos: inque viris magis incurvantur, ut minus impediatur brachii motus; in mulieribus minus: conferuntque ad varios brachii motus.

Quid est Os Innominatum?

Os Innominatum, sic dictum, quia tempore Galeni nomine carebat, constat tribus ossibus, Ilio, Osse Pubis, & Ischio.

Quid est Os Ilium?

Os Ilium, sic dictum, quod Ilium Intestinum contineat, est prima pars Ossis Innominati, quæ superior & latissima, per ligamentum commune membranaceum, Ossi Sacro connectitur. Hoc os in muliere est amplius, & spina ejus magis in latera educitur: ut gravidæ uterus melius ei innitatur.

Quid est Os Pubis?

Os Pubis vel pectinis, est secunda pars Ossis Innominati, media & interior, quod os, cum alterius lateris osse, nectitur per mediam cartilaginem.

Quid est Os Ischion?

Os Ischion vel Coxendicis, est tertia Ossis Sacri pars, quæ inferior & exterior, in qua est ampla & profunda cavitas, pro femoris capite insigni excipiendo; quo si excidat, sive ab humore interno sive externo, luxatio oritur.

Quomodo dividuntur Artus?

Artus dividuntur in Manus & Pedes.

Quæ sunt Ossa Manus?

Ossa Manus dividuntur in Brachium, Cubitum, & Extremam Manum.

Quale est Os Brachii?

Os Brachii, est unicum, magnum, validum, & inæquale, quod parte superiore habet caput magnum, cum Scapula articulatum; parte autem inferiore articulatur cum Cubito & Radio.

Quid est Cubitus?

Cubitus constat duobus ossibus, quorum alterum est inferius & longius, quod *Ulnam* & *Cubitum* vocant,

cant, alterum eſt Superius, quod *Radium* appellant. Atque Ulna parte ſuperiore cum Oſſe brachii articulatur; parte inferiore cum Carpo: eademque Radii ratio.

Quæ eſt Extrema Manus?

Extrema Manus dividitur in Carpum, Metacarpium, & Phalangem Digitorum. *Carpus* proxime attingit Radium, & VIII. conſtat oſſibus, quæ, vel nullo modo inter ſe moventur, vel languide. *Metacarpium* conſtat oſſibus V, quæ cum Carpo cohærent, ſuntque intus cava, foris gibboſa, medullam continentia. *Digitorum* oſſa ſunt XV. connumerato primo oſſe pollicis: ut in quovis digito ſint tria; ea foris ſunt gibboſa, intus vero cava & plana ad apprehenſionem; differuntque quoad magnitudinem: primum enim, Metacarpio proximum, eſt majus ſecundo; ſecundum majus eſt tertio.

Quæ ſunt Oſſa Pedis?

Oſſa Pedis dividuntur in Femur, Tibiam, & Extremum Pedem.

Quid eſt Femur?

Femur, eſt os corporis maximum & longiſſimum, ejusque ſuperior pars in coxendicis acetabulum inſeritur, inferior cum tibia articulatur. Atque huic articulationi femoris & tibæ imponitur *Mola*, os rotundum & latum, quod alii *Patellam* vocant: id *Genu* conſtituit, & articulum firmat, ne femur ad anteriora labatur & luxetur, atque ita homo cadat, præſertim per declivia ambulans, aut genu multum flectens.

Quid eſt Tibia?

Tibia, eſt pars, quæ inter Genu & Talum intercedit, conſtatque oſſibus duobus, ſicut & Cubitus.

Primum os majus appellatur nomine totius, *Tibia* nimirum, vel *Canna major*; alterum minus, tibiæ extrinſecus accedens, dicitur *Sura*, aut *Canna minor*.

Quæ ſunt Oſſa Pedis Extremi?

Oſſa Pedis Extremi dividuntur in partes tres, Tarſum ſcilicet, Metatarſum, & Digitos. *Tarſi* oſſa ſunt VII. Primum dicitur *Talus*, ſeu *Os Baliſtæ*, quod oſſibus Tibiæ ſubjicitur, tanquam baſis. Alterum craſſiſſimum, faciens ad pedis firmationem, dicitur *Calx*, ſive *Calcaneum*. Tertium, eſt *Os Naviculare*, a cymbæ ſimilitudine: id connectitur cum talo; *reliqua tria* articulantur naviculari. *Oſſa Metatarſi* vel *Plantæ* numerantur V. quæ cum oſſibus Tarſi habent connexionem. *Digitorum* oſſa ſunt XIV. Pollex enim tantum ex duobus oſſibus conſtat: Cætera oſſa ſe habent ut in manu. In Manuum & Pedum internodiis reperiuntur oſſicula quædam valde exigua, *Seſamoidea* dicta, quia ſeſami ſemini forma & parvitate æquiparantur. Numerus eſt incertus: XII. vulgo in ſingulis Manibus & Pedibus numerantur, uſusque eorum eſt firmare articulum, avertere luxationem, & replere intervalla vacua.

Quid eſt CARTILAGO?

Cartilago, eſt pars ſimilaris, quodammodo dura, flexilis tamen, ad cuſtodiendas partes motui deſtinatas. Habet magnam cum Oſſe convenientiam, ac in illis animalibus, quæ oſſibus carent, oſſium vicem gerit. Differt tamen ab Oſſibus, quod Cartilago eſt absque medulla, cavitatibus & cavernulis.

Quis eſt Uſus Cartilaginum?

Uſus Cartilaginum eſt 1. motum lævitate ſua reddere faciliorem: unde fit, ut mobiles omnes articuli, car-

cartilagine incrustentur. 2. Reddunt quoque motum diuturniorem; quia ossium extrema, cum sint durissima, mutuo contactu contererentur, & sic aliquando cessaret motus, nisi cartilagine molliore obducerentur. 3. Injurias & impetus, extrinsecus occursantes, molliter cedendo arcent.

Quomodo dividuntur Cartilagines?

Cartilagines dividuntur in Capitis, Trunci, & Artuum.

Quæ sunt Cartilagines Capitis?

Cartilagines Capitis sunt Oculorum, Nasi, Maxillæ inferioris, & Aurium. *Palpebras* oportuit esse cartilagineas, ob faciliorem motum oculorum. *Trochlea*, est cartilago exigua & teres, canalis modo excavata, in oculi angulo majore sita. *Cartilagines Nasi* sunt quinque, duæ superiores ossibus asperis nasi adnatæ, & tres inferiores, duæ scilicet laterales, inter respirandum mobiles, & septum aut diaphragma, quod est immobile. *Cartilago Maxillæ Inferioris* in medio mento, in infantibus, duo maxillæ ossa conjungit, in adultis vero in osseam tandem substantiam degenerat. *Aurium Cartilago*, est corpus continuum, orbiculare, in principio exortus sui durius & crassius, in fine mollius & tenuius, variis circumvolutionibus, sinubus & gibbis constans. Oportuit Aures esse cartilagineas: si enim essent osseæ, levi de causa frangerentur, & dormienti essent impedimento.

Quæ sunt Cartilagines Trunci?

Cartilagines Trunci, sunt vel Spinæ, vel Thoracis, vel Ossis Innominati. Inter Spinæ Cartilagines eminet *Arteria Aspera*, quæ instar fistulæ aërem in pul-

mones deducit, & fumosos vapores e pulmonibus reducit, constructa e plurimis cartilaginibus, membranarum opera cohærentibus, annulique figuram referentibus, circulum tamen integrum non absolventibus: ubi enim dorsum spectant ac œsophagum tangunt, quarta quasi sui parte deficiunt. Caput Arteriæ Asperæ *Larynx* vocatur, ex quatuor constans cartilaginibus. Laryngis operculum *Epiglottis* dicitur, quæ est cartilago, ex ampliore basi desinens in mucronem.

Quid sunt FIBRÆ?

Fibræ, sunt partes similares, albæ, solidæ, siccæ, & oblongæ, exiguorum filamentorum instar, ad motum & carnis custodiam destinatæ. Dividuntur ratione situs, in Rectas, Transversas, & Obliquas. *Rectæ*, secundum longitudinem feruntur, & attractioni inserviunt. *Transversæ*, secundum latitudinem feruntur, & retentioni inserviunt. *Obliquæ*, medium situm obtinent, & retentioni inserviunt.

Quid est VENA?

Vena, est pars similaris, rotunda, fistulæ instar excavata, ab epate orta, una constans tunica, fibris triplicibus contexta; spiritum naturalem, & sanguinem, pro nutrimento, ad singulas partes devehens. Magnitudinis sunt diversæ, & habent intus valvulas, quæ robur venis conciliant, & impetum gravis ac fluidi sanguinis sistunt ac morantur.

Quæ sunt Venæ præcipuæ?

Venæ in toto corpore referuntur ad duas veluti matres, Portam nimirum, & Venam Cavam: quibus ab Asellio adduntur Venæ Lacteæ.

Quid est Vena Porta?

Vena Porta, est insignis quædam vena, ex cava hepatis parte prodiens, & per infimum ventrem propagines suas dispergens. Dividitur in Radices, Truncum, Ramos, & Surculos. *Radices*, sunt exiguæ quædam venulæ, in cava hepatis parte paulatim in majores ramos abeuntes, ex quibus tandem magnus Truncus oritur. *Truncus*, est magnum illud vas, ab hepate secedens, & oblique versus lævam tendens.

Quid est Vena Cava?

Vena Cava, est vena maxima & amplissima, ex gibba seu convexa hepatis parte prodiens, & per universum corpus propagines suas dispergens. Dividitur, instar Venæ Portæ, in Radices, Truncum, Ramos, & Surculos. Ac Axillaris quidem in initio brachii sejungit sese in duos ramos insignes, quorum superior & minor *Cephalica* dicitur, quia in capitis affectibus secatur, isque inter digitum annularem & minimum *Salvatellam* gignit. Alter inferior & minor, *Basilica* item Epatica, quia in jecoris affectibus secari solet, vocatur: atque hic iterum in duos ramos dispescitur, Profundum scilicet, & Subcutaneum.

Quid sunt Venæ Lacteæ?

Venæ Lacteæ, a lacte, cujus similitudinem candore referunt, sic dictæ, & quas Caspar Asellius, Anatomicus Ticinensis, A. 1622. primus detexit, per mesenterium, ab intestinis, obliquo ductu, inter duas ejus tunicas, in pancreas perferuntur: inde, per latera Portæ, in hepar illatæ, in fibras minutissimas scissæ, disseminantur, donec evanescunt. Vehunt autem illæ

 chy-

chylum, & diſtribuunt, eumque reddunt aptiorem ad ſanguinis formam induendam.

Quid ſunt ARTERIÆ?

Arteriæ, ſunt vaſa concava, oblonga, duplici craſſiſſima tunica conſtantia, deducendo vitali ſpiritui, nec non temperando & expurgando cordis ac ſingularum partium calori, dicata.

Quomodo diſtinguitur Arteria a Vena?

Vena ab Arteria tribus potiſſimum modis diſtinguitur: Structura nempe, Motu, & Uſu. Structura quidem, quia Vena tunicam habet tenuem; Arteria craſſiſſimam. Motu vero, quia Arteria perenni & conſpicuo diaſtoles & ſyſtoles motu agitatur; Vena autem immobils eſt. Uſu denique, quia Arteria vitalem defert ſpiritum cum tenuiſſimo ſanguine; Vena craſſiorem ſanguinem & ſpiritum. Venis inſita eſt facultas alterandi & coquendi ſangvinem; Arteriis nulla. Arteria ſanguinem exportat a corde ad partes; Vena reportat.

Quomodo dividuntur Arteriæ?

Arteriæ præcipue binæ ſunt, Aorta ſive Magna, & Pulmonalis. *Aorta*, ſive *Arteria Magna*, ſanguinem ſpiritu vitali turgidum, e cordis ſiniſtro ventriculo coarctato, cum impulſu excipit, eundemque per totum corpus, mediantibus ramis ac propaginibus, defert. Dividitur in duos truncos inſignes, Aſcendentem, & Deſcendentem. *Pulmonalis*, ſanguinem e cordis dextro ventriculo coarctato excipit, & per amplum pulmonum parenchyma diſtribuit, unde & in dextrum ſiniſtrumque ramum, ad dextram ſiniſtramque pulmonis partem excurrentes, diſpeſcitur.

Quid

Quid sunt NERVI.

Nervi, sunt partes corporis similares, spermaticæ, a cerebro aut spinali medul'a exortæ, interiori parte medulllares, exteriori membranaceæ, spiritum animalem deferentes ad sensum & motum. Usus iste nervorum præcipue ex læsione eorundem patescit: quod si enim obstruantur, vel totaliter sensus motusque pereunt, uti in apoplexia; vel ex parte sensus ac motus fit privatio. Si dissecentur, perit similiter motus ejus partis, in quem inserebantur. Numerantur vulgo XXXVII. paria, quorum VII. a Cerebro, XXX. a Spina ortum ducunt.

Quid est MEMBRANA?

Membrana, est pars similaris, ex semine genita, tenera, lata, plana, alba, singulas alias partes tegens, sensus gratia. Sicut autem triplex statuitur Corporis regio, Suprema, Media, & Infima; ita Supremam, cerebrum nempe, velant duæ meninges. Mediam regionem omni ex parte cingit aliqua membrana, quæ subtensa est costis. In imo denique ventre, Peritonæum, instar sacci, partes omnes in eo contentas, complectitur. Habent præterea singulæ corporis partes peculiares suas membranas, ut Lingua, Lien &c.

Quid est TENDO?

Tendo, est extrema pars illorum musculorum, qui validum & vehementem aut continuum edunt motum, eo faciens, ut ad arbitrium nostrum partes moveri possint.

Quid est CARO?

Caro, est pars similaris, mollis, rubicunda, ex sanguinis coagulo concreta. Dividitur in Musculosam, Viscerosam, Membranosam, & Glandulosam.

Tuetur Caro corpus contra frigus, aliaque foris incommodum allatura.

Quid est LIGAMENTUM?

Ligamentum, est pars corporis similaris, genita ex semine, aliquatenus dura, ossa instar funiculi inter se connectens, & reliquas partes ossibus, ne fiat luxatio.

Quid est CUTIS?

Cutis, est pars similaris, frigore, ex lento quodam humore, concreta, carni tegendæ, & tactui inserviens. Perforata est cutis variis locis, & quidem foramina ejus quædam sunt conspicua, ut Os, Aures, Nares: alia inconspicua & insensibilia, ut pori: qui tamem hiberno tempore Conspiciuntur, cum corpus derepente denudatur. Ratione Connexionis, quædam cutis a partibus subjectis facile separatur, ut in Ventre, Brachiis; ab aliis difficulter, ob membranam carnosam, cui nectitur, ut in Plantis pedum, Volis manuum, Fronte, & Facie.

Quid est Cuticula?

Cuticula, est summa seu ultima cutis, seu pellicula tenuis, ex oleosa, crassa, viscida materia genita, ad cutim tegendam. Perspicua est, ac fit callosa ob labores in manibus & pedibus.

Quid est PINGUEDO?

Pinguedo, est corpus similare, expers vitæ, ex sanguine unctuoso membranarum frigiditate concrescens, ad totius tutamen. Fovet enim pinguedo calorem nativum, juvat concoctionem ventriculi, motum reddit faciliorem, in inedia vertitur in alimentum, denique spatia vacua implet inter musculos, vasa, & cutim, adeoque corpus reddit æquale, album, mol-

molle, pulchrum, formosum. Hinc tabidi & vetulæ deformes sunt.

Quid sunt PILI?

Pili, sunt corpora similaria, ex fuliginosis & excrementitiis vaporibus, crassis, terreis, & nonnihil glutinosis enata, & calore moderato foras protrusa. Possunt pili per totam cutim, quia porosa est, generari, & habet quilibet porus infixam radicem pilosam, si excipiatur vola manus, & planta pedis, quæ partes, ob motum & perpetuam attritionem, pilis carent. Ex cicatrice etiam nulli exsurgunt pili, cum poris destituatur. Suntque Pili vel Congeniti, vel Postgeniti. *Congeniti* sunt, qui in utero nobiscum nascuntur, ut pili Capitis, Superciliorum, & Palpebrarum. *Postgeniti* nascuntur in homine extra uterum, ut sub Alis, in Barba. Porro, in calidis & siccis hominibus pili nascuntur crispi, & nigri, in iis vero qui humore abundant, albi, & recti. *Calvitiei* causa est cutis siccitas: *Canitiem* vero efficit nativi caloris inopia. *Usus* pilorum est, ut sint partium tegumentum, caput & faciem exornent, & corpus a superfluis fuliginibus expurgent.

Quid sunt UNGUES?

Ungues, sunt corpora similaria, ex crassioribus excrementis, quæ ab ossibus & cartilaginibus proveniunt, enata; ut digitos tueantur, apprehensionem faciliorem reddant, & ad fricandum ac scalpendum conferant.

Quid sunt Partes Corporis Dissimilares?

Partes Corporis Dissimilares sunt, quæ ex aliis constant partibus diversarum naturarum, & dividuntur in Ventres & Artus.

Quid

Quid significat hoc loco Venter?

Venter, est pars corporis humani dissimilaris, maxima, insignem habens cavitatem, & nobile aliquod Viscus continens: & dividitur in Supremum, Medium, & Infimum.

Quis est VENTER SVPREMVS?

Venter Supremus, est ipsum Caput, in quo Cerebrum, cum reliquis partibus animalibus, situm suum habet, ac dividitur in Partes Externas, & Internas.

Quænam sunt Partes Capitis Externæ?

Partes Capitis Externæ sunt Calvaria, Facies, & Aures.

Quæ est Calvaria?

Calvaria dividitur in partes, anticam, posticam, laterales, & centrum: Antica vocatur Sinciput; Postica, Occiput; Laterales, Tempora; Centrum, Vertex: quæ omnes partes pilis teguntur, qui dicuntur *Capilli*, quasi Capitis pili.

Quæ est Facies?

Facies incipit in sincipite, ubi capilli desinunt, &, ad mentum porrecta, complectitur Frontem, Nasum, Oculos, Genas, Labia, Os, & Mentum.

Quid est Frons?

Frons, est superior faciei pars, supra sincipite, inferius superciliis, ad lateta vero temporibus terminata. Habet musculos, quibus cutis movetur, & supercilia elevantur.

Quid est Nasus?

Nasus est sub glabella: (Glabella autem est illud interstitium inter duo supercilia, quod pilis caret) & dua-

& duabus constat partibus, superiori, quæ est ossea & immobilis, & inferiori quæ cartilaginea est & mobilis. Pars superior, dicitur Dorsum nasi; pars ejus acuminata, Spina; inferior dicitur nasi globulus, seu orbiculus. Vsus Nasi est, 1. ut per eum intret aër usque ad cerebrum pro spiritibus animalibus. 2. Ut per eum intret aër in pulmones, pro cordis refrigerio. 3. Ut per eum odores deferantur ad processus mamillares. 4. Ut per eum effluant ejectamenta cerebri. 5. Ut aliquid quoque ad vocem conferat.

Quid sunt Oculi?

Oculi, sunt partes faciei, sub frontem & supercilia positæ, potentiæ visivæ organa. Quisque duplex habet tegumentum, superius puta & inferius, quæ Palpebræ vocantur, & quorum extremitates pilis cinguntur, quos *Cilia* appellant.

Qualis est Oculi structura?

Oculi structura, ex variis tunicis humoribusque, prorsus est mirabilis. Atque *Tunicæ* quidem vulgo numerantur sex. 1. *Adnata*, quæ cæteras comprehendit. 2. *Cornea*, sic dicta, quia parte anteriori, cornu rasi ac politi instar, pellucet. 3. *Uvea*, quia uvæ cæruleæ acinum refert, cui avulsus sit petiolus. 4. *Aranea*, quæ tenuitate sua telis aranearum haud absimilis. 5. *Vitrea*, quæ humorem vitreum continet, eumque ab aqueo discernit, ne confundantur. 6. *Retiformis*, sic dicta, non quasi retis instar cancellata sit, sed quod referat rete contractum. *Humores* tres sunt, Aqueus, Crystallinus, & Vitreus. *Aqueus*, est extimus humorum, per eumque species sensibiles ad crystallinum deferuntur. *Cry-*

stall-

stallinus, sic vocatus, quia crystallum seu glaciem refert, est pellucidus. Denique *Vitreus*, a similitudine vitri nomen habet, estque a tergo crystallini. Præter humores & tunicas, inserviunt quoque oculo *Nervi Visorii*, vel *Optici*, qui spiritus visivos ad oculum deferunt.

Symbolum Tunicarum, & Humorum :
ACVs AVRea, *est* ACVs.

Quomodo Visio peragitur ?

Visio sic peragitur : A luce vel objecto illuminato, per medium, transfertur species seu imago ad oculum, tunicæque reticulari imprimitur, ibique objectum tanquam in speculo repræsentat, ut a visu cognoscatur.

Quid sunt Genæ ?

Genæ, sunt pars faciei, quæ inter nasum, aures, & os velut circumscriptæ continentur.

Quid sunt Labia ?

Labia, quæ bina sunt, Superius, & Inferius, sunt oris & dentium opercula.

Quid est Os ?

Os, est pars faciei, quæ, diductis labris, ad imas usque fauces interjacet.

Quid est Mentum ?

Mentum, est ima pars maxillæ inferioris.

Quid sunt Aures ?

Aures, sunt partes capitis, ubi frons ad tempora porrigitur, sitæ, membrana admodum sensili constantes, auditus instrumentum, & cerebri tutela, ne lædatur ab aëre subito irruente. Datæ sunt homini aures non carneæ, mollitie enim sua facile conciderent; nec osseæ, facile enim frangerentur, & in sono impedi-

pedi-

pedimento forent; ſed cartilagineæ & exſangues, ut eandem ſemper retineant fornicis figuram, ad ſonum commode excipiendum.

Quomodo Auditio in homine peragitur?

Auditio in homine ſic peragitur: In aure interiori, quæ eſt verum organum auditus, occurrit 1. *Meatus anguſtus & rotundus*; ideo anguſtus, ne aër exterior, ſubito & confertim irruens, membranam, hunc meatum terminantem, lædat. Præſtat inſuper id quoque, ne ingreſſus pateat inſectis noxiis, vel pulveri; ſi vero quid inciderit, decidet facile, quia hic meatus eſt obliquus, & ſurſum ducit. 2. Occurrit *Membrana* exigua, inſtar pellis in tympano tenta, unde vulgo *Tympani* nomine venire ſolet; atque tenuis eſt hæc membrana, ut externum ſonum facilius recipiat: ſed tamen denſa quoque eſt, ne tam facile frangatur, ſi ſonus ſit vehementior. Eſt præterea etiam ſicca, ut interius ſonum reddat majorem. In quibus nimis eſt craſſa, ſunt ſurdi: quibus vero humor viſcidus ad hanc pelliculam adfluxit, ægre audiunt. Membranam hanc 3. ſequitur alter meatus, ob figuram *Cochlea* dictus: ibi aër eſt, qui vulgo internus & innatus dici ſolet. Aër ergo iſte, ab interno percuſſus, efformat ſoni imaginem, ut ſonus percipiatur; quod fit tum tribus oſſiculis, quæ continet, *Malleolo* nimirum, *Incude*, & *Stapede*; tum *Chorda* tenui, tympano obtenta, cum muſculo perexiguo. Atque oſſicula illa eandem dicuntur habere magnitudinem per omnem vitam, ut infanti non minora ſint, quam ſeni. *Medium* igitur, per quod ſonus defertur, *eſt Aër exterior*, quandoque etiam *Aqua*; nam in aqua audiri, teſtes ſunt urinatores. Hinc Piſces etiam cum ſilentio capiuntur; conſue-

ſuetudine etiam quidam in vivariis ad cibum congregantur cum plauſu. Ac Plinius l. 10. H. N. c. 70. prodidit, in piſcinis Cæſaris genera piſcium ad nomen veniſſe, quoſdam ſingulos.

Quæ ſunt Partes Capitis Internæ?

Partes Capitis Internæ dividuntur in Continentes, & Contentas. Continentes, ſunt Pericranium, Cranium, & duæ Meninges.

Quid eſt Pericranium?

Pericranium, eſt membrana ſolida & alba, cranii os extrinſecus tegens.

Quid eſt Cranium?

Cranium, eſt os craſſum, variis foraminibus pervium, continens & defendens cerebrum.

Quid ſunt Meninges?

Meninges, ſunt ſolidæ membranæ, interpoſitæ inter cerebrum molle, & durum cranium: ſuntque duæ: una, cranio propior, quæ *Dura Mater*, altera cerebro proprior, quæ *Pia Mater*, vocantur. Matris nomen utrique tribuitur, vel quod matrum more cerebro ejusque incolumitati proſpiciant; vel, quia quondam creditum, has membranas reliquarum membranarum matres & principia eſſe.

Quæ ſunt Internæ capitis Partes Contentæ?

Internæ capitis partes Contentæ, ſunt Cerebrum, Gingivæ, Lingua, Palatum, Gurgulio, Fauces, Amygdalæ.

Quid eſt Cerebrum?

Cerebrum, eſt pars maxime frigida, mollis, alba, & medullaris, ex puriſſima ſeminis & ſpirituum portione fabricata, in cranii cavitate ſita, facultatis ani-

animalis principium. Superficies ejus externa est anfractuosa, & varios habet gyros, ut per illos vasa cerebri ducerentur tutius. Usus Cerebri est, producere, continere, & conservare spiritum animalem.

Quomodo dividitur Cerebrum?

Cerebrum dividitur in tres partes, Cerebrum proprie dictum; Cerebellum, & principium Spinalis medullæ. *Cerebrum*, est pars anterior, longe major cerebello. *Cerebellum*, est pars posterior, cerebro velut appendix adhærens, usus que ejus idem, qui ipsius cerebri. *Spinalis medulla*, per occipitii foramen, tanquam cerebrum oblongatum, egreditur, ac in totam vertebrarum seriem, usque ad locum coccygis progreditur, ut tamen, quo longius procedit, eo magis decrescat. Usus ejus est, ut ab illa omnes nervi procedant.

Quid sunt Gingivæ?

Gingivæ, sunt carnes duriores & immobiles, quæ cingunt & includunt Dentes.

Quid est Lingua?

Lingua, est pars carnea, rara, & laxa, spongiæ instar, in medio ore posita, gustus & sermocinationis organum. Est autem *Sermo* vox articulata, & syllabis distincta, conceptum mentis, & animi propositum significans.

Quid est Palatum?

Palatum est pars oris superior, modice concava, foraminibus pertusa, quibus e cerebro pituita in os descendit.

Quid est Gurgulio?

Gurgulio, alias Uvula, item Columella dictus, est caro fungosa, oblonga, a palato, juxta meatus

narium in os propendens, ac vocis articulatæ in homine modulationem conferens.

Quid sunt Fauces?

Fauces, sunt posterior & inferior oris pars, quæ non nisi ore aperto, & lingua depressa, conspicitur.

Quid sunt Amygdalæ?

Amygdalæ sive Tonsillæ, sunt carnes duæ, ab utraque faucium parte locatæ, glandulosæ, porosæ, & spongiosæ, figuræ etiam ratione glandibus rotundis, cum quadam longitudine, persimiles, a natura, pro excipiendis superfluis humoribus, proque principio fistulæ arterialis coarctando, constitutæ; faucesque, os, & linguam perpetua irrigant saliva.

Quis est VENTER MEDIUS?

Venter Medius, est totum id, quod circumscribitur parte superiore, a claviculis; inferiore, a diaphragmate; parte antica, a sterno; postica, ab ossibus dorsi; lateralibus, a costis. Dicitur alias *Thorax*, continetque partes vitales, Cor scilicet, & reliquas.

Quomodo dividitur Venter Medius seu Thorax?

Venter Medius seu Thorax dividitur in Partes Externas & Internas; atque Externæ, sunt Anterior, Posterior, & Laterales.

Quæ est Anterior Thoracis pars?

Anterior Thoracis pars incipit a collo, & desinit in mucronata cartilagine, nomine alio vocatur *Pectus*. Medium ejus *Strenum* dicitur, estque in aliquibus hirsutum. Ad latera Sterni enascuntur in fœminis Mammæ, in viris mamillæ.

Quid

Quid ſunt Mammæ?

Mammæ, ſunt partes glanduloſæ, carnoſæ, in pectore ad utrumque latus protuberantes, membrana, pinguedine, & papillis conſtantes: ad corporis ornatum, cordis tutelam, & infantis per lac, cujus receptaculum ſunt, nutritionem factæ. Duæ ſunt, ut, una læſa, altera faciat officium, atque pars earum in centro eminens dicitur *Papilla;* circuitus, *Areola* vocatur. Mammarum glandula major eſt ſub papilla, quam cæteræ minores circumſtant. Materia lactis eſt ſanguis; cui Recentiores quidam, quos inter Proſper Martianus & Petrus Caſtellus, addunt chylum, Bartholino tamen contradicente. Efficiens, eſt caro glanduloſa.

Quid ſunt Mamillæ?

Mamillæ, in viris muliebrium mammarum locum ſupplent; glandulas autem vix habent, ſed ex cute & papillis componuntur, nec etiam ita attolluntur, cum non ad lactis procreationem, ſed decorem, & cordis tuitionem ſint conceſſæ.

Quæ eſt Poſterior Thoracis pars?

Poſterior Thoracis pars extenditur a cervice usque ad finem coſtarum, & vocatur alias Dorſum, ſeu Tergum, habetque partes, Scapulas & Spinam. *Scapulæ*, ſunt ſuperiores eminentiæ, quæ in macilentis imprimis ſunt conſpicuæ. *Spina*, eſt acuta illa protuberantia, per longitudinem dorſi protenſa, Tergum in dextram & ſiniſtram partem dividens.

Quæ ſunt Laterales Thoracis partes?

Laterales Thoracis partes, ſunt inter anteriorem & poſteriorem, ac vocantur Latera. Latus, eſt vel dextrum, vel, ſiniſtrum, & utrumque coſtis ac carne intercoſtali conſtat.

Quæ ſunt Thoracis partes Internæ?

Thoracis partes Internæ, ſunt Cor, Pericardium, Pulmones, Diaphragma, Pleura, Mediaſtinum, & Muſculi.

Quid eſt Cor?

Cor, eſt pars principaliſſima, ex dura, denſa, & ſolida carne conſtans, figuræ pyramidali non abſimilis, vitæ fons, & vitalis facultatis domicilium, in quo ſpiritus vitales elaborantur, & per arterias, a corde ortas, diſtribuuntur in totum corpus. Cor in medio thoracis ſitum eſt; ejus tamen motus magis percipitur in latere ſiniſtro, quod mucro ejus reſpicit.

Quæ ſunt Partes Cordis?

Partes Cordis ſunt Auriculæ, Ventriculi, Septum, & Valvulæ. *Auriculæ*, ſunt proceſſus quidam, vel appendices, in baſi cordis. *Ventriculi* ſunt duo, dexter & ſiniſter, qui dividuntur *Septo* ſeu interſtitio. Circa caput Cordis inſeruntur dextro ventriculo duæ venæ, Cava, & Arterioſa; ſiniſtro autem Arteria venoſa, & Arteria magna; quibus intus apponuntur *Valvulæ*, ſeu XI. oſtiola.

Quomodo a Corde fit diſtributio Sanguinis?

Diſtributio Sangvinis fit pulſu, per Syſtolen & Diaſtolen. *Syſtole*, eſt Contractio cordis in anguſtum, ut ſangvis e dextro ventriculo per venam arterialem in pulmones effundatur, & ex ſiniſtro per aortam in univerſum corpus. Hic motus eſt cordis proprius & naturalis, quem habet a facultate ſua pulſifica. *Diaſtole*, eſt dilatatio Cordis, ut hauriatur ſangvis per venam cavam in dextrum ventriculum, & per arteriam venoſam in ſiniſtrum. Motus hic

Cordi

Cordi eſt accidentarius. Quando igitur Cor ita movetur, arteriæ quoque moventur & pulſant; Cor quidem primario, arteriæ autem, quia implentur, & quando Cor conſtringitur, dilatantur. Fiunt autem pulſationes unius horæ ſpatio 4500. circiter, atque tota maſſa ſanguinea, quæ in homine decentis ſtaturæ ad 24. libras aſcendit, intra paucas horas per Cor circulatur.

Quid eſt Pericardium?

Pericardium, eſt membrana amplior & craſſior, quæ totum cor involvit & conſervat, prohibetque, ne in motu tangat duriores partes. Tantum igitur a Corde diſtat, quantum ſatis eſt pro illius motu, & continet humorem quendam ſeroſum, qui cor humectat & refrigerat, motumque ejus faciliorem reddit.

Quid eſt Pulmo?

Pulmo eſt pars rara, levis, ſpongioſa, ac velut ex ſpumoſo ſangvine concreta, teſtudini, aut ungulæ bubulæ ſimilis, in dextra thoracis parte locata, ejusque totam cavitatem implens, reſpirationis & vocis inſtrumentum, ac cor refrigerans. Ad pulmonem autem tendunt tria vaſa, duo a Corde, Vena ſcilicet arterialis, & Arteria venalis: tertium, eſt proprium, Arteria nimirum aſpera, ſive Trachea.

Quid eſt Diaphragma?

Diaphragma, eſt panniculus rotundus, ex carne, nervis, & membranis conſtans, undique lateribus transverſim, & dorſo circa duodecimam vertebram alligatus, membra naturalia a vitalibus dividens, & promovens reſpirationem.

Quid est Pleura?

Pleura, est membrana, dura & alba, intrinsecus thoracis cavitatem succingens, eamque æqualem reddens, & prohibens, ne pulmones in motu lædantur.

Quid est Mediastinum?

Mediastinum, est duplex membrana, a jugulo protensa ad diaphragma, dextram thoracis cavitatem a sinistra discernens, & Cor cum pericardio annexo suspendens, ne ad aliquam partem allidat.

Quid sunt Musculi?

Musculi, sunt partes ex tendine & carne, ad motum thoracis arbitrarium, & partium contentarum, formatæ.

Quis est VENTER INFIMUS?

Venter Infimus est, qui a cartilagine ensiformi, (quæ ab extremo sterni dependet,) ac pubis, coxendicis, & sacro ossibus; lumborum item vertebris, & costis utrinque nothis circumscribitur. Latinis dicitur *Abdomen*, item *Venter* absolute, habetque partes Externas & Internas, ac, illarum respectu, dividitur in partem Anteriorem & Posteriorem.

Quæ est Ventris pars Anterior?

Anterior Ventris infimi pars vocatur Epigastrium, ac a pectore ad pubem usque protenditur, & rursus in tres regiones dividitur, quarum suprema, ab imo pectore ad umbilicum fere sese porrigens, dicitur *Hypochondrium:* Media, a fine supremæ, ultra umbilicum tendit, diciturque *Umbilicalis:* Infima, a fine mediæ excurrit ad pubem, ac *Hypogastrium*, quasi subventrale, seu imus venter appellatur.

Quæ

Quæ est Ventris pars Posterior?

Posterior Ventris infimi pars, ab externis costis incipit, & terminatur in natibus, diciturque Diazoma, seu Cinctum.

Quid sunt Nates?

Nates, sunt pars corporis posterior, quæ maxime carnosæ, infra lumbos prominent, pro requie totius corporis captanda.

Quæ sunt Ventris partes Internæ?

Ventris Partes Internæ aliæ Nutritioni, aliæ Generationi inserviunt, atque utrasque ambiunt Musculi, & Peritonæum. *Musculus*, est pars organica, motus voluntarii instrumentum. *Peritonæum*, est membrana, totam abdominis cavitatem succingens, facta, ut ventrem infimum cum suis partibus tegat & alliget. Membrana hæc est satis tenuis & mollis, ne oneri sit, valida tamen.

Quæ sunt partes Ventris Nutritioni inservientes?

Partes Ventris Nutritioni inservientes, sunt Oesophagus, Ventriculus, Intestina, Omentum, Mensenterium, Pancreas, Hepar, Vesicula Fellis, Lien, Renes, Vreteres, & Vesica urinaria.

Quid est Oesophagus?

Oesophagus seu Gula, est pars membranosa & cava, cibum in ore præparatum, cum potu, ad Ventriculum deferens. Initium a faucibus sumit, & tendit ad Ventriculi orificium sinistrum.

Quid est Ventriculus?

Ventriculus, est pars membranosa, sphærica, duabus propriis tunicis constans, sub diaphragmate in medio pæne corpore sita, primæ concoctionis officina; alimentum ad se delatum orificio finistro recipiens, & convertens in chylum, eundemque ad intestina, per orificium dextrum sive inferius transferens.

Quid sunt Intestina?

Intestina, sunt partes membranosæ & concavæ, cum ventriculi orificio dextro variis gyris continuatæ, & ad podicem usque productæ, chylum e ventriculo excipientes, magisque perficientes, nec non fæces e corpore educentes.

Quomodo in Homine peragitur Concoctio?

Concoctio alia Prima est, alia Secunda. *Concoctio Prima* est, qua cibus & potus a facultate chylifica, beneficio humoris fermentalis, calorisque tum proprii, tum partium vicinarum, ipsorumque alimentorum, in succum ptisanæ cremori similem, pro futura sangvinis generatione mutatur. Tempus, quo in ventriculo elaboratur chylus, est spatium quinque vel sex horarum; quod tamen perpetuum esse nequit, cum, pro diversitate ciborum, ætatis, temperamenti, partium anni, regionum &c. variet etiam tempus concoctionis & præparationis chyli. Chylus, ita in ventriculo coctus & præparatus, emittitur per orificium dextrum ventriculi seu pylorum in intestina, ut concoctio in iis continuetur, & chylus in ventriculo elaboratus in iis expoliatur, atque sic fæces seu excrementa, vel ea, quæ ad nutritionem inepta sunt, a facultate expultrice per intestina & alvum egeruntur.

Hæc

Hæc fœtorem contrahunt in inteſtino laxiori, quod Colon dicitur, eo quod ibi calor, qui erat in cibo & potu, per chylum maximam partem eſt exhauſtus; unde putredo ſequitur, ejusque comes fœtor.

Concoctio ſecunda, eſt ipſa ſanguificatio, dum chylus, in ventriculo coctus, & in inteſtinis perfectus, trahitur a venis lacteis, non ſecus ac plantæ radicibus ſuis alimentum & ſuccum e terra attrahunt, ut ita perveniat tandem chylus per venam cavam in dextrum ventriculum cordis, ubi ſecunda hæc concoctio ſeu ſanguificatio inchoari dicitur. E dextro abit per venam arterioſam ad pulmones, ex iis per arteriam venoſam ad ſiniſtrum cordis ventriculum, ex ſiniſtro per aortam in univerſum corpus. Veteres rem ita explicabant, ut dicerent, peracta prima concoctione, chylum ad Epar deferri; ibi ulterius elaborari, perfici, & mutari in maſſam ſanguineam, chymum dictam, & ibi quatuor humores emergere: nimirum ex frigida & cruda chyli portione oriri pituitam; ex calida & tenui bilem; ex mediocri ſanguinem; ex frigida & terreſtri, humorem melancholicum: atque bilem flavam ablegari dein in propriam veſiculam; melancholiam, in lienem; ſangvinem vero, debito modo expurgatum, una cum pituita, ex hepate, per venas diſtribui, deferrique ad ſingulas corporis partes, ut in iis tertia concoctione ulterius elaboretur, &, convenienti modo præparatus, tandem in viventis ſubſtantiam convertatur.

Quomodo dividuntur Inteſtina?

Inteſtina, licet videantur eſſe unum & continuum, ratione tamen conſiſtentiæ, dividuntur in Tenuia & Craſſa. *Tenuia* ſunt tria, Duodenum, Iejunum, & Ileum. *Duodenum* ſic dicitur, quod XII. digitos

longum ſit, & cohæret, mediante pyloro ſive orificio dextro, ipſi ventriculo. A Duodeno incipit *Ieiunum*, quia plurimum, magis quam reliqua, vacuum eſt, ob copiam ſcilicet & magnitudinem meſaraicarum, quæ ibi quaſi infinitæ ſunt, majorem chyli partem ſtatim exſugentes. Iejunum excipit *Ileum*, εἰλεὸν, a circumvolvendo ſic dictum, ob plurimas circumvolutiones, quas habet, ut cibus tanto magis ibi moretur. Hoc Inteſtinum omnium eſt longiſſimum, & XXI. palmos exæquat.

Quæ ſunt Inteſtina Craſſa?

Inteſtina Craſſa ſunt tria: Cæcum, Colon, & Rectum. *Inteſtinum Cæcum*, eſt appendicula quædam parva, inſtar vermis oblongi, quæ orta ex fine Ilei, & initio Coli; diciturque Cæcum, ob uſum obſcurum, quem in adultis habet: ajunt tamen, illud excrementa recipere, ne cum impetu ad Colon delabantur, & dolores generent; ac impedire, ne ſemper homo cogatur excernere. *Colon* deſinit in Rectum, pluribusque anfractibus ſeu cellulis conſtat, & in eo craſſiores fæces diutius commorantur, donec excernendi tempus appetit, ſimulq; efficit, ut excrementa non ſimul, ſed una atque altera ejectione excernantur. Ultimum inteſtinum craſſum dicitur *Rectum*, ob rectum ductum, pergit enim recta deorſum, a ſummo oſſe ſacro, usque ad extremum coccygis, eſtque muſculus ſphincter ad illius extremitatem.

Quid eſt Omentum?

Omentum, quod alias etiam Epiploon, & Rete ac Reticulum vocari ſolet, eſt pars membranoſa & tenuis, arteriis, veniſque & paucis nervulis intertexta, inteſtinis veluti innatando incumbens, fovensque ven-

ventriculi & inteſtinorum calorem, & concoctionem juvans.

Quid eſt Meſenterium?

Meſenterium, eſt pars membranoſa & adipoſa, per quam varia vaſa, arteriæ nimirum, venæ lacteæ, & vaſa lymphatica, nervi quoque una cum multis glandulis feruntur, inteſtinis annexa. Eſt igitur uſus ejus, ut ſit commune inteſtinorum vinculum, quo cum lumborum vertebris colligentur.

Quid eſt Pancreas?

Pancreas, eſt pars carnoſa vel potius glanduloſa, informis, ſub parte poſteriore ventriculi ſita, coctioni ac chyli diſtributioni inſerviens. Exſugit quoque ſanguinem præterlabentem ſeroſum, & beneficio glandularum expurgat.

Quid eſt Hepar?

Hepar ſive Jecur, eſt pars organica infimi ventris, magnitudinis inſignis, conſtans carne rubra, ſanguini nuper coagulato ſimillima, proxime in dextro hypochondrio ſita, venarum principium.

Quid eſt Veſicula Fellea?

Veſicula Fellea, eſt pars membranacea, unicam & ſimplicem habens tunicam, ſed validam, triplici filorum genere textam, oblonga, rotundaque, cavæ jecoris parti connexa, bilem ex illo attrahens, & in inteſtina propellens.

Quid eſt Lien?

Lien, eſt pars rara, fungoſa, carne obſcura conſtans, ſub diaphragmate in ſiniſtro hypochondrio ſita, ex adverſo jecoris, atque ex illo atram bilem attrahens.

Quid ſunt Renes?

Renes, ſunt partes carnoſæ, denſæ, & maxime ſolidæ, pinguedine obductæ, quæ ſub diaphragmate in utroque latere ſitum habent, & ab humore ſeroſo ſanguinem repurgant,

Quid ſunt Vreteres?

Vreteres, ſeu urinæ ductores, ſunt partes membranaceæ, ex renibus tendentes ad veſicam urinariam, & urinam a renibus in veſicam ferentes.

Quid eſt Veſica urinaria?

Veſica urinaria, eſt pars nervoſa, duabus tunicis conſtans, triplici fibrarum genere intertexta, rotunda, & aliquantulum oblonga, ſita in hypogaſtrio, urinam ab ureteribus advectam excipiens, aliquandiu retinens, juſtoque tempore foras excernens.

Quæ ſunt partes imi Ventris Generationi inſervientes?

Partes imi Ventris Generationi inſervientes, ſunt vel Communes, vel Propriæ. *Communes*, ſunt *Vaſa præparantia*, venæ ſcilicet & arteriæ ſpermaticæ, quæ ſanguinem & ſpiritum ad teſtes deducunt, & in variis iſtis plexibus præparant. *Teſtes*, ſunt partes glanduloſæ, raræ, & molles, ad ſeminis coctionem deſtinatæ. His adhærent vaſa deferentia, quæ ſemen ex teſtibus tranſumunt, & ad proſtatas deferunt. *Partes propriæ*, diſcrimen aliquod conſtituunt inter marem & fœminam: ut ſunt Proſtatæ, Uterus &c.

Quid ſunt ARTUS?

Artus, ſunt partes diſſimilares, magnæ, & extremæ, quæ adnaſcuntur trunco: & ſunt Manus, ac Pedes.

Quid eſt Manus?

Manus, eſt pars corporis, quæ a ſcapulis ad digitos usque protenditur, Brachio, Cubito, & Manu extrema conſtans, ad res apprehendendas ordinata.

Quid eſt Brachium?

Brachium eſt, quod ab humero ad cubitum pertingit: & conſtat uno oſſe magno, & muſculis multiplicibus, quorum ſeptem regunt motum brachii, quaterni vero, qui dicuntur lacerti, regunt cubiti motum: & venis etiam conſtat tribus inſignibus, Humeraria, Axillari, & Mediana.

Quid eſt Cubitus?

Cubitus, eſt illa pars, a flexura cubiti usque ad carpum, ſive juncturam manus, protenſa. Conſtat duobus oſſibus, quorum majus & inferius dicitur Ulna, minus & ſuperius Radius. Conſtat etiam Muſculis XXXIII. ad Carpi, & Manus motum comparatis.

Quid eſt Manus Extrema?

Manus Extrema eſt, quæ a carpo usque ad extremos ungues protenditur.

Quid eſt Pes?

Pes, eſt pars corporis, coxæ inſerta, quæ a natibus usque ad plantas porrigitur, Femore, Crure, & Pede parvo conſtans, ambulandi & ſtandi organum.

Quid

Quid est Femur?

Femur est, quod a coxa usque ad genu porrigitur, constans osse omnium maximo, musculis & carne glandulosa, ad inguina sive latera pubis consistente, ubi bubones generantur.

Quid est Crus?

Crus, est pars, a genu ad pedem parvum protenta, constans duobus ossibus longis, quorum interius & majus Tibia, exterius & minus, Fibula vocatur.

Quid est Pes Parvus?

Pes parvus sub ipso talo incipit, & ad extremitatem digitorum excurrit, constans ossibus XXVIII: & musculis XXII. quibus digiti extenduntur & flectuntur.

DEO GLORIA.



SYNOPSIS ARTIS VALETV-DINIS.



PROOEMIUM.

AFflixerat aliquando Filium languor, & virium imbecillitas. Ibi, postquam de invaletudine sua apud me questus esse, cœpit, quasi secum stomachabundus, percontari, quæ caussa esse possit; quod, tam multa, nullum aut levem olim usum habitura, vulgo discere necesse sit; cum contra, quæ semper prodesse possunt, & sine quibus haud commode vivitur, penitus negligantur? Mittere se alia, aliosque, seque unum respiciendo, illud male factum videri, hactenus diu multumq;, labore difficili, & non sine periculo, apud Palæstritam in eo tempus terendum fuisse, quomodo corpus adversus foris ingruentia mala tueri, & ense, aliisque telis, ictus inferre aut declinare conveniat: cum interim ignoret, qua ratione iis inimicis, qui secum habitant, qui intus & in cute delitescunt, sanitatique perpetuo insidiantur, occurrendum sit; & adeo ne id quidem perspectum habeat, quibus nominibus censeantur. Haud carere sane pugillandi artem suo usu, & facere non ad defensionem tantum, sed & bonam corporis habitudinem: at enim futuram, si DEUS vitam concedat, ætatem, quæ, hæc & cætera, quibus operam dederit, exercitamenta, ut linquantur, postulabit ac coget: tum vero aliis insuper sanitatem egere præsidiis, quam sola agitatione. Addebat, penitus sibi per-

ſuaſum eſſe, illud, quod cœlo delapſum, γνῶθι σαυτὸν, non hoc tantum, prout communiter omnes accipiunt, imperare, ut in nos deſcendamus, &, noſtræ tenuitatis conſcii, nunquam aliis nos præponamus, priusq; ſemitam nobis ipſis ſapiamus, quam aliis viam monſtrare inſtituimus: quin vero illud amplius præcipi, ſcire, qui ſint corporis morbi, unde proveniant, quæ ad eos aliquo modo arcendos faciant, quæq; fulturam illam animi, quam compages hæc membrorum præſtat, corroborent. Dixi ego, non inſubide ipſum locutum eſſe; differre interim haud leviter eas artes, qvibus corpus compoſitum reddimus, & homines contra hominum inſultus nos communimus, a valetudinis arte: cum, iis ſi pollere velimus, nemo nobis poſſit auxiliarier, noſtrisque manibus, pedibus, lacertisque omnia peragenda ſint; at, in morbis, nos ad Medicos confugere, & conſilium opemque ab iis petere. Itaque ergo neceſſitatem nobis imponi, artes priores diſcendi; poſteriorem non item. Nequaquam ſatisfaciebat Filio reſponſio, quod exiſtimaret, omnes homines ſumma ope niti debere, ut ſciant, non tantum, quo adjumento ſanitas, ſi amiſſa fuerit, recuperetur, ſed & quomodo parta conſervanda ſit: profitebatur ſimul, ſtare ſententiam, miſſis rebus, qualemcunq; iſtorum ſibi notitiam parandi, ne ſemper præter propter vitam vivere cogatur; rogare igitur, ut ſubveniam. Æqua petenti morem gerere viſum fuit, eique Jani Cæcilii Frey, Pariſienſis Medici, Medicinæ Compendium, quod Guido Patinus, Celebris Vir, ManesCollegæ colendo, ab interitu vindicavit, tum Scholam Salernitanam, quin & Joh. Jonſtoni Ideam univerſæ Medicinæ practicæ,
qui

qui ſe forte offerebant libri, non ad legendum, ſed lectitandum commiſi, juſſique ſimul, ut ea, quæ maxime placerent, excerperet. Ille, cum cupide omnes iſtos libellos perluſtraſſet, eos reddens, magnæ voluptati hos ſibi fuiſſe teſtabatur, ita ut ex eorundem lectione convaluerit. Enim vero, cum de Excerptis ſimul exhibendis moneretur, Æſchini apud Terentium verbis, *tibi, Pater, permittimus*, inquiebat; *plus ſcis quid facto opus eſt.* Honeſta oratio erat, qua facile obtinuit, expectationi ejus ut ſatisfacerem, congereremque, ex optimorum Artis Valetudinis Magiſtrorum ſcitis, illam, quæ nunc ſuccedit, Phyſicæ doctrinæ ſive partem, ſive auctarium.

SYNOPSIS ARTIS VALETUDINIS.

CAPVT I.

De Artis Valetudinis Definitione, Origine, ipsaque Sanitate, & Temperamento.

Ars *Valetudinis*, uti Cicero vocavit, quæque Græcis Ὑγιεινὴ dicitur, ea est, quæ hominem quemque illam, qua fruitur, sanitatem conservare tuerique, edocet. Hæc, illius artis, quam vulgo Medicinam vocamus, alteram partem constituit: una enim, quæque alterius considerationis est, in remediis, quibus amissa sanitas restituenda, sese occupat.

Artem Valetudinis *Deus Adamo protoplasto infudit*; quippe Medicum creavit Altissimus: atque habebat Adamus, plantarum & animalium vires probe cognitas, quia, secundum naturam illorum, nomina iis imposuit: unde consequitur, perspectum Adamo fuisse, quantum ad conservandam hominis sanitatem valerent. Tradidit deinde hanc artem, etsi per lapsum vehementer depravatam, Adamus posteris suis, quæ postmodum indies magis fuit exculta: atque constat de Ægyptiis, eos cuique parti humani corporis, suum assignasse medicum.

Sanitas, est bona corporis dispositio, quæ in temperamento legitimo, debita partium efformatione, eorumq; apta unione consistit: facitq;, ut omnia membra munus suum prompte, & citra impedimentum, obeant. Habet igitur Corpus Humanum pro Subjecto.

Tem-

Temparamentum, est complexio primarum qualitatum, Caloris nimirum & Frigoris, Humiditatis & Siccitatis, ad certam temperiem redactarum. Quemadmodum enim primæ qualitates diversis modis inter se temperantur: ita diversa quoque sunt temperamenta.

Dividitur Temperamentum in Uniforme, & Difforme.

Vniforme est, cum omnes qualitates primæ æqualiter coëunt; ut nimirum tantus sit calor, quantum frigus, nec humiditas siccitati præponderet. Dicitur alias *Temperamentum æquale*; item, *Æquale ad pondus*. Vix autem est, ut detur Temperamentum Uniforme in mixto animato. Viventia enim requirunt partes heterogeneas, quæ, pro functionum diversitate, diversa requirunt temperamenta, ut ita in toto illo mixto, æquale temperamentum esse non possit: in una autem aliqua mixti animati parte quin detur, nihil fortasse repugnat: atque in mixtis inanimatis illud reperiri, omnino evadit verisimile.

Temperamentum Difforme est, cum quatuor qualitates inæqualiter coëunt; ac *dividitur*, in Simplex, & Compositum.

Simplex Difforme temperamentum est, in quo una tantum qualitas prædominatur. Vti, si Calor sit sex graduum, Frigus duorum, Humiditas & Siccitas quatuor, prædominatur Calor, & sic est simplex temperamentum. Proinde, pro numero quatuor primarum qualitatum, & sicut unaquæque ex illis dominium obtinere potest in mixto, ita quoque quadruplex est Simplex temperamentum: Calidum, in quo calor; Frigidum, in quo frigus; Humidum, ubi humiditas; & Siccum, ubi siccitas prædominantur.

Compositum Difforme temperamentum est, in quo duæ qualitates, uti v. c. Calor & Siccitas, aut Calor & Humiditas, &c. prædominantur. Dicitur, *Duæ*: plures enim qualitates in mixto prædominari & excedere non possunt, quia sic duo contraria essent in eodem subjecto, in gradibus excellentioribus; quod absurdum. Nempe, si in mixto prædominaretur non tantum Calor & Siccitas, sed & Frigus aut Humiditas, contraria duo, Calor scilicet & Frigus, vel Siccitas & Humiditas reperirentur in eodem subjecto in gradibus excellentibus; quod fieri nequit.

Quemadmodum quatuor modis fieri potest, ut duæ qualitates in gradibus excellentioribus combinentur: sic quoque Temperamentum Compositum *Quadruplex* solet constitui. Unum *Igneum*, in quo prædominantur Calor & Siccitas, idque in homine dicitur *Cholericum* seu *Biliosum*. Alterum *Aëreum*, in quo prædominantur Calor & Humiditas, quod vulgo Sanguineum appellant. Tertium *Aqueum*, in quo prædominantur Calor & Humiditas, quod *Phlegmaticum* seu *Pituitosum* vocatur. Quartum denique *Terreum*, in quo prædominantur Frigus & Siccitas, alio nomine *Melancholicum* dictum. Atque habent hæc Temperamenta ideo sua nomina ab Elementis, quia talis combinatio qualitatum in Elementis existit. In Igne enim Calor & Siccitas; in Aëre, Calor & Humiditas; in Aqua, Frigus & Humiditas; in Terra denique, Frigus & Siccitas conjunguntur.

Cæterum, *Cholera* seu *Bilis*, hoc loco, non accipienda de bile illa excrementitia, quæ jam in vesicula fellis collecta est; sed de hujus materia, portionibus puta sanguinis sulphureo-salinis. Sic *Phlegma*

ma seu *Pituita*, non notat illos humores, qui in ventriculis cerebri, aut in naribus colliguntur, ac per eas, & ductus salivales, excernuntur; sed innuit humorem aqueum, in corpore genitum & collectum.

Cholerici Temperamenti signa sunt: Color faciei, oculorum, totiusque corporis pallidus, aut flavus; corporis habitus siccus, macer & gracilis; venæ & arteriæ amplæ; in iracundiam, audaciam & vindictam propensio; somnus levis nec profundus, magna corporis jactatione inquietus; insomnia, belli, furoris, iracundiæque plena; urina flava, acris, & pauci sedimenti; pulsus vehemens, velox, & frequens; denique frigidorum appetentia.

Scholæ Salernitanæ de hoc Temperamento versus sunt;

Est humor Cholera, qui competit impetuosis;
Hoc genus est hominum, cupiens præcellere cunctis.
Hi leviter discunt, multum comedunt, cito crescunt:
Inde & magnanimi, sunt largi, summa petentes.
Hirsutus, fallax, irascens, prodigus, audax,
Astutus, gracilis, siccus, croceique coloris.

Bilem flavam adaugent Iecoris Cordisque temperamentum calidum & siccum; aër fervidus, cibus potusque calidus & siccus, suppressa bilis, exercitatio vehemens, vigiliæ immoderatæ, ira, curæ graves, mœror.

Sanguinei Temperamenti signa sunt: Color faciei corporisve rubicundus, & quasi ex albo rubroque mixtus; habitudo corporis carnosa, sine multa adipe; animi mores tranquilli, hilares, & jucundi; somnus placidus, in quo res lætæ exhibentur; uri-

na copiosa, colore mediocri; injuriarum tolerantia; pulsus fortis & plenus.

Schola Salernitana Sanguineos ita describit:

Natura pingues isti sunt atque jocantes,
Rumoresque novos cupiunt audire frequenter:
Hos Venus & Bacchus delectant, fercula, risus,
Et facit hos hilares & dulcia verba loquentes.
Omnibus hi studiis habiles sunt, & magis apti.
Qualibet ex causa non hos facile excitat ira.
Largus, amans, hilaris, ridens, rubeique coloris,
Cantans, carnosus, satis audax, atque benignus.

Phlegmatici Temperamenti signa sunt: Color faciei corporisque albicans; moles corporis ampla & obesa; animi mores, omnesque corporis motus, tardi, cum gravitate & segnitie: sensus obtusi; mens hebes; somnus profundus atque gravis; aquarum, pluviæ, nivis aut submersionis plena insomnia; urina alba vel pallida, nunc tenuis, nunc crassa, & turbida multo sedimento; corpus marcore sæpe diffluens; pulsus parvus, tardus & mollis; cibi potusque calidi appetentia.

Schola Salernitana sic extulit:

Phlegma dabit vires modicas, lætosque, breves que,
Phlegma facit pingves, sangvis reddit mediocres.
Otia non studio tradunt, sed corpora somno,
Sensus hebes, tardus motus, pigritia, somnus,
Hic somnolentus, piger & sputo crebriore,
Est huic sensus hebes, pinguis, facie color albus.

Pituitam adaugent, Cordis, Jecoris, & Ventriculi frigidum humidumque temperamentum; aëris conditio frigida & humida; frigidorum humidiorum-

rumque alimentorum immoderatus usus; pituitæ per os aut per alvum evacuatio suppressa; vita sedentaria; somnus longus ac profundus; vita sine curis aut studiis.

Melancholici Temperamenti signa sunt: Color faciei totiusque corporis fuscus, obscurus & nigricans; corporis habitus siccus & macilentus; aspectus inconstans, horridus ac mœstus; proclivitas in metum, mœstitiam, & taciturnitatem; amor solitudinis; somnus turbulentus, horrendis insomniis interruptus; urina nunc tenuis & alba, nunc crassa & livida; pulsus parvus, tardus, & rarus; appetentia sæpe corrupta. Schola Salernitana temperamenti melancholici signa talibus versibus inculcat:

Restat adhuc tristis choleræ substantia nigra,
Quæ reddit pravos, pertristes, pauca loquentes,
Hi vigilant studiis, nec mens est dedita somno:
Servant propositum, sibi nil reputant fore tutum.
Invidus & tristis, cupidus, dextræque tenacis,
Non expers fraudis, timidus, luteique coloris.

Melancholiam adaugent, jecur & cor frigidum sic-cumque, lien obstructus, aëris constitutio frigida, alimenta crassa & terrena, labores immodici, vigiliæ, vitæ conditio tristis, contemplationi & literarum studiis dedita, atræ bilis evacuatio suppressa.

Humores, quantitate peccantes, *Plethoræ* nomine veniunt, eaque oritur, ex jecoris cordisque intemperie, ciborum copia, consvetis evacuationibus suppresis, & vita otiosa. Plethoræ affinis est *Cacochymia*, sive vitiositas humoris, qua is a justa mediocritate deficit. Sed Plethoræ sedes fere est in venis tantum; at Cacochymia, etiam extra venas, vel in toto corpore, vel in ejus parte aliqua, & præcipue

visceribus, consistere potest. *Signa sunt*: Lassitudo, Respiratio gravis ex minimo labore, Venarum turgescentia, Musculorum distensio, Habitus carnositas, Somni profunditas, Faciei rubedo.

CAPUT II.

De Causis Efficientibus Bonam Valetudinem.

BOnæ Valetudinis *Causa Efficiens*, est vel Propinqua, vel Remota.

Propinquam Valetudinis causam constituunt Humores & Spiritus, cum in quantitate, qualitate, & motu rite se habent.

HUMORES sunt duplices: *Utiles*, qui ad vitam & nutritionem faciunt: *Inutiles* vel *Excrementitii*, qui remotionem e corpore naturali efflagitant.

Inter *Utiles Humores* primatus debetur *Sangvini*, qui est humor vitalis, rubicundus, primum in conceptu, ex colliquamento seminali productus, & successive virtute spiritus vitalis multiplicatus, & ex chylo continuatus, individui conservationi, & speciei propagationi inserviens. Is, e sinistro Cordis ventriculo coarctato, profluens, per arteriam magnam, seu aortam, ejusque ramos, ad omnes corporis partes distribuitur; & rursus e partibus, per venæ cavæ ramos, ad cordis dextram auriculam, & dextrum ventriculum refluit, perpetua circulatione.

Ad Utiles Humores porro referre oportet *Semen*, quod ad propagationem humani generis necessarium; ac cui sanguis, spiritibus animalibus permixtus, materiem præbet: item *Serum*, quod est pars sanguinis aquo-

aquosa, & ejusdem ὄχημα ac vehiculum; *Chylus*, qui est succus ex assumtis cibis, vi caloris nativi, & fermenti in ventriculo contenti elaboratus. Amplius huc pertinent, *Lac*, quatenus est materia chylosa, ad alterius individui nutritionem faciens: *Fermentum Ventriculi*, &, secundum aliquos, Intestinorum quoque; *Medulla ossium*.

Inutiles Humores corporis sunt, *Fæces alvi*, *Urina*, *Mucus narium*, *Lachrymæ oculorum*, *Cerumen aurium*, *Saliva sive Sputum Oris*, *Sangvis hæmorrhoidalis*, & *sangvis*, *quem fœminæ*, si non sint gravidæ, nutrices, steriles, vel morbo affectæ, ab anno 14. ætatis, usque ad 50. lunari purgatione excernunt.

SPIRITVS, sunt duplices, Vitales, & Animales.

Vitalis Spiritus, est exhalatio ignea, a sanguine per fermentationis & circulationis naturalis continuum motum incalescente, exorta, & per indesinenter subsequentes portiones inflammabiles & volatiles, veluti per pabulum, multiplicata; ut sit verum & immediatum animæ instrumentum, & actionum in corpore perficiendarum principium.

Animalis Spiritus, est liquida tenuissimaque substantia, in cerebro & cerebello, ex optimis sanguinis arteriosi portionibus, ipsoque vitali spiritu, per quandam fixationem, elaborata, ad principium nervorum collecta, & abhinc, per nervos, ad totum corpus distributa, in sensus & motus communicationem.

Remotam Valetudinis causam, constituunt Aër; Cibus & Potus; Somnus & Vigiliæ; Motus & Quies; Excreta & Retenta; ac denique Animi affectus.

CA-

CAPUT III.

De Aëre.

Aërem multum, imo plus omni alia re naturali, ad sanitatem conferre, dubio caret. Nam, corpus humanum ambit, & ei per certos meatus se insinuat: præcipue ab aspera arteria attractus, primum in pulmone, deinde in corde, ac novissime in cerebri ventriculis spiritus progenerat. Idem, calorem cordis attemperat, nec sine eo vitam, vel ad breve spatium, producere quis potest.

Aëre fruendum sereno, puro, & claro; non crasso, impuro, ac fœtido: talis enim morbos malignos, ac contagiosos progenerat. Sed, nec nimium calere debet aër, aut fervere; nec montibus inclusus esse. Quin, nec subito mutare aërem oportet. Namque peregrinatio, item ex coarctato conclusoque aëre, in liberum, etiam salubrem, traductio, & convalescentis primus egressus, sæpe ægrimoniam conciliant: quia aëris ista mutatione, corpus humoresque vehementius agitantur.

Inquinant aërem vapores ex lacubus, stagnis, & fodinis metallicis exhalantes. Si vitium contraxerit aër, per res odoriferas & suffitum corrigendus. Schola Salernitana suadet:

Lucidus ac mundus sit rite habitabilis aër:
Infectus neque sit, nec olens fœtore cloacæ.

Habitatio eligenda, quæ Septentrionem aut Ortum respicit.

CAPUT IV.
De Cibo & Potu.

CIbo, quicquid ſiccioris ſubſtantiæ aſſidue effluit, & in aërem exſpirat, quicquid item virium decedit, quotidie reſtituitur. Boni autem ſucci cibus, ſanguinem bonum, perverſi, contrarium progenerat. Ergo, ad valetudinem conſervandam, cibos ei convenientes ſeligere oportet. Fames enim diutule tolerata, ventriculum pravis humoribus replet, dum a vicinis partibus, quicquid ibi latet, attrahitur.

Si hora cibationis conſueta appetitus ſeſe non exerat, vel prior digeſtio male peracta, vel vitioſi humores eum impediunt.

Munda debent eſſe omnia, quibus pro alimento fruendum, nitida, culta, probe apparata, & ſuo ordine poſita. Hæc enim, ad appetentiam, tum in ſanis, tum in ægris excitandam plurimum faciunt.

Pro tempore anni paranda menſa: Hyeme, in locis calidis & clauſis: Æſtate, frigidis & apertis. Vere, floribus; Æſtate, frondibus; Autumno, fructibus odoriferis triclinium ornandum; Hyeme, ſuffitus faciendus.

Albæ ſunto mappæ, candida mantilia, vaſa tum potoria tum eſcaria nitida. Cultros habeat menſa minime hebetes, terſoſque, Salinumque in ea ſplendeat, ſecundum tritum illud:

Sal primo poni debet, primoque reponi;
Non bene menſa tibi ponitur absque ſale.

Ante & poſt aſſumtum cibum, lavare manus convenit. Namque, ſi Scholam Salernitanam audimus:

Lotio poſt menſam tibi confert munera bina,
Mundificat palmas, & lumina reddit acuta.
Si fore vis ſanus, ablue ſæpe manus.

Uten-

Utendum plurimum *Simplici victu*: nam varius, uti est diversæ substantiæ, diversarumq; qualitatum, ita nec ab eodem calore, nec eodemtempore concoqui potest.

Habentes calorem fortem, membra dura, ac laboribus se defatigantes, cibis indigent crassioribus: at iis, quorum membra sunt mollia, & humida, calor vero debilis, subtilis cibus convenit.

Panis, commendatur mundus ex tritico, quod e terra minime corrupta provenit, qui sale & fermento probe conditus, nec ex vetustate vitium contraxit. Usus calidi ac recentis panis officit.

Ex *Piscibus* eligantur parvi, saxatiles, squamigeri, multum natantes, minimeque viscosi, in fluminibus rapidis & puris aquis nati captique. Abstinendum ergo ab iis, qui lacunis delectantur, aut qui agunt in aquis, in quas cloacæ derivantur. Marini quoque pisces præstant in aquis dulcibus editis; alimentum enim quod præstant, minus excrementitium est, & carnium naturæ propinquius. Spinarum & Squamarum multitudo substantiæ puritatem arguit. Pisces hominum alimento commodos, Schola Salernitana X. enumerat:

Lucius & Perca, & Saxatilis, Albica, Tinca,
Gornus, Plagitia, & cum Carpa, Galbio, Truta.

Inter *Aves*, præcipua laus debetur sylvestribus. Iis accensere oportet Pullos gallinaceos, Perdices, Columbas, Turdos, Alaudas.

Schola Salernitana XIV. Avium species commendat:

Sunt bona Gallina, & Capo, Turtur, Sturno, Columba,
Quiscula, Phasiades, Merula, simul Ortogometra,
Perdix, Frigellusq;, Otis, Tremulusq;, Amarellus.

Eo-

Eorum ſimiliter, *quæ in ſylvis degunt*, *terreſtrium animalium caro*, domeſticorum carni præferenda; feræ enim multis curſitationibus ſe fatigant, & in aëre ſicciore verſantur; unde & illorum caro, diu a putrefactione manet incorrupta. Vitulina tamen, Agnina, Hœdina, & Vervecina caro, ſalutaribus etiam alimentis accenſentur.

Lac & *Ova*, omnium opinione, probatiſſimi ſucci habentur, atque muliebre lac primas ſibi vendicat; proximum eſt aſininum, poſtea caprinum, tandemque vaccinum, & ovinum. Sed oportet, ut animal, ex quo lac ſumitur, ſit boni habitus, in lautis paſcuis nutritum. Immiſcendum lacti ſacchari vel ſalis aliquid, ne in ſtomacho coaguletur. *Ova* parvula, oblonga, ad mediocritatem cocta, cæteris præferuntur. Schola Salernitana præcipit:

Si ſumas ovum, molle ſit atque novum.

Fructibus crudis abſtinere oportet, imprimis iis, qui facile putreſcunt, & diu ſervari non poſſunt: ut Mora, Fungi, Pepones. In univerſum monet Schola Salernitana:

Autumni fructus caveas, ne ſint tibi luctus.

Olera, ſanguinem aquoſum generant, & putrefactioni aptum.

Noxii ſunt hominibus cibi, *qui excellentem qualitatibus virtutem* obtinent, ſive in calido, ſive in frigido, ſive in humido, ſive in ſicco. Calidiores enim cibi, ſanguinem inflammant; Frigidiores & Humidiores, corpus pituitoſa & humida temperie afficiunt; Sicciores, ſuccum ſanguinis depaſcunt.

Difficilis concoctionis ſunt: Panis azymus, Faba, Lenticula, Cicer, Poma cydonia, Avellanæ, Caſtaneæ, Olivæ, Cucumeres, Rapæ; Caro hircina, & bubu-

bubula; Anates, Anseres, Cancri; Caseus tam recens quam vetus; item peculiares quædam partes avium, Guttur, Hepar, Splen, Renes, Stomachus & Intestina. Schola Salernitana X. ciborum genera recenset, a quibus sibi temperare quis debet: aitque:

Persica, Poma, Pyra, & Lac, Caseus, & Caro salsa,
Et Caro Cervina, & Leporina, Bovina, Caprina:
Atra hæc bile nocent, suntque infirmis inimica.

De Porcina carne speciatim monet:

Est Porcina caro, sine vino, pejor ovina,
Si tribuas vinum, fuerit cibus ac medicina.

Pravum nutrimentum, quamvis illud sumenti non protinus nocet, idque vel ob consuetudinem, vel vim concoctricis facultatis; tamen in futurum morbos creabit, præsertim si labor absit, & exercitatio.

Mensura cibi ea esto, ut ne quid nimis: & tantum assumendum, ut reficiantur vires, non ut opprimantur. Imprimis cœna frugalis esse debet, nam, Scholæ Salernitanæ indicio:

Ex magna cœna, stomacho fit maxima pœna:
Ut sis nocte levis, sit tibi cœna brevis.

Ordo quoque servandus in cibis assumendis. Subtiles enim, liquidi, humidi, ac facilis concoctionis, præmittendi solidis & aridis, ne cæteroqui hi illis meatus præcludant, & corruptio fiat; secundum tritum illud:

Præmittas calidum frigidis, & mollia duris.

Inter comedendum *sæpe ac parce bibendum*; nec jumenta imitari oportet, quæ tum demum bibunt, cum cibo exsaturantur: sed potio subinde interpo-

nen-

nenda, quoniam cibus, permiſtione potionis mollior redditus, per membra, nutritioni ſervientia, facilius tranſit: ideoque & Schola Salernitana præcipit:

Inter prandendum ſit ſæpe, parumque bibendum.

Sitis autem ſedativus potus, circa prandii aut cœnæ finem, naturæ magis congruere videtur; tunc enim ob calidi ſiccique cibi æſtuationem, vera ſitis urget. Scilicet vix veriſimile eſt, eodem, ac brevi temporis momento, infeſtari naturam eſurie ſimul ac ſiti, cum hæc a calore interno, illa a frigore ſtimuletur. Inchoata digeſtione non eſt multum ſuperbibendum, ne ebullitio digeſtionis interrumpatur.

Iejuno ſtomacho potus vitandus, quia nervos tentat. Exceptionem tamen affert Schola Salernitana, ſed fortaſſe vix omnibus eam probatura. Verba illius ſunt:

Si nocturna tibi noceat potatio vini,
Hoc tu mane bibas iterum, & fuerit medicina.

A labore aut motu ſudanti, detrimentum magnum affert frigidæ potio. Quin nec in gravi ſiti illico bibendum, ſed ſatius fuerit aſſumere ſyrupum acidiuſculum, vel os gargarizare aqua frigida, vel fructus quoſdam maſticare.

Diverſam qualitatem & quantitatem potus, cibi diverſa qualitas & quantitas exigit: cibus quippe ſiccior & craſſior, majore copia potus opus habet, præ ſubtili & humidiore.

Optimus potus *Vinum*, ſi moderate ſumatur. At vero, ceu Schola Salernitana docet,

Vina probantur odore, ſapore, nitore, calore.
Si bona vina cupis, quinque hæc laudantur in illis
Fortia, formoſa, & fragrantia, frigida, friſca.

Accipiunt prætereaVina ab ætate commendationem. Sed hauſtum nimis Vinum valde humectat, corpus calefacit, caput halitu implet, ad iram & libidinem præcipites facit, & divinæ particulam auræ obfuſcat.

Quamobrem raro pueris concedendum, ne humidum radicale in iis corrumpatur; adultis, non niſi modice.

Vinum factum debile per admixtionem aquæ, laudabilius eſt, quam quod eſt ſua natura imbecille: tale enim facile corrumpitur; quod ſecus ſe habet in iis, quæ aqua affuſa infirmantur.

Vino generoſo ad ſtomachum roborandum utentes, cum pane toſto illo frui debent, ne virtus diffluat, ſed fixa evadat.

Homines multo vino, vel natura, vel conſuetudine, utentes, minori cibo indigent: vinum enim non potus tantum, ſed & cibi vicem præſtat. Hinc potatoribus paucus victus ſufficit, nam & natura non poteſt copioſum cibum, copioſumque vinum ſimul digerere.

Vina medicata non pro potu vulgari ingerenda, ſed perparce in epularum initiis iis fruendum: impedirent enim cæteroqui ciborum ſuavitatem & gratiam. Si ſomnus conciliandus, Abſinthiati vini in fine cœnæ aliquid hauriendum. Ex omnibus autem medicatis vinis illi, quod Salviam habet admixtam, pretium ponendum, quippe Salernitana Schola, eam beneficam herbam ſic nobis deprædicat:

Cur moriatur homo, cui Salvia creſcit in horto?
Salvia confortat nervos, manuumque tremorem
Tollit, & ejus ope febris acuta fugit.
Salvia ſalvatrix, naturæ conciliatrix.

Cere-

Cerevisia non insalubris est, si bene cocta, clara, non nimis recens, nec nimis vetus, imprimis æstivo tempore.

Aqua laudatur fontana recens, quæ ex terra pura promanat; quæ insipida est, & nec gustu nec odore percipitur; quæ cito calefit, & mox revertitur ad frigus. Sed ea inter epulas utendum non est. Namque, si Scholæ Salernitanæ credimus,

Potus aquæ sumtus comedenti incommoda præstat;
Hinc friget stomachus, crudus & inde cibus.

Tempus sumendi cibi congruum est, cum prioris cibi onere allevati, ventriculoque exonerato, confecisse nos priorem novum percipimus, fameque ad expetendum novum commovemur. Nunquam autem inter utramque comestionem minus quam sex horarum spatium interponendum.

Post assumtum cibum proderit stare, aut modica deambulatione corpus exercere, ut alimenta eo rectius in intestina descendant. Præcipue a studiis & meditatione statim a cibo temperare oportet, ne calor a ventriculo avocetur, & cerebrum vaporibus impleatur. Notum est dictum:

Post pastum stabis, passu mollive meabis.

Iis, quorum calor fortis ad digerendum, item corporibus macilentis, & ad siccitatem proclivibus, aut iis, qui cibo facili utuntur, non sufficit in die naturali una comestio, imo interdum ne bina quidem. Senibus quoque, & convalescentibus, si una vice copiosum offerretur alimentum, calor suffocaretur, & vires opprimerentur; ideo sæpe illos, & frugaliter, cibare oportet.

CAPUT V.
De Somno & Vigilia.

SOmnus ad ſanitatem neceſſarius eſt, ut & membra corporis humani laſſa refocillentur, & ſpiritus, quibus anima in perficiendis actionibus utitur, reſtaurentur. Per eum calor ad interiora revocatur, unde alimentorum, crudorumque humorum concoctio feliciter perficitur, totum corpus, & imprimis viſcera, ſuaviter humectantur, calor augetur, & omnia membra validiora fiunt. Amplius, ſomni beneficio curæ tolluntur, ira ſedatur, animusque tranquillior evadit; ſenibus imprimis maxime eſt ſalutaris.

Vigiliæ, ſpiritus ac ſenſus excitant, & vegetiores reddunt, ſpiritus & calorem in omnes corporis partes diſpertiuntur, alimenti diſtributionem adjuvant, excrementorum propulſionem promovent.

Somnus æque ac Vigilia, ſi modum excedant, humano corpori nocumentum afferunt. Quemadmodum enim ſomnus immodicus cerebrum plus æquo refrigerat, & humectat, mentique & memoriæ ſtuporem quaſi conciliat; ita vigiliæ nimiæ, cerebri bonam temperaturam corrumpunt, ſpiritus animales abſumunt & diſſipant, bilem augent, acuunt, & inflammant, ſenſus debilitant, cruditatem pariunt, ac impediunt concoctionem.

Interdiu vigilare, noctu dormire, ratio jubet; ac proinde lucubrationes vitandæ. Non ſtatim vero a cœna corpus ſopori dandum, ſed duabus prius horis vigilare, ad ſanitatem conducit: quippe ingeſtus cibus, quem ſtatim ſomnus excipit, in ſuprema

ven-

ventriculi parte supernatans, probe concoqui non potest. *Meridianum somnum* plerique damnant, & sic quoque Schola Salernitana:

Sit brevis, aut nullus tibi somnus meridianus,
Febres, pigrities, capitis dolor, atque catarrhus,
Hæc tibi proveniunt ex somno meridiano.

Cum vestibus simul omnes curæ exuendæ. Cervicali utendum elevato, ut caput in sublimi positum sit, & cibus, ad os ventriculi regurgitans, concoctionem non impediat. Pronus decubitus, ventriculo cumprimis, oculisque vehementer officit. Pejor est supina cubatio, multorum morborum procreatrix. Corpus, pro ambientis aëris constitutione, decenter tegendum, ne, calore & spiritibus circa interiora detentis, externæ corporis partes a frigore lædantur. Caput quoque vitta operiendum.

Somnus a dextro latere inchoandus, ut cibus eo melius in imum ventriculi descendat. Postea volvendum corpus, & super sinistro latere dormiendum, ut, haud aliter ac gallina pullos fovet, a jecore, ventriculo incumbente, ejus calor augeatur, & adjuvetur concoctio. Dehinc rursus in dextro latere, usque ad consuetum surgendi tempus, somnum continuare juvat, ut chylus ex ventriculo in intestina eo facilius permeet.

Duratio Somni, ex alimentorum perfecta concoctione æstimanda: quæ colligitur, ex stomachi contractione, ventrisque, ob ciborum descensum, mollitie, ructuum paucitate, & capitis totiusque corporis levitate ac agilitate; denique ex urinæ flavedine. Communiter volunt, haud minus septem, nec amplius octo horas, durare debere.

Excrementa quia noctu cumulata fuere, ideo mox a somno, alvi fæces dejici debent; eaque evacuatio, si natura non obsequatur, lenientibus promovenda.

CAPUT VI.
De Motu & Quiete.

Motum ad sanitatem esse necessarium, exinde patet, quod, calorem nativum augendo, nutritionem promovet, vapores & excrementa discutit, membris soliditatem & duritiem, ex mutua attritione, conciliat.

Immoderatus corporis motus, spiritus & nativum calorem dissipat; musculorum, nervorum, & tendinum robur dissolvit; membranas laxat aut divellit; viscera concutiens, tenues venas disrumpit; sanguinem in venis diffundit & exagitat; febres procreat; corruptos humores, qui conclusi & consopiti tenebantur, quique a natura subigi & blande expurgari poterant, irritat, unde vomitiones morbique multiplices sequuntur.

Ex his, iisque, quæ de somni moderati commodis dicta fuere, de utilitate *Quietis* judicium facere licet, quæ nihil est aliud, quam motus & exercitiorum corporis intermissio. Ea vero, si nimia & desidiosa fuerit, inertem calorem, spiritus inertes, minusque ad mentis naturæque functiones aptos procreat; unde cruditates obstructionesque oriri necesse est. Insuper corpus universum otii nimietas prægravat, idque languidum, molle, ac infirmum reddit.

Motus & præcedere cibum & sequi debet, sed levis. Si ante cibum corpus nimis moveatur, calor dissipabitur, & humores pravi ad ventriculum de-

deducentur: si post illum assumtum, alimentum nondum elaboratum & crudum visceribus infertur.

Graciles moderate, robusti validius moveri decent, habita consuetudinis ratione.

Exercitiis in corpore suffusus color, & sudor promanans finem imponere jubent.

Deambulatio mediocris corpora pura reddit. Sed, quæ fit per acclivia, corpus quasi onere premit, fatigat, sudorem movet, spiritum cohibet, & genibus infirmis valde adversatur: per declivia, femora reddit invalida, & caput præcipitat. Mane, secus montes, vesperi, juxta fontes & amnes itare magis volupe est, sensusque magis afficit.

Moderatis laboribus corpus, studiis liberalibus animus roboratur.

Præstat corpus moderate quotidie exercere, ne superfluitates colligantur, quam purgationibus vel aliis medicamentis uti. Quod enim Celsus monet, cavendum, ne in secunda valetudine, adversæ præsidia consumantur.

CAPVT VII.

De Excretis & Retentis.

Corporis retrimenta, si rite & tempestive excernantur, multum id confert ad sanitatem conservandam. Deficiens excretio, sive retentio, nativum calorem premit, & obruit, putredinem, aliasque naturæ graves & noxias qualitates producit, viasque & canales corporis obstruit.

Immodica excretio, spiritus, & nativum calorem dissipat & exhaurit: unde naturales animalesque fun-

ctiones languefcunt, & tabes, cruditas, hydrops, aliique frigidi morbi emergunt.

Evacuatio fit vel fponte & a natura, vel arte promovetur.

Singulis diebus mane, fenfuum inftrumenta, linguam, dentes, oculos, nares, aures, frigida abluere, & a fordibus liberare, capillosque pectere oportet.

Cum honefte licet, nec flatus ventris, nec urina retinenda.

Vomitus frequens, fanitatis eft indicium; nam bilem, & pituitam, ventriculum moleftantes, educit. Utilis præfertim eft iis, qui cibo & potu fe nimium implevere, vel parum recte concoxerunt. Ex præcepto Hippocratis, fingulis menfibus bis vomendum, idque biduo continuo, ut fecundus dies prioris reliquias extrudat.

Sudor, humorem redundantem aqueum frigidumque excoquit, elicit, & confumit. Ejus provocatio utilis. Quocunque autem modo provocatus fuerit, five exercitio, five frictione, five aliter, probe abftergendus eft. Cavendum quoque, ne ex calore fubito ad frigus tranfeatur.

Hæmorrhoides, venarum, quæ anum ambiunt, funt explicationes; per quas natura fæculentum ac melancholicum fanguinem, ftatis temporum intervallis, expurgat. Iftud profluvium multos morbos arcet, ajuntq;, iis, qui illud patiuntur, nec a pleuritide, nec a pulmonum vitio, nec a lepra aut vitiligine effe periculum. Melancholicis quoq;, & renum dolore laborantibus, hæmorrhoidum apertura falutaris eft.

Venæ Sectio, ex arte proveniens evacuandi corporis medium, morbos difpellit, corpus gravi fanguinis onere levat, illudque ad functiones obeun-

obeundas reddit alacrius. Hinc phlebotomia neglecta, ſcabiem, paralyſin, apoplexiam, febrim, & adeo ſubitam mortem progenerat. At, ſi nimis frequens quoque fuerit, malignas obſtructiones efficit, ſtomachum, cor, & epar debilitat, ac ſenectutem accelerat. *Corpus ſimpliciter ſanum* phlebotomia non indiget. *Senibus*, ob virium & caloris defectum, non adhibenda.

Vernum tempus Sanguinis miſſioni maxime accommodatum; quia tum ſpiracula cutis laxantur, & ſanguis in exteriores partes magis diffunditur.

Non eſt vena ſecanda, corpore a cibo repleto, ne crudi ſucci in ſanguinis exhauſti locum ſuccedant; *nec aëre nebuloſo* vel turbido, ventoque auſtrali ſpirante, ne aër noxius venam ſubintret.

Phlebotomia maxime fit in *Brachiis*, in quibus venæ tres ſe offerunt inſigniores: una ſuperior, quæ vocatur *Cephalica*; altera inferior, *Epatis* in brachio dextro, & *Splenis* in ſiniſtro; media inter illas vocatur *Mediana*, quam alio nomine *Venam Communem*, item *Venam Cordis* vocant. Circa Cephalicæ venæ inciſionem minus periculi metuendum, quia ſub ea non eſt Nervus, nec Arteria notabilis. At, ſub Epatica ſive Baſilica, Arteria, ſub Vena Communi, Nervus deliteſcunt.

Ante phlebotomiam proderit corpus nonnihil exercitare, quo ſanguis fiat mobilior, & ad fluxum pronior, unde & membrum, in quo ſectio fieri debet, interdum frictione & calefactione ſolicitaſſe juvabit.

Sanguis excipiendus tribus aut quatuor pelviculis mundis, terrenis, aut vitreis; non æneis, ne qualitatis converſionem ſubeat, & judicium de eo per-

vertatur. *Exceptus ſanguis*, ſeponendus in loco mundo, quo nec pulvis, nec fumus, nec ventus, nec Solis radii pertingunt.

Quæ *poſt Phlebotomiam* obſervanda ſint, docet Schola Salernitana, & talia fatur:

Sanguine ſubtracto, ſex horis eſt vigilandum,
Ne ſomni fumus lædat tibi ſenſile corpus.
Sanguine purgatus, ne carpas protinus eſcas.
Omnia de lacte vitabit rite minutus,
Et vitet potum phlebotomatus homo:
Frigida vitabit, quia ſunt inimica minutis,
Interdictus eritque minutis nubilus aër.
Omnibus apta quies, & motus ſæpe nocivus.

Quantum ad *Judicium* de Sanguine emiſſo (ad quod faciendum, non niſi poſt horam a phlebotomia elapſam, ſe quis accingere debet,) attinet, ſciendum: *Si primus ſanguis ſit pejor ſecundo*, ſecundus tertio, & ſic deinceps, ultimus vero bonus & naturalis fuerit, ſignum id haberi ſufficientis phlebotomiæ. Primo Sanguine bono, ſecundo pravo exiſtente, id ſignum, ulteriori phlebotomia, & medicamentis opus eſſe; niſi phlebotomia facta fuerit *ad divertendum*, tum enim in principio promanat ſanguis e parte ſalubri, poſtea ex affecta.

Sanguis Melancholicus, pelviculæ fundum petit, eſt niger, craſſus, denſus, ſaporis acidi, multas fibras habet, facileque concreſcit. Is obſtructionum, aliorumque morborum autor erit, niſi occurratur.

Sanguis Phlegmaticus, comparatur albugini ovi, eſtque albicans, mucilaginoſus; tardius effluit, & glutinis inſtar digitis adhæret. Hic quoque obſtructiones progenerat; unde medicamentis exſiccantibus

bus opus eſt, ne ſuperflua humiditas, aëreum & radicale humidum ſuffocet.

Sanguis Cholericus, eſt rubedinis ſcintillantis, aut crocei coloris, ſaporis amari, habetque ſpumam innatantem; & bilis copiam ſignificat.

Sanguinis Puri, qualis Sanguineorum, color eſt purpureus, ſubruffus, ſapor dulcis; bonæque temperaturæ indicium facit.

Diverſitas Coloris in ſanguine, collum columbæ variegatæ referens, ſignificat pravorum humorum varietatem. *Albus color*, interdum ex optima concoctione proficiſcitur. Sanguis enim in venis incipit dealbari, quo, ulteriore digeſtione ſuperveniente, convertatur in ſubſtantiam membrorum, quæ, quia ſunt albi coloris, neceſſe eſt, ut illa digeſtio dealbando procedat; quæ quidem incipit in venis magnis, & in minoribus terminatur, donec ad membra digeſtionis tertiæ pervadit.

In ſumma parte ſanguinis innatat interdum *pingue* quiddam, & adipoſum, telæ aranei non abſimile; quod maxime corporibus obeſis accidit.

Graveolentia Sanguinis, putredinem & corruptionem arguit.

Serum, ſive ſubſtantia quædam aquoſa, ſanguini coagulato ſupernatat, ſicut ſerum in lacte. Eo ſi abundet Sanguis, aut potum liberaliorem, aut jecur infirmum, aut renes imbecilles vel obſtructos prodit. Hoc tamen humore non prorſus deſtitui debet ſanguis, requiritur enim ad illum humectandum, quo liberius venas anguſtas permeare poſſit. Notatur autem ſeri privatio, in multum jejunantibus ac vigilantibus, iis, qui utuntur cibis ſiccis & calidis, iisque, qui multum exercentur corpore & animo.

Sub-

Subtilitas aut *Craſſities ſanguinis* maxime deprehenditur, ſi maſſæ illius cum cultello aut ligillo fiat *Sciſſio* & diviſio. Nam, ſi non reſiſtat, ſed diviſioni obediat, laudabilis ſanguis habetur. Si difficulter incidatur, id viſcoſitatem & craſſitiem ejus deſignat. Si ſanguis nullo modo admittat inciſionem, quamvis facile dividatur, (ſicut apparet in aqua & oleo, cæterisque liquoribus, qui diviſioni quidem non reluctantur, ſed tamen non inciduntur,) is ſanguis nimis ſubtilis eſt, & imperfectam digeſtionem commonſtrat.

Scarificatio per cucurbitulas, adhibetur ad ſanguinem e minutis venulis exſugendum, aut in alium locum derivandum: vel, ut membrum incaleſcat, & ſanguis eo trahatur; item, ut dolor ſedetur. Speciatim cucurbitulæ ſcapulis applicitæ, gravedinem tollunt, vel mitigant, caput alleviant, & doloribus dentium medentur. Renibus admotæ, ſcabiem, & pectoris ægritudines ſanant. Pro cucurbitulis adhibentur interdum *Hirudines*, quæ ſunt inſecta paluſtria, oblonga, inſtar lumbricorum.

Cauteriis quoq; humores attrahuntur, exſiccanturque, ne, hinc inde diſperſi, partes primarias offendant.

Cauteria non adhibenda infantibus, pueris, nec valde ſenibus. Et haud quidem pueris ac infantibus, ob nimiam mollitiem membrorum, in quibus inflammatio facile excitari poſſet: in ſenibus vero, propter ſiccitatem: itaque obeſis & pinguibus maxime conveniunt.

Cauterium, ſi evacuationis gratia paretur, tenendum eſt apertum, ut humor attractus in ſufficienti qualitate poſſit effluere: cæteroqui repellitur materia, & in alium locum convertitur.

Cau-

Cauteria ſub genubus, reliquis præferuntur, cum ratione ſitus corpus melius expurgent, & humiditates corruptas, a partibus nobilioribus, ad ignobiliores deducant.

Purgatio, eſt humorum qualitate peccantium, concoctorum tamen & bene præparatorum, ex corpore, per inferiora, medicamentis purgantibus procurata, conveniens eductio.

Medicamenta purgantia totam maſſam ſanguineam conturbant, & ſemper aliquid virium exhauriunt.

Ea minime adhibenda ſunt, ſi humorum adſit paucitas; ſi corpus ſit ſanum, & bonæ temperaturæ; ſi vires ſint poſtratæ; ſi ventriculus imbecillis.

Semper potius in parva quam magna doſi purgandum, & tempore paroxyſmorum, abſtinendum a purgatione.

CAPUT VIII.

De Animi Affectibus.

Corporis, cum anima, individua eſt ſympathia: quamobrem hujus quoque perturbationes vitandæ ſunt. Nempe, Mœſtitia, exſiccat oſſa; Ira, brevis inſania eſt; Amor inordinatus, ipſum animum captivum detinet, & corpori magnum detrimentum infert. Etiam nimium Gaudium multos extinxit. Ergo dominari affectibus oportet, non ſervire. Huc facit Scholæ Salernitanæ primordium, his omnino conceptum verbis:

Anglorum Regi ſcribit Schola tota Salerni:
Si vis incolumem, ſi vis te reddere ſanum,
Curas tolle graves, iraſci crede profanum,
Parce mero, cœnato parum, non ſit tibi vanum

Sur-

Surgere post epulas, somnum fuge meridianum:
Ne mictum retine, nec comprime fortiter anum.
Hæc bene si serves, tu longo tempore vives.

CAPUT IX.

De Morbis in genere.

MOrbus, est partium viventium corporis humani, ad actiones naturales exercendas, ex præternaturali earum constitutione, exorta impotentia.

Tempora morbi sunt quatuor: *Principium*, in quo crudus est morbus. *Incrementum*, in quo symptomata ingravescunt. *Status*, in quo inter morbum & naturam maxima est pugna, & signa tam salutis, quam mortis manifesto se exhibent. Denique *Declinatio*, in qua morbus, a natura victus, mitescit.

Morborum *differentiæ* multæ sunt & variæ. Juvat notare præcipuas.

Morbus Unus est, qui unam partem, vel plures, verum sine ulla interruptione, occupat.

Morbus Compositus est, qui ex pluribus morbis, in eadem parte concurrentibus, constat.

Morbi Disjuncti sunt, qui, in sejunctis partibus hærentes, nec eidem actioni nocent, nec ad mutuam generationem quicquam conferunt.

Morbi Acuti sunt, qui decimo quarto; *Peracuti*, qui septimo; *Perperacuti*, qui quarto; *Acuti ex decidentia*, qui quadragesimo die terminantur. Morborum Acutorum id proprium est, ut, statim a principio, gravia symptomata secum afferant.

Morbi Lethales sunt, qui semper, aut magna ex parte, perimunt, quia focus illorum tam longe abest, ut

ut illuc medicamenta integris viribus pervenire nequeant.

Morbi Dubii ſunt, a quibus multi ſanantur, & multi intereunt.

Morbi Critici ſunt, qui mutatione magna, per evacuationem vel translationem, finiuntur. Eſt enim *Criſis*, repentina in morbo mutatio, ad ſalutem, aut ad mortem. *Criſin ſolent præcedere*, capitis dolor ingens, jactatio corporis & anxietas, ſitis inexplebilis, difficultas reſpirandi, pulſus inæqualitas, & alia ſymptomata.

Morbi non critici ſunt, qui paulatim diminuendo ſolvuntur.

Morbi Ordinati ſunt, qui typum ſuum ſervant.

Morbi Erratici ſunt, qui, typum ſuum negligunt.

Morbi Recidivi ſunt, qui cum putabantur eſſe penitus finiti, denuo revertuntur.

Morbi Univerſales ſunt, qui totum corpus afficiunt.

Morbi Particulares ſunt, qui partem unam vel plures afficiunt.

Morbi Organici ſunt, qui inſtrumenti rationem & ſymmetriam infringunt.

Morbi Hereditarii ſunt, qui vitio ſeminis, aut ſanguinis materni, propullulant.

Morbi Endemii ſunt, qui unam tantum regionem aut locum, ſemper, vel potiſſimum infeſtant.

Morbi Epidemii ſeu *Vulgares* ſunt, qui certo quodam tempore, nunc in una, nunc in pluribus regionibus, multos ſimul infeſtant, & plerunque peſtilentes ſunt.

Figuræ Morbus eſt, quando figura partis a naturali ſtatu ita recedit, ut ob eum actio partis vitietur, &

recte exerceri non possit; quod fit, ubi ea, quæ recta sunt, curvantur, aut, quæ curva, recta evadunt.

Meatuum & Cavitatum Morbus est, quando cavitates & meatus contra naturam sunt dispositi, & vel nimium patent, vel nimia angustia laborant. Angustia vero illa vel est Coalescentia, vel Constipatio, vel Obstructio, vel Subsidentia, vel Contractio, vel Compressio. *Coalescentia* est, quando particulæ & tunicæ uniuntur. *Constipatio* est, quando a carne cavitati annata, aut tumore in ipso meatu genito, vel angustior redditur, vel plane occluditur cavitas. *Obstructio* est, quando meatus, ab incidente, intusq; hærente materia, quasi infarcti, angustiores fiunt. *Subsidentia* est, cum meatus quasi subsident. *Contractio* seu *Constrictio* est, cum meatus constringuntur: quod accidit ob spiraculorum cutis densitatem, aut siccitatem. *Compressio* est, cum a re aliqua externa incumbente, & comprimente, meatus angustior redditur, vel plane occluditur.

Morbi Connexi sunt, quorum prior est posterioris causa, ob societatem & cognationem. Talis cognatio est inter Ventriculum & Cerebrum.

Morbus Benignus est, qui nihil gravium symptomatum contra propriam naturam habet.

Morbus Malignus est, qui pejora, quam pro suæ naturæ ratione, habet symptomata. Itaque in morbo maligno æger est inquietus, sine causa horret, incalescit, sanguinem stillat.

CAPUT X.

De Morbi signis Diagnosticis.

MOrbus cognoscitur, ab essentialiter inhærentibus; a causis, quæ adsunt, vel præcessere; a corpo-

poris diſpoſitione, ejusque qualitatibus, Colore, Odore, &c. mutatis; ab actionibus naturalibus vel vitalibus læſis; denique a Sangvine, Pulſu, Urina, Fæcibus, Sudore, Sputo.

Quod ad *Sanguinem* attinet, de eo jam modo pictum eſt.

Pulſus Æqualis, naturæ firmitatem; *Inæqualis*, vaſorum obſtructiones, vel humorum abundantiam; *Velox*, aut *Validus*, vires adhuc fortes, certe non admodum debiles; *Tardus*, itemque *Debilis*, contraria omnia, & ſpirituum oppreſſionem ſignificant.

Medici, pulſum explorare volentis, manus temperata eſſe debet, nec nimis calida, aut frigida. Ingreſſoque ad ægrum, non ſtatim arteria tangenda, ſed prius exſpectandum, quoad ægrum animo tranquillo & pacato eſſe animadvertit.

Manus tangenda, eſto quieta, & modice inflexa; non depreſſa, non vinculo conſtricta; nec prona in volam, aut reſupina.

Temperamento calido præditi, pulſum celerem, crebrum, & vehementem edunt: frigidi, contrarium.

In Infantibus puerisque pulſus eſt celerrimus, & creberrimus: in Senibus, rarus ac tardus.

Poſt cibum aſſumtum, poſt exercitationes & ſomnium, item ex animi affectibus, pulſus alterationem patitur.

Corporis temperati pulſus prius eſt cognoſcendus, ut ad illum, quaſi normam, reliqui pulſus conferantur, & æſtimentur.

Urina, ſive ſerum ſanguinis, renum vi ſecretum, multas exhibet ſignificationes.

Tenuis Urina, ſignificat immoderatum potum, renum & ureterum obſtructionem, & imminutam concoctionem.

Craſſa Urina, ſignificat ſolutam aliquam obſtructionem, vel ruptum abſceſſum, vel alterius materiæ craſſæ permiſtionem.

Perſpicua ſeu Clara Urina, cui nubecula ineſt, ſignificat integram perfectamque concoctionem, & humorum bonitatem.

Rubra Urina, ſignificat calorem jecoris, vel febrem.

Crocea Urina, ſignificat rhabarbari, croci, vel fœniculi uſum.

Turbida Urina, ſignificat craſſorum humorum copiam in venis, renum aut veſicæ affectum, vel obſtructionis ſolutionem.

Nigra Urina, ſignificat ſummum incendium, & bilis atræ permiſtionem.

Moderata Urina, ſignificat moderatam ſeri abundantiam.

Copioſa Urina, ſignificat immoderatum potum, aut renum vitium.

Pauca Urina, ſignificat potus penuriam, meatuum urinæ, uti renum, ureterum, veſicæ obſtructionem, aut craſſum & viſcidum humorem, qui difficulter excernitur.

Odora Urina, ſignificat moſchi aut terebinthinæ uſum.

Fœtida Urina, ſignificat eſum putris caſei, allii, aut ulcus renum.

Cruenta Urina, ſignificat renum & lumborum ulcus, aut contuſionem.

Furfuracea aut ſquamoſa Urinæ corpuſcula, ſignificant veſicæ ſcabiem, aut exulcerationem.

Fila-

Filamenta, albis capillis ſimilia, a renibus pro-veniunt, vel vaſis ſpermaticis; atque in iis plurimum apparent, qui gonorrhæa fuere correpti.

Pinguedo, telis aranearum ſimilis, hominem tabe conſumi, indicium facit.

Arenulæ rubræ & flavæ, a renibus, albæ, a veſica proficiſcuntur, illarumq; partium calculum minantur.

Carunculæ exiguæ, in urina craſſa, ab exulceratis renibus proveniunt.

Sanguinis grumi in arena conſpiciuntur, cum vel ex ulcere, vel ex læſo, rupto aut hiante vaſe, in partes, per quas arena tranſit, ſanguis emittitur.

Pus, indicat partium etiam ſuperiorum, præcipue vero urinæ meatuum, ulcus.

Pituita craſſior, inſtar muci narium, matulæ fundo inhæreſcens, cum dolore emiſſa, veſicæ calculum, aut ulcus innuit.

Vermes, corruptam, putridam & ſordidam materiam arguunt.

Corona, quæ ſupremam faciem in vitro ambitu cingit, qualis in vaſis majoribus ſit ſanguis, oſtendit. Ergo tenuis & alba, ſanguinis diluti, & ſero tenui perfuſi; craſſa & alba, pituitoſi; citrina, naturalis; crocea, bilioſi; rubra & ardens, fervidi & accenſi; cærulea & livida melancholiæ index eſt.

Spuma multa urinæ citra agitationem innatans, flatus plurimos in corpore vagari, & cholicum dolorem, ex fructuum vel leguminum immoderato eſu, aut inſiti caloris imbecillitate, imminere, deſignat.

Bullæ magnæ, perverſos & craſſos humores; *parvæ*, capitis dolores connotant.

Inſpectio Urinæ quo rite peragi queat, opus eſt, ut in vaſe puro, pellucido, & oblongo, a ſomno,

prima concoctione expleta, excipiatur; quanquam in morbis acutis, quavis diei parte, recte excipitur. Excipienda autem unica vice, neque per vices emissa commiscenda.

Conservanda est Urina in vase obturato, procul a Sole, & loco immuni a nimio calore aut frigore, nec movere aut agitare illam convenit. At, si forte vel frigoris vi, vel sponte sua crassescat turbeturque, igne levi, aut aqua calente, citra commotionem, dissolvenda.

De Urina judicium facturus, in loco nec obscuro, nec nimium lucido, post unam ab emissione horam, eam considerare debet, nec ultra sex horas inspectio differenda.

Fæces corporis, si spumosæ & flatulentæ fuerint, nisi id fiat a cibis flatulentis, ebullitionem significant.

Sanguineæ fæces, malæ sunt, nisi id fiat ab hæmorrhoidibus. Similiter malæ sunt Pituitosæ, Chylosæ, quæ Vermes habent admixtos, quæ nimis graveolentes sunt, quin & eæ, quæ omnino non fœtent, quia, nullam alterationem factam, ostendunt.

Liquidæ fæces, alimenti liquidi, cruditatis, obstructionis, aut capitis imbecillitatis; *Duræ & Siccæ*, sicci alimenti, aut caloris exuberantis argumentum præbent. *Molles* ergo laudabiles.

Sudor omnis significat vel humorum copiam, vel retentricis facultatis imbecillitatem. *Crassus*, pituitæ crassæ, aut obstructionis; *Tenuis*, pororum & venarum angustiæ est commonstrator.

Multus Sudor in sanis præsignificat morbum: aliàs cutis raritatem & laxitatem; interdum potus nimietatem declarat. *Paucus sudor*, est propter humorum in-

inopiam, uti in ſenibus, quorum membra arefacta humorem omnem ebibunt.

Color Sudoris pallidus eſſe debet; cui nempe aliquid bilis miſcetur, ſicut in urina.

Graveolentus Sudor, niſi ex alimentis, uti porro, cæpis, allio, ruta, proveniat, putredinem patefacit: unde ſcabioſi & leproſi ſudor fœtet, & ſudor ſub axillis male olet, quia non diſpellitur.

Sapor in ſudore ſalſus, naturalis ſtatus, *Amarus*, bilis admixtæ indicatio eſt.

Frigidus ſudor, in acutis morbis mortem, ob ſuperatum calorem nativum, in chronicis, morbi diuturnitatem declarat.

Sudores, qui in morbis cœperunt, & ſtatim deſinunt, ſunt mali; ſudor totius corporis, bonus. Si *una pars* tantum ſudet, id malum portendit: niſi quod *Faciem* excipere oportet, in qua propter cerebri humiditatem facile ſudamus. *Sudor nocturnus* ſignificat alimenti copiam.

Sputum, ex ore exſcreatur: *Saliva*, ex ore ſine tuſſi ejicitur.

Ex Sputo & Saliva, de iis partibus, quæ ad reſpirationem pertinent, fit judicium.

Craſſeſcit Saliva, cum pituita craſſa, a cerebro defluens, ei miſcetur.

Spumoſa Saliva, aërem aut ſpiritus commixtos, loquutionem item aut motum vehementiorem comprobat; unde in Equis ſaliva ſpumoſa eſt.

Multa Saliva, humiditatem & frigus cerebri, vel imbecillitatem aut humiditatem ventriculi, vel calorem tenuantem, vel cibi aut potus abundantiam declarat. *Pauca*, eſt propter calorem glandularum & faucium.

Nigra Saliva, nisi sit eorum, qui ad lucernam vigilant, lethalis censetur. Ejusdem census est *viridis*. *Flava*, & *pallida*, cruditatem, *rubra*, pleuritidem indicant. *Salsa* & *Amara*, a nimia pituita provenit. *Dulcis*, est optima.

Huc revocatur *Mucus, qui ex naribus emanat*, cerebri excrementum. Is si *copiosus* & *tenuis* sit, frigoris; si *paucus*, siccæ beneque temperatæ naturæ signum est. *Albus*, est a pituita sincera; *pallidus*, ex bile. *Acris*, gravedinem futuram; *fœtidus*, ulcus capitis; *sponte effluens*, ut in pueris & senibus, humorum copiam, indicant. Est quoque *mucorum multitudo*, ingenii stupiditatis, & memoriæ debilitatis, character.

Sordes Aurium etiam significativæ sunt: & *dulces* quidem mortem portendunt; *tenues*, cruditatis; *paucæ* & *siccæ*, sanitatis augurium exhibent; *multæ* & *frequentes*, cerebrum laborare revelant. *Subflavæ* & *albe*, optimæ judicantur.

CAPUT IX.

De Morbi Eventu.

EVentus Morbi, terminationem ejus præcipue respicit, quæ est vel ad Salutem, vel ad Mortem.

Morbus terminatur vel per *Solutionem*, quando sensim per coctionem & alterationem sanitas redit: vel per *Marasmum*, quando paulatim ad mortem convertitur: vel per *Crisin*, quando subito & perfecte morbus solvitur; eamque mutationem vel sanitas, vel mors consequitur.

Dies Critici, sunt septimus & nonus quisque, atque in iis mutationes insignes fieri creduntur, ob Lunæ

Lunæ progreſſum, ad Signa quadrata & oppoſita, tum ad Sextilem vel Trigonum: & ob motum & diſpoſitionem humorum, qui, ab humoribus Lunæ ejusque motu concitati, pugnam cum materia morbifica ineunt, eam expellunt, & criſin, ſive ſubitam in melius aut pejus mutationem efficiunt.

Symptoma, generaliter omne id notat, quicquid præter naturam homini accidit; ſive morbus, ſive cauſa morbifica, ſive ſuperveniens accidens præternaturale fuerit. Atque quo minora & pauciora ſunt ſymptomata, eo debilior morbus exiſtit.

Terminatio Morbi, & utrum is futurus ſit ſalutaris, an lethalis, ex actionibus naturalibus, vitalibus & animalibus, excretis item, & qualitatibus mutatis colligitur. Non, quod iſta ſtatim ſalutem vel mortem indicent, ſed, quod aut ſpem ſalutis promittant, aut metum mortis incutiant.

Ratione Actionum Naturalium bonam ſpem facit, ſi bene ſe æger ad ea quæ offeruntur, habet: ſi ea, quibus per ſanitatem delectabatur, comedit.

Malum eventum minatur, ſi, exſolutis viribus, cibos æger appetit: id enim moribundis accidit, vel ob humorem acidum, ad ventriculum delabentem; vel ob maximam corporis a morbo reſolutionem. Huc refertur, ſi æger in morbis acutis cibos faſtidit, &, lingua arida exiſtente, non ſitit.

Ratione Actionum Vitalium bonam ſpem facit, ſi pulſus a naturali ſymmetria non multum recedit; ſi reſpiratio ſecundum naturam ſe habet; ſi nulla adeſt cordis palpitatio. *Malum eventum* minatur, ſi pulſus ſit languidus, tardus, ratus: ſi reſpiratio nimis magna & velox, aut parva & obſcura; vel cumſtertore conjuncta.

Ratione Actionum Animalium bonam spem facit, mentis constantia, decubitus haud irrequietus, & naturali similis. *Malum eventum* minantur, Delirium; Somnus & Vigiliæ, si modum excedant; Auditus læsio; Stupor, quia vel humoris vitiosi ad cerebrum delati, vel caloris nativi extincti, indicium est; Convulsio, Singultus, Tremor, Horror, Rigor, & Torpor; Vox clangosa, aut nulla.

Ratione Excretorum & Retentorum, quæ bonam aut malam spem faciant, dictum est capite præcedente.

Ratione Qualitatum mutatarum bonam spem facit, totus corporis habitus, si non multum sano dissimilis redditur: si Hypochondria dolore vacent, & fuerint mollia. *Malum eventum* minantur, habitus corporis, qui nihil in morbo mutatur, ejus diurnitatis index; nasus acutus, & pruriens præter morem; oculi concavi, aut tumidi & prominentes; vel, si alter altero minor sit, aut si venulas habeant lividas & nigras; item, si sponte lacrymentur, aut non plane clausi sint. Amplius huc revocantur, adstricta tempora, aures frigidæ & contractæ, cutis circa frontem dura; color totius vultus viridis aut niger; dentes stridentes; lingua arida, dura, nigra; hypochondria dolore aut inflammatione vexata; ungues lividi & nigri, si corpus simul ægrum sit; nam, in melius habentibus signum eos morbi discedentis accipere oportet.

CAPUT XII.

De Morborum Differentiis, & speciatim de Morbis Externis.

MOrbi ſunt vel Interni, vel Externi. *Externi*, ſuperficiem corporis afficiunt. Species ſequuntur.

Corpulentia nimia, eſt molis corporeæ, ex carnis & adipis augmento, nimium incrementum.

Gracilitas nimia eſt, quando corpus aut ejus partes minus carne & pinguedine opplentur, quam æquum erat, unde & deformitas oritur, & ad munera obeunda imbecillitas.

Luxatio, eſt articuli, e ſua ſede, in alienam, cum motus arbitrarii impedimento, prolapſus, ex tenſione vel impulſione violenta, aut humore nimio ortus. Luxati articuli hoc indicium eſt, quod ab una parte articulus extuberat, ab altera ſinum habet, membrique figura pervertitur.

Abſceſſus, eſt purulentæ materiæ, ex humore tumorem excitante, ortæ, in partis alicujus cavitate collectio.

Ulcus, eſt continui, cum imminuta magnitudine, in parte molli, a materia erodente, exorta ſolutio.

Fiſtula, eſt ulcus ſinum habens anguſtum & longum; caro vero, quæ fiſtulam circumdat, eſt alba, ſicca, & durior. Oritur ab humorum pravorum copia.

Ulcus corruptum ſeu *exſudans*, das Gliedwaſſer/eſt, cum caro corrupta, lardi inſtar alba, mollis tumidaque apparet, & ab ea ſeroſus ichor, aquam limpidam referens, exſudat. Ex vulnere, in articulorum regione membranea & nervoſa inflicto, prodire

ſolet, & dolorem ſummum ſæpe, ac contractionem membri vel gangrænam infert.

Vulnus, eſt unitatis in parte molli, a re ſecante, & acuta, vel cæſim, vel punctim, facta ſolutio. Curatur labiorum ejus conjunctione.

Fractura, eſt oſſis, a cauſa externa, violenter irruente, diviſio.

Inflammatio, eſt partium carnoſarum præter naturam tumor, a ſanguine ibidem affluente exortus.

Bubo, eſt inflammatio glandularum, ſub axillis vel inguinibus exorta: cujus cauſa eſt ſanguis, in glandulas cum humore vitioſo illapſus.

Phygethlon ſeu *Panus*, eſt tumor durus, ſine ſuppuratione ad glandulas ſubcutaneas obortus, cum dolore inſigni urente & mordicante, ab ichore ſive humiditate ſanguinis, ibidem ſtagnante, proveniens.

Ruga eſt, cum cutis, quæ antea magis diſtenta erat, collabitur, & flaccida evadit, idque ſenibus accidit, ob corpus exſuccum.

Furunculus, eſt tuberculum in acutum tendens, ovum columbinum magnitudine non excedens, rubore & dolore, dum in pus vertitur, notabile. Oritur a ſanguine craſſo, nec multum exuſto.

Parotis, eſt glandularum circa aures inflammatio, a ſanguine puro, vel vitioſis humoribus mixto, profecta.

Paronychia, **Wurm am Finger /** eſt tumor in extremis digitis, ad latera unguium exortus. Cauſa eſt ſanguis aduſtus, interdum malignus, quem natura eo detrudit.

Maculæ Unguium ſunt, cum ungues maculis albis exilibus notantur; quæ, circa radicem primum exortæ,

tæ, una cum ungue crescunt, donec cum eo amputentur. Eas notas, si in adultis & senibus appareant, pro vivacitatis signo vulgus accipit. Oriuntur a nutrimento, si in eo portiuncula aliqua sit, ab ea, quæ pellucidam unguium substantiam reparare debebat, aliena; aliunde, uti ab ossium vicinorum nutrimento crassiore, decedens, & lucidiori unguium alimoniæ permista.

Ecchymoma, est sanguinis in spatia vicina, unde pars lividum colorem accipit, transfusio. Causæ sunt variæ, uti Anastomosis, quando oscula vasorum nimium aperiuntur & dilatantur; item Diapedesis sive transsudatio, Diæresis, ac Contusio.

Carbunculus, est tumor, ex sanguine adusto, crasso, ferventissimo, in atram bilem degenerante, quique partem corrumpit, exortus.

Erysipelas seu *Ignis Sacer*, Rothlauf/ est affectus, a sanguine bilioso, in aliquam partem subcutaneam confluente, cum macula rubra, lata, dispersa, citra extuberantiam manifestam exortus. Oritur igitur Erysipelas, cum sanguis biliosus e venis tenuioribus propulsus, nequaquam in carne subsistit, sed sua tenuitate, in cutem fertur & evolat, quæ densior & compactior hunc retinet cohibetque. Apparet plurimum in imo tibiarum, interdum in collo, facie, locisque aliis, rubore plus minusve expanso; quæ rubedo ex compressione refugit, mox vero redit, tandem flavescere incipit, deinde pallere, donec penitus evanescit. Conjunctum habet Erysipelas ardorem ac pruritum, acceditque sæpe febris.

Herpes, seu *Formica*, est tumor, a bile flava, sincera, & ab aliis humoribus secreta, in superficie partis alicujus excitatus, & ad vicina serpens.

Her-

Herpes exedens, der Wurm / est, cum quædam pustulæ parvæ, siccæ, altiusque cuti immersæ prodeunt, illisque ruptis cutis exulceratur, nec saniem tamen aut pus reddit; & licet illic rursum sanetur, tamen aliis denuo pustulis erumpentibus, nova ulcera arida emergunt.

Fissura simplex, *Rima*, Schrunden / Risse / est, quando cutis secundum fere lineas & plicas, prout illæ feruntur, vel in longum, latum, aut transversum finditur, & pro ratione profunditatis, plus minusve hiat, unde dolor lancinans oritur. Tales fissuræ in manuum volis, plantis pedum, labiisque oris frequenter accidunt; causamque habent exsiccationem nimiam, quæ ab humore acri salsoque, aut calore vel frigore provenit.

Pernio, Erfrorne Fersen / est ad ulcus tendens fissura, cum scilicet fissuræ altius descendentes, ob cutis crassitiem, labiis duris & prætumidis hiant, ulcerumque instar saniem reddunt, atque in ulcera perversa tandem desinunt. Id vitium, a frigore summo, in pedum plantarum crassa cute evenit.

Excoriatio, *Abrasio*, est, quando cuticula vel illius portio aliqua superficiaria, a vicina cute separatur & abscedit, unde dolor lancinans, ex contactu præsertim, oritur.

Ustio, Brandt / est, quando cuticula, vel cutis, nonnunquam & subjecta caro, a rebus ferventibus læditur, quandoq; etiam aufertur. Interdum enim superficies tantum inflammatur, unde dolor ardens & molestus succedit: interdum cuticula gravius afficitur, ita ut a cute elevata in vesicam abscedat; interdum caro simul absumitur, & tunc ardores, punctionesque graviores oriuntur.

Oede-

Oedema, est tumor, a materia pituitosa, in partes a facultate expultrice detrusa, exortus.

Scirrhus, est tumor, sine dolore durus, ab humore melancholico, crasso, viscido & lento exortus.

Cancer, est tumor rotundus, lividus, aut subniger, venis circum circa turgidis & repletis pedes cancri referens, a bile atra exortus. In qualibet corporis parte nasci solet, sed maxime in fœminarum mammis: atque ex eo sanies putris, fœtida, subflava promanare solet.

Scabies, est tumor, a sanguine corrupto exortus, cum cutis intemperie, & exulceratione affligens.

Scabies maligna capitis, der Erbgrind/ est, quæ capitis cutem, capillis consitam, infestat, & multis foraminibus ad calvariam usque perforat, promanante inde sanie glutinosa, cujus portio siccata crustam parit. Differt a simplici scabie, quòd ea summam duntaxat cutem obsidet, ejusque nota est, quod evulsorum capillorum radices, crassæ, albæ, & lento humore obsitæ conspiciuntur. Parit, radices capillorum corrumpendo, eorum defluvium, unde & in sanatis areas nudas relinquit. Oritur a salso & pravo humore, inter crassam capitis cutem, & calvariam congesto, diutiusque retento & putrescente, qui radices capillorum rodit, cutemque perforat.

Phlyctænæ, sunt vesiculæ, in cute, ab humoribus acerrimis excitatæ.

Sudamina, sunt exanthemata, granis, milii similia, quæ cutem ulcerosam exasperant. Oriuntur a nimiis sudoribus sub cute coërcitis.

Sirones, vel *Chirones*, sunt pustulæ, in volis manuum, vel plantis pedum, vermiculos intus habentes.

Va-

Vari, ſunt tumores duri & parvi, in faciei cute, a craſſo ſucco congregati.

Epinyctides, Nachtblattern / ſunt ulcuſcula, ſua ſponte, noctu præſertim, in eminentibus partibus erumpentia, bullis ſimilia, quibus diſruptis cruenta ſanies effluit.

Alphus aut *Morphea*, ſunt maculæ magnæ, cuti, cujus colorem mutant, ſparſim, cum aſperitate quadam, inſidentes. Oriuntur a ſanguine male nutriente.

Leuce, eſt macula continua, & cutis & carnis colorem & ſubſtantiam mutans. Oritur a pituitoſo ſanguine.

Impetigo ſeu *Lichen*, Zittermahl / vocatur, cum puſtulæ in cute duræ, & ad vicina ſerpentes, ſiccæque, cum aſperitate & pruritu magno conjunctæ, oriuntur. Oritur a tenui, acri, ſeroſo, & cum humore terreſtri mixto ſucco.

Gutta Roſacea, eſt tuberoſus, puſtuloſus interdum, & guttas roſaceas referens, faciei rubor. Oritur ex ſanguine craſſo & fervido, ad faciem delato, & ibi hærente.

Strumæ, ſeu *Scrofulæ*, Kropf / ſunt ſcirrhoſus glandularum tumor, peculiari membrana concluſus. Oriuntur ab humore pituitoſo, melancholico permiſto, qui a cruditate ciborum provenit.

Ganglion, eſt tumor ſupra os ſitus, a nervi præter naturam convolutione, qui in unum corpus coaluit, proveniens. Oritur, cum occaſione ictus, extenſionis, aut laboris, nervus vel tendo extenditur, & quaſi rumpitur: inde partis nervoſæ humor exſudat, circa fibras & nervoſas partes adhæreſcit, & a facultate illarum formatrice, in hanc ſubſtantiam mutatur.

No-

Nodi ossium callosi, Oberbein/ sunt in osseis sedibus tumores durissimi, qui firmiter subjectis ossibus insistunt, nec ab illis loco moveri possunt.

Verruca, Wartze/ est tumor parvus, pisi vel ciceris instar e cute prominens, insensilis. Oritur a materia crassa & pituitosa, vel ex succo cuti & cuticulæ alendæ destinato.

Callus cutaneus, est obdurata cutis, ex labore in palmis, & inferioribus pedum plantis succrescens, doloris expers.

Clavus, Hüneraug/ Leichdorn/ est verruca callosa, parte summa clavorum capiti similis, in digitis plantisque pedum, ex calcei pressu, aut intertrigine pronascens.

Vari, Pfinnen/ sunt pustulæ duræ, nonnunquam & callosæ, interdum humorem aliquem exsudantes, ac occupantes faciem.

Psydracia, sunt pustulæ, quæ capillosam capitis, aut barbatam in mento sedem occupant. Oriuntur ex succo crassiore, ad poros redundante.

Varix, Krampfader/ est venæ dilatatio. Fit præcipue in cruribus, interdum & sub umbilico. Oritur a crasso sanguine, illuc vel pondere delapso, vel a causa violenta detruso.

Lepra, est tumor totius corporis cancrosus, ex atra bile, venenata qualitate infecta, & in totum habitum corporis effusa, exortus, multa symptomata inferens.

Lentigines, sunt maculæ, lentis magnitudine, modo faciem, modo pectus, modo manus defœdantes, plurimum fusco colore præditæ. Oriuntur a sanguine, ab internis causis, aut a Solis ardore adusto, cuticulam, frontis imprimis, quia ea densior, atque sic vapores diutius retinet, occupante.

Næ-

Nævi Materni, ſunt maculæ, ab imaginatione materna fœtui impreſſæ: eas infans in lucem editus mox ſecum ab utero adfert.

Ephelides, ſunt maculæ in gravidis fuſcæ, frontem imprimis, tempora, vel genas occupantes, ſæpe æquantes palmi longitudinem.

Macula Hepaticæ, ſunt maculæ fuſcæ, interdum evaneſcentes, mox emergentes, cum levi quadam cutis aſperitate, & ſquamarum emiſſione.

Pruritus, eſt dolor, deſiderium ſcalpendi excitans, ſine cutis aſperitate & exulceratione.

Malus Odor interdum ex toto corpore, interdum ex partibus, ut alis, pedibus, exſpirat. Oritur ob affluxum humorum excrementitiorum in corporibus humidis, qui, cum libere exhalare non poſſunt, putredinem & fœtorem concipiunt.

Defluvium capillorum eſt, cum capilli hinc & inde decidunt. Oritur ab alimenti defectu, qui eſt in tabidis, aut febri maligna laborantibus; aut ab humoris, radices capillorum exedentis, pravitate.

Calvities eſt, quando pili in ſincipite, ob cerebri ſiccitatem, vel per ætatem, decidunt.

Tinea eſt, quando capilli fruſtillatim, a vermibus quibusdam, in extremitatibus eorundem hærentibus, eroſi, decidunt, & inæquales redduntur. Oritur ab excrementitio humore, cum alimento pilorum in capillos penetrante, & in iis a calore in vermiculos abeunte.

Lanuginoſi pili ſunt, cum poſt defluxum, ex defectu ſucci nutrientis, tenues breveſque pili, meram lanuginem referentes, recreſcunt.

Porrigo, ſive *Furfuratio* eſt, cum ſcalpentibus furfuribus ſimilia ex capitis cute decidunt. Oritur

ab

ab humoribus ſeroſis, bilioſis, & pituitoſis, qui cum alimento pilorum ad caput deferuntur, quorum partibus tenuioribus diſcuſſis, craſſæ circa pilos hærent, & in materiam furfurum abeunt, ac a cerebro calidiore attrahuntur.

Plica, eſt capillorum in cirros complicatio, a materia, capillorum nutrimento utili, corpori inutili, exorta: multa ſymptomata, uti dolores, convulſiones, pediculorum copiam, ungues in pollicibus pedum ſcabros nigrosque, inſtar cornu hircini, invehens. Cauſa ſufficienter explicari nequit. Conjiciunt, eſſe materiam, alimentum copioſum pilis ſuppeditantem, corpori vero noxiam, illis ita familiarem, uti materia ſeroſa in arthritide, unde ſi capilli radantur, ſanguinem fundunt. Vulgus ſuperſtitioſum exiſtimat, Plicam a nocturno ſpectro, capillos ſugente & conglutinante, proficiſci. Curatio perfecta nulla, quia cauſæ latent.

Phtiriaſis, eſt pediculorum proventus, qui frequenter in infantibus, mendicis, & immundis hominibus, raro in iis, qui ab immunditie abhorrent, accidit. Naſcuntur ex ſordibus cuti adhærentibus, quas exhalationes & ſudores progenerant. Suntque Pediculi varii generis, alii enim vocantur Vulgares, alii Lendes, alii Inguinales. *Vulgares*, in capitis capillis, palpebrarum ciliis, barba, & ſub axillis, aut alibi, proveniunt. *Lendes*, ſunt pediculi naſcentes; vulgus Ova pediculorum appellat. *Inguinales pediculi* ſunt, qui circa inguina piloſæ cuti pertinaciſſime adhærent, & vehementer lancinant. Naſcuntur, cum humor excrementitius, communium pediculorum materies, etiam vitium aliquod in ſe continet; quale eſt virus illorum, qui lue venerea labo-

rant. Ex occasione notandum, *Pulices* ex corpore non nasci, ut pediculos, sed aliunde provenientes, saltu vestibus se ingerere, atque inde corpori nudo se affigere: ex hoc vero, aculeo intruso, sanguinem sugunt, donec impleantur.

Dracunculi, Miteſſer / dürre Maden / zehrende Würme / sunt vermiculi subcutanei, infantes affligentes, quibus affecti tandem, citra anorexiam sive ciborum fastidium, vermiculis humorem alimentarium depopulantibus, in eam atrophiam & maciem incidunt, ut, cuncta deperdita carne, vix ossibus hæreant, cum tanta artuum titubatione, ut vix pedibus inniti possint, & tunc den alten Vatter nominant. Oriuntur vermes hi ex materia viscosa: tolluntur vero, si infantes linimento ex farina triticea & melle confecto illinantur, & capitella, quæ vermiculi per poros mox exserunt, novacula abscindantur.

Gangræna, seu *Ignis S. Antonii & Marcelli*, der kalte Brand / est partium imprimis molliorum, ad mortificationem tendens, corruptio, a caloris nativi in parte corruptione, suffocatione, dissipatione, vel extinctione procedens. Oritur interdum a frigore nimio, calorem partis opprimente, ac morsu venenatorum animalium.

Sphacelus, est perfecta partis mortificatio, ipsa ossa invadens, cujus signa, carnis frigiditas, flacciditas, nigredo, graveolentia, cutisque a subjecta carne digitis separatio.

CAPUT XIII.

De Morbis internis, & ſpeciatim de Univerſalibus.

MOrbi Interni corpus intime afficiunt, ſuntque vel *Univerſales*, quibus totum corpus, vel *Particulares*, quibus aliqua ejus pars affligitur. Sequuntur Morbi Univerſales.

Febris in genere, eſt intemperies totius calida, quæ a calore præter naturam in corde accenſo, ac mediantibus ſpiritibus & ſanguine, per venas & arterias in totum corpus diffuſo, oritur, & actiones naturales ſymptomatum congerie lædit. *Pars affecta* igitur eſt Cor, in quo primum calor accenditur, mox totum corpus, ſaltem ratione nobiliorum partium. *Cauſa* eſt, quicquid calorem in corpore accendit. Qualia ſunt Motus; Putrefactio; Contactus; & vicinia rei calidæ; imprimis vero Conſtrictio pororum, ſi acriores fuligines intercipiantur, & corpus ſit minus ſanum. *Symptomata* ſunt, Sitis, Singultus, Vomitus, Alvi profluvium, Linguæ ariditas, nigredo & aſperitas, Lipothymia ſive Syncope, Dolor capitis, Vigiliæ, & Convulſiones epilepticæ.

Species febris variæ ſunt.

Febris Ephemera eſt, quæ a ſpirituum vitalium in corde incendio oritur, & ſpatio unius diei durat. Curatur, Venæſectione aut Purgatione. Signa ejus ſunt, Laſſitudo ſpontanea, citra corporis exercitium; Gravitas circa frontem & tempora; Narium pruritus; Pulſus magnus, frequens, celer; Reſpiratio difficilis; Urina ſolito craſſior & rubicundior.

Febris Synocha simplex, seu *Ephemera plurium dierum*, est febris sine putredine, a spirituum & tenuioris sanguinis effervescentia, in corpore plethorico, ex prohibita transpiratione, sine remissione, tres, quatuor, vel plures dies perdurans.

Febris Putrida est, quæ a vaporibus calidis, acribusque, e putredine humorum excitatis, & cor præter naturam calefacientibus, exoritur. Invasio ejus fit cum horrore & rigore; Pulsus ab initio parvus; Urinam gignit crudam. Sanatur sudore, vel aliqua excretione.

Causus seu *Febris ardens*, est febris continua, a sanguinis in vasis majoribus putredine exorta, cum ingenti siti, & calore urgente, continue affligens. Accedunt *Signa pathognomica* alia. Nimirum, Corporis jactatio, a magno fervore, tenuiumque vaporum, corpus undique lacessente, acrimonia; Urina pauca, ob sudoris, & caloris urinam absumentis, copiam, eaque interdum cruda & turbida, interdum biliosa & flammea; Dejectio, nisi fæces ab ardore febris indurescant, liquida & crocea; Pulsus celer & inæqualis; Respiratio difficilis; Oris amaritudo, quia bilis tunicam ventriculi internam, ori communem, imbuit; Linguæ ariditas, & nigror, quia ardor linguæ humiditatem absumit, & suas fuligines in lingua relinquit; Desipientia, ob bilis ad caput recursum; somni interdum profunditas.

Febris Periodica in genere spectata, est febris, ab humoribus excrementitiis, in venis inter magnas & capillares mediis, putrescentibus, exorta, certis periodis sine intermissione remittens. Remittit sine intermissione, ob permistionem humoris cum sanguine, qui expelli non potest, nisi coctus. Exacerbatur certis

tit periodis, tum ob appulsum materiæ inæquali copia ad cor, propter loci distantiam, si exacte eas non observet: tum ob communicationem materiæ novæ, a membris secundæ coctionis, si statas periodos teneat.

Febris Tertiana continua est, quæ a sanguine bilioso, in venæ cavæ propaginibus putrescente, exorta, continue, sed tertio magis die, affligit. Remissionis causa est, tum distantia loci, ubi vapores generantur; tum minor ipsorum copia.

Febris Quotidiana continua est, quæ ab humore pituitoso, in venæ cavæ propaginibus putrescente, excitata, singulis diebus suas exacerbationes exercet. Fit exacerbatio præcipue circa vesperam, propter pituitæ motum primo mitem, post acriorem.

Febris Quartana continua est, quæ a sanguine melancholico, in venæ cavæ propaginibus putrescente, exoritur, ejusque calor semper durat, sed quarto die intenditur.

Febres Symptomaticæ sunt, quæ alios morbos insequuntur, iisque sublatis cessant.

Febris Intermittens in genere est, quæ a vaporibus, ex humoribus in venis mesaraicis genitis, putrescentibus, & in venam cavam subinde emissis, prodeuntibus, exorta, certis periodis invadit, & cum excretione desinit.

Febris Tertiana Intermittens est, quæ a bile excrementitia, in venis mesaraicis putrescente, exorta, tertio quoque die, cum rigore, quem calor & alia insequuntur, affligit.

Febris Quotidiana Intermittens est, quæ a pituitæ in venis mesaraicis putredine exorta, singulis diebus invadit.

Febris Quartana Intermittens est, quæ, ab humore melancholico in venis mesaraicis exorta, quarto quoque die ingruit.

Febres Compositæ sunt, quando febris cum febri conjungitur. Conjunctio ista fit varie. Nam, interdum non putrida cum putrida conjungitur: interdum putrida cum putrida: & quidem vel continua cum continua; vel intermittens, cum intermittente; & vice versa. Tales sunt, *Tertiana duplex*, quæ vel singulis diebus semel, vel uno die bis affligit. *Quotidiana duplex*, quæ ægrum 24. horarum spatio bis affligit. *Quartana duplex*, quæ unum quidem diem vacuum relinquit, sed sequentibus duobus molesta est.

Febris Hectica est, quæ a calore partes corporis ita occupante, ut etiamsi a nulla causa foveatur, nihilominus subsistat, exorta, continue affligit, humidum radicale exsiccat, humores secundarios absumit, & omnem in corpore pinguedinem colliquat. Calor ejus nullum dolorem infert, propter alterationem solidarum partium jam factam, & debilis est, propter vaporum paucitatem. Hora tamen una & altera post cibum, propter partium siccarum & solidarum humectationem, augetur, cum pulsu magno & veloci; distributo cibo cessat.

Febres Malignæ in genere sunt, quæ a causis occultis, & ad venenositatem accedente qualitate instructis, exortæ, symptomata solito graviora inferunt, nec tamen multos, nec subito e medio tollunt. Cognoscuntur ex nausea, dolore, æstu, amarore oris, anxietate, & aliis indiciis. Earum Species sunt, Varioli, Morbilli, Febris Petechialis, Sudor Anglicus, Morbus Hungaricus.

Va-

Varioli, ſunt puſtulæ in ſumma cute, partibusque cuti proportione reſpondentibus, cum febre continua, propter peculiarem ſanguinis efferveſcentiam & ebullitionem, a facultate expultrice excitatæ. *Signa* ſunt, capitis cum gravedine, oculorum, colli & dorſi dolor, narium pruritus, reſpirationis imminutio, tuſſis ſiccitas, pedum tremor, ſternutatio frequens, cordis palpitatio; Vrina, interdum ſanorum ſimilis, materia vitioſa ad ambitum corporis protruſa, interdum ob magnam humorum ebullitionem turbida; lacrymarum ex oculis ſpontanea eruptio; febris ex humorum ebullitione accenſio; Macularum proventus. *Cauſa Variolorum*, eſt materni ſanguinis impuritas, quem infans in utero poſterioribus menſibus, quia purior non ſufficit, attrahit. Hic, in totam ſubſtantiam carneam attractus, per aliquot annos inſenſibiliter occultatur: tandem, cum natura hanc impuritatem amplius ferre non poteſt, inſtar muſti ebullientis fermentari incipit, atque ſic, per ebullitionem, purum ab impuro ſeparatur, impuritas per criſin quandam pellitur, & calor cordi communicatur, ac febris accenditur.

Morbilli, ſunt tubercula parva, rubra, in cute erumpentia, cum febre continua, a facultate expultrice, & ſanguinis peculiari ebullitione excitata. Signa & cauſæ non differunt multum a Variolis.

Febris Petechialis, eſt febris maligna, in qua maculæ quædam, pulicum morſibus ſimiles, variorum colorum, rubræ tamen imprimis, in cute apparent. Conſpiciuntur potiſſimum in dorſo, brachiis, cruribus, pectore, locis nimirum, per quas inſigniores arteriæ & venæ tranſeunt; in facie raro, propter aëris appulſum, qui materiam facile repellit. Nullum pun-

cturæ vestigium in earum medio conspicitur, & sic a pulicum morsibus distinguuntur. *Causa*, est humoris putridi pars tenuior, unde facile evanescunt.

Morbus Hungaricus, est febris continua, maligna, & contagiosa, cum magno humorum circa ventriculum & primas vias apparatu, & insigni capitis dolore conjuncta.

Sudor Anglicus, seu *Febris Sudativa*, in Anglia tempore Henrici VII. cœpit, & ægros cum summo capitis dolore, inquietudine, cordis pulsatione, perpetuis & copiosis sudoribus afficiebat. *Causa* conjiciebatur in aëris constitutionem humidam & venenatam, ac spiritibus & subtiliorum humorum parti inimicam; accedente peculiari aliquo siderum, ad hanc corruptionem, influxu. Curabatur meris sudoriferis.

Febris Pestilens, est febris putrida continua, quæ ex aëre potius & contagio oritur, maximam illorum, quos invasit, partem trucidat, putredinem & calorem ex seminarii contagiosi vi sortitur, & majoribus, quam in febri maligna, symptomatibus, bubonibus insuper, & carbunculis affligit.

Cachexia, est universi corporis, in aquosam & tumidam mollitiem, nutritionis culpa, diffusio Oritur ex sanguine pituitoso, crudo, & seroso, qui talis generatur, vel propter alimenta impura, vel propter viscera corrupta & male affecta. Consequitur eam tumor, cum gravitate & inertia in pedibus & manibus, interdum & facie, ob humoris serosi copiam.

Hydrops, est tumor corporis vel partis ejus præter naturam, ob humoris aquosi & serosi, vel flatus

 col-

collectionem exortus. Causa, est nutritionis vitium, ab epatis intemperie frigida profectum.

Anasarca seu *Leucophlegmatia*, est molis corporeæ, præter naturam, per totum corpus æquale incrementum, vitio alimenti exortum.

Icterus vel *Morbus Regius*, die Geelsucht/vel est Flavus, velNiger. *Flavus*, est biliosi humoris flavi, in habitum corporis, effussio. Observatur imprimis in albo oculi, & interno ejus angulo, ob venas ibi majores; oriturque ex iis, quæ bilem copiosam generant, ejusque secretionem, & sanguinis depurationem impediunt: iis item, quæ bilem repente ab interioribus ad circumferentiam corporis expellunt. *Icterus Niger*, est cutis totius corporis in nigrorem mutatio, oriturque ab iisdem causis, a quibus Icterus flavus, nisi quod ibi epar, hic lien peccat.

Atrophia, est totius corporis exsiccatio, & extabescentia, ob frustratam ejus nutritionem exorta.

Scorbutus, est cachexia, ab humore melancholico, peculiari modo corrupto orta: cum crurum debilitate, maculis, gingivarum tumore, & sanguinolentia, dentium laxitate, & aliis symptomatibus affligens. Nam & accidunt interdum Scorbuticis, difficilis respiratio, ventris, crurum, pedum, circa talos & plantas, capitis ac hypochondriorum dolores; cordis palpitatio, vomitus, sputatio nimia, convulsio, sopor profundus, alvi fluxus, & ulcera.

Arthritis, est partium circa articulos dolor, a defluxu humoris serosi & acris, e venis & arteriis in eas effusi, excitatus, per periodos invadens, & motum impeditum conjunctum habens. *Signa* sunt, quod primo impetu dolor pollicem pedis, & ple-

runque ſiniſtri invadit; poſt tumor, calor & rubor manifeſte percipitur; accedunt motus difficultas, & in diuturna arthritide tophi &c. *Cauſa*, eſt ſolutio unitatis, ab humore ſeroſo, ſalſo, & acri inducta, qui ex alimentorum, ut plantarum, vinorum inſalubrium aſſumtione, accedente vitioſa viſcerum, ut Epatis & Lienis, conſtitutione, ſalis ſeu tartari illius effectrice, exoritur.

Lues Venerea, eſt virulenta & contagioſa totius corporis cachexia, plerunque cum dyſcraſia calida, defluvio capillorum, maculis, tuberculis, ulceribus contumacibus, & dolore immani, nocturno præſertim, ſæviens, epati & facultati nutrienti adverſa, ab excremento, maligna & venenata qualitate infecto, per contagium, imprimis vero concubitum, illato, exorta, plurimis ſymptomatibus ſæviens. *Signa* ſunt, laſſitudo omnium membrorum, dolor per univerſas partes vagus, color faciei immutatus, calor inſignis in veſtigiis pedum, caries circa pudenda, bubones, uvulæ in faucibus mollificatio & dependentia, quam raucedo vocis excipit; tumores glandularum in faucibus, corruptio oſſium, ac palati & dentium, ulcera maligna, aurium tinnitus. *Cauſa*, eſt excrementum, venenoſa malignitate inquinatum, totum corpus, vel aliquas ejus partes occupans, ſanguinemque in venis contentum corrumpens, & ad bonam nutritionem ineptum reddens.

Peſtilentia, eſt morbus cordis venenoſus, a materia venenata & contagiosa genitus, omnes cordis actiones ſubito & lethaliter, cum omnis generis ſymptomatum congerie, lædens. Eſt morbus epidemius, propter cauſam communem, & propter contagium. *Signa* ejus ſunt, graſſatio in viciniis locis, & prægreſſus

eorum

eorum, quæ aërem inficere possunt, uti sunt: tetri e terra vapores, frugum infectio; item effecta aëris ad corruptionem tendentis, uti sunt: fungorum nimia copia, plantarum marcor, insectorum multitudo, animalium exanimatio, variolorum & morbillorum frequentia. *Causa*, est materia venenata & contagiosa, plurimum ab aëre proveniens. Sunt sæpe imaginatio & terror pestis in aliquo homine causa, dum humores in corpore agitant, seminarium pestilentiale excitant, illudque alte cordi inducunt.

CAPUT XIV.

Ex Morbis Particularibus succedunt speciatim Morbi Supremi Ventris sive Capitis.

M*Orbi Capitis*, sunt vel Cerebri, vel Oculorum, vel Aurium, vel Narium, vel Linguæ, vel Labiorum, vel Faciei, vel Oris, vel Dentium, vel Gingivarum, vel Maxillarum, vel Gurgulionis, vel Tonsillarum.

De Morbis Cerebri.

Intemperies Cerebri, est ejusdem a sua temperie, per causas externas, uti aërem, cibum, potum, vigiliam, affectus nimios, inediam, & nimia studia, declinatio.

Meatuum Cerebri angustia est, quando cerebri ventriculi, venæ, arteriæ, nervi, & cranii suturæ, a causis suis vel obstruuntur, vel comprimuntur.

Commotio Cerebri, est ejusdem de loco naturali, propter externas & violentas causas, quales sunt bombardarum vel fulgurum fragor &c. dimotio, dum

vel

vel ſpiritus conturbantur, vel cranii fractura conſequitur.

Inflammatio Cerebri, eſt ejusdem tumor, a ſanguine e vaſis elapſo, & ibidem intercepta tranſpiratione, putreſcente exortus. *Signa* ſunt, febris acuta & continua, delirium perpetuum.

Hydrocephalus, eſt tumor capitis, a ſeroſi aut fæculenti humoris, in aliqua membrorum caput conſtituentium parte, exortus.

Contuſio Capitis, eſt ejusdem, extrinſeco plerunque integro apparente, a re gravi, dura & obtuſa colliſio.

De Vulneribus Capitis.

Vulnera Capitis in triplici ſunt differentia. Vel enim ſolam cutem & pericranium, Cranio intacto, vel Cranium, intactis membranis, vel etiam membranas attingunt.

Fractura Cranii, eſt cranii ſolutio a vi exteriore facta, & fit vel cum meningium læſione, vel ſine ea.

De Symptomatibus Cerebri.

Cephalalgia, eſt tactus in partibus capitis membranoſis, a ſolutione continui, facta moleſtia & corruptio. *Cauſa* eſt, quicquid quoquo modo violentam unitatis ſolutionem infert, ſive id faciat occulte, ſive manifeſte; ſive ſit externum quid, uti *lactis* potus, odor rei gravis &c. ſive internum.

Vigiliæ præter naturam, ſunt communis ſenſus, & ſenſuum externorum præter modum exercitium, propter continuum ſpirituum in organa, ſeu propter cauſas externas, lucem nempe, curas, cogitationes, ſeu internas, puta intemperiem cerebri calidam, dolorem &c. influxum, exorta.

Somnus cum Obambulatione eſt, cum dormientes e lecto ſurgunt, vigilantium opera exercent, tecta conſcendunt, per trabes & lacunaria in ædibus oberrant, & multa alia negotia expediunt. Hunc affectum volunt provenire ex ſubtilitate & tenuitate ſpirituum, & forti vi imaginativa. Itaque potiſſimum melancholicis accidit, in quibus ſpirituum ſubtilitas ac tenuitas deprehenditur.

Somnus cum Stertore eſt, cum dormientes, naribus ſonum admodum diſſonum, & aliis moleſtum edunt. Id vitium maxime in illis deprehenditur, qui reſimas habent nares, aut anguſtas, vel muco obturatas: & accidit in ſomno, quia tum dormientes ore clauſo tantum per nares aërem attrahunt.

Coma ſomnolentum, ſeu *Cataphora*, eſt ſopor gravis, quo ſenſus communis torpens, nec ſpiritus animales ad ſenſus diffundi ſinit, nec ab iis accepta objecta agnoſcit & dijudicat. *Signa* ſunt, ſi æger, demiſſa fere inferiore maxilla, & hiante ore dormiat, excitatus oculos aperiat, reſpondeat; ſed mox iterum in ſomnum prolabatur. *Cauſa*, eſt quicquid ſpirituum animalium ad ſenſus organa influxum prohibet, eosque ad actiones animales ineptiores reddit.

Coma Vigil, eſt ad ſomnum propenſio, & ad eundem proclivitas, a cerebri humiditate, aut vaporibus copioſis ad illud delatis, illudque humectantibus, & ſpiritus aggravantibus, exorta.

Lethargus, eſt inexplebilis in ſomnum propenſio, cum febre lenta, oblivione & torpore, ex pituitoſo ſanguine, in poſterioribus cerebri ſinibus putreſcente, exorta.

Carus, eſt ſomnus profundus, cum ſenſus & motus, imaginationisque læſione, oculis perpetuo clau-

ſis. Nec tamen hoc morbo affectis ita periit ſenſus, ut non, ſi pungantur, ſentiant; haud tamen propterea vel loquuntur, vel oculos aperiunt. Eſt Carus Lethargo major, Apoplexia paulo minor, huic tamen valde affinis.

Vertigo, eſt falſa converſionis & circumgyrationis imaginatio, ab inordinato & circulari ſpiritus animalis in cerebri parte anteriore motu, exorta. Cauſa eſt, quicquid vapores ex ſe ſuppeditat, uti Allium, Sinapi, Vinum &c. vel humores fundere & agitare ſolet, quo & purgatio ſpectat.

Memoriæ læſio, eſt ejuſdem, a cauſis, ſiccitatem cerebri, cum moderato calore conjunctam, quibus memoria opus habet, lædentibus, & ſic ſpiritus animales vel nimis torpidos, vel nimis mobiles reddentibus, imminutio, vel abolitio.

Delirium, eſt phantaſiæ & ratiocinationis depravatio, a phantaſmatis abſurdi & inconvenientis oblatione, exorta. *Signa* ſunt, in taciturno garrulitas, in mite ferocia, oculorum mobilitas, ſermones & actiones inconſuetæ & inconcinnæ.

Phrenitis, eſt delirium perpetuum & continuum, ab inflammatione membranarum cerebri exortum, cum febre continua affligens.

Melancholia, eſt delirium, a phantaſmate melancholico exortum, qua detentus, uni cogitationi, absque furore & febre, cum triſtitia & metu inhæret.

Mania, eſt mentis diuturna, cum audacia & ferocia, ſine febre, ab igneo ſpirituum fervore exorta, emotio.

Rabies, eſt delirium, a veneno quodam peculiari, in animali genito, & homini communicato, productum,

ctum, cum vehementi liquidorm omnium, & aquæ potiſſimum, abominatione.

Laſſitudo, eſt affectio corporis, qua pleræque functiones animales, ob debilitatem quandam ſucci nervoſi, præpedite ac minus alacriter exercentur. Hinc potentia locomotiva vacillat, & ita affecti otium & ſeceſſum amant, corporis exercitia & labores devitant, penſa quævis ægre ſuſcipiunt, eaque ſtatim delaſſati remittunt. *Diſtinguitur*, in eam, quæ ſanis etiam competit, poſt corporis exercitia & labores, propter diſſipatos ſpiritus vitales & animales, novo pabulo reſarciendos; & eam, quæ præternaturalis eſt, ac morbos comitatur.

Inquietudo, eſt corporis & membrorum varia jactatio, à materia, partes ſentientes moleſtante, exorta.

Rigor, eſt muſculorum totius corporis vibratio, cum refrigeratione & dolore quodam conjuncta, a re moleſta, ſive in ipſis muſculis contineatur, ſive aliunde tranſmittatur, partes ſentientes in ambitu corporis ſubito vellicante, & expultricem irritante, exorta. Accidit inprimis in febribus.

Horror eſt, cum levior fit agitatio, & major frigoris ſenſus corpus pervadit, ſtantque erectæ comæ, & pori conſtricti, cutis vero aſpera redditur. *Cauſæ* ſunt vel externæ, ut frigus, metus; vel *Internæ*, uti humores acres, bilioſi & putridi, partes ſenſiles & carnem muſculorum permeantes, easque veluti pungentes & irritantes; quos quia expultrix facultas expellere nititur, fit concuſſio illa, & agitatio corporis.

Tremor, eſt motus voluntarii depravatio, propter quem membrum elevatum in ſuo ſitu ſervari non poteſt, à debilitate facultatis motricis, quæ vel ſpirituum animalium, vel nervorum vitio accidit, exorta,

ja. Afficit hoc malum caput, manus, pedes, interdum & maxillam inferiorem.

Paralysis, Lehmung/ est motus in partibus abolitio, sine rationis læsione, ob defectum spirituum animalium, vitio nervorum exorta.

Spasmus seu *Convulsio*, est nervorum & musculorum dolorifica versus suum initium, præter voluntatem, contractio: unde membrum, in quod musculi tendo inseritur, violenter tenditur, & vehementissimo torquetur dolore. *Causa*, est materia vel morbus, nervosas partes vellicans aut tendens.

Incubus, est motus, potissimum vero respirationis & vocis, interceptio, cum falso rei gravis, thoraci incumbentis, & suffocantis, in somnio, ob impeditam liberam spirituum, viis obstructis, ad nervos penetrationem.

Epilepsia, est actionum animalium & principum cessatio, cum motu totius corporis convulsivo, a materia acri, peculiari vi cerebro infesta, principium nervorum vellicante, constringente, & ad expulsionem irritante. Dicitur alias morbus Herculeus, Comitialis, Lunaticus, Puerilis, & Caducus. *Signa imminentis* epilepsiæ sunt, nervorum trepidatio, vertigo, venarum sub lingua flavedo. *Præsentis*, sunt subitus lapsus, faciei contorsio, mugitus, stridor dentium, digitorum constrictio, urinæ vel fæcum involuntaria emissio, spuma ovi albumini similis &c.

Apoplexia, est repentina omnium functionum animalium abolitio, sola restante, quatenus licet, afflicta respiratione, ob angustiam & occlusionem meatuum, potissimum circa basin cerebri, per quos spiritus animales ad membra derivantur, exorta. *Signa* apoplexiæ imminentis sunt, vertigo, scotomia sive suffu-

ſuffuſio oculorum, incubus, tremor totius corporis, ſtridor dentium, in ſomno muci abundantia, capitis gravedo.

Catalepſis, Catoche ſeu *Congelatio*, die Erſtarrung/ eſt admirandus effectus cerebri, in quo ſenſus interni & externi omnes ſtatim abolentur, & corpus eam formam, ſive in incedendo, ſive in ſedendo, retinet, quam habebat, antequam hoc malo corriperetur, & ſtatuam repræſentat.

Catarrhus, eſt humoris pituitoſi & excrementitii, ob læſam cerebri concoctionem geniti, e capite in ſubjectas partes defluxus, ab intemperie, vel nimia repletione, expultricem irritante, procedens. Signa imminentis ſunt, capitis gravedo, oculorum hebetudo, ſenſuum torpor, ſternutatio.

De Morbis Oculorum.

Sugillatio ſive *Hypoſphagma*, Blau Aug / eſt obſtructio foraminis uveæ ſeu pupillæ, a ſanguine, ab ictu, non tantum in corneam infuſo, ſed etiam ad ſpatium inter corneam & uvam inane usque penetrante, illudque omnino, vel ex parte, adimplente, & pupillam obturante: isque ſanguis ruber ab initio, deinde lividus, mox nigricans latere ibi conſpicitur, viſumque vel depravat, vel obfuſcat.

Pyoſis, eſt pupillæ obſtructio, a pure, circa uveæ foramen collecto, viſum impediens.

Hordeolum, eſt tuberculum in ciliis, quod ſuppuraſcens ſimile eſt grano hordei, oriturque ab humore pituitoſo, craſſo, cum ſanguine mixto.

Trichiaſis eſt, cum pili inutiles, & oculos pungentes, in palpebris proveniunt.

Fistula lacrymalis, ex humorem continuo affluxu, & oculi perpetuo motu oritur.

Ophthalmia, est tunicæ adnatæ inflammatio, a sanguine acri, venulas ipsius distendente, proveniens.

Unguis seu *Sagitta*, est membranula nervosa, fibrosa, & albicans, quæ ab angulis oculorum prodit, & adnatæ adhærescit, ac sæpe, si nimium increscat, pupillam tegit. Causa, est sanguis humoribus crassis & lentis permistus, ex partibus inter cranium & cutem contentis, defluens, & scabritiem quandam inferens, quam, dum vis nutriens æqualem reddere nititur, incrementum membranæ præter naturam producit.

Pannus, est quiddam instar panniculi rubeum, a sanguinis exuberantia, in venis oculi exterioribus exortum.

Suffusio, est pupillæ, ab humore, ea parte in oculo consistente, visionem impediens obstructio. Oritur a muco tenaci pupillæ margini adhærente, illique prætenso, sensimque concrescente. Estque vel *Incipiens*, Schemmeringe für den Augen / cum mucus est adhuc pellucidus, & lucem transmittit, visioni tamen, ac si nube obtensa & atomis obscuraretur, hallucinationem parit: vel *Accrescens*, Wasserstern/quando mucus ille, magis magisque incrassatus, perspicuitatem amittit: vel *Confirmata*, Staar / Fell in den Augen / quando mucus, penitus incrassatus dealbatusque, perspicuitate omni destituitur, visionemque penitus aufert.

Glaucoma, est humoris crystallini vitium, quando is in glaucum colorem mutatur.

Atrophia est, quando oculi partes contabescunt. Oritur præcipue ab evacuatione & exsiccatione nimia.

Pro-

Procidentia est, quando oculus vel ex sua orbita præter modum eminet; vel etiam ita, ut a palpebris tegi nequeat, excidit. Oritur tum a causis externis, uti ictu, tubarum inflatione &c. tum internis, uti musculorum aut nervorum resolutione.

Strabismus est, quando pupilla a medio declinat, ita, ut in una oculi parte plus appareat, quam in alia. Sive, est oculi contorsio in obliquuum, ut nequeat amborum unus aspectus esse. Oritur, vel a mala in primo ortu conformatione, & tum curari nequit: vel a consuetudine, quod in infantibus frequenter accidit.

Hebetudo Visus in Senibus ex eo provenit, quod humor crystallinus a sede naturali, antrorsum, versus pupillam, magis inclinat. Accidit iis potissimum, qui multa lectione, aut rerum subtilium aspectu oculos fatigarunt. In his enim crystallinus humor, ætatis decursu, una cum vitreo, ad anteriora sensim feratur, tandemque, illic subsistens, detrimentum visioni affert.

Myopia, est vitium, quo affecti, res nonnihil remotas minus vident, propinquas autem, & paulo minores, nisi eas oculis omnino adhibeant, & naso attingant, recte discernere nequeunt.

Lippitudo est, cùm oculi, eorumque palpebræ madent, lacrymæque emanant; ac interdum purulenta exit materia; cilia vero lentore humoris, præsertim in somno, clausis oculis cohærent, nec aperiri possunt, nisi purgentur.

Visus debilitas, & *Cæcitas*, causarum tantum magnitudine differunt. Oriuntur, aut Cerebri spiritus animales non suppeditantis, aut ipsorum spirituum animalium vitio.

De Morbis Aurium.

Inflammatio Aurium, eſt tumor cum rubore ad malas & tempora ſe extendente: ac interdum febris, deliria, & motus convulſivi accedunt. Oritur a ſanguine tenui & bilioſo, e venulis cerebri in membranas auris elapſo.

Ulcus Aurium eſt, cum ſanies & ſanguis ex iis egrediuntur. Oritur, a rebus vel pus fundentibus, vel acrimonia ſua erodentibus.

Sordes Aurium, ſive *Cerumina*, ni tollantur, eas opplent, &, diutius retentæ, craſſeſcunt, & tandem indureſcunt. Oriuntur, ex bilioſo humore excrementitio, quod croceus color & amaritudo ſumma oſtendunt: bilis ergo, ſero permiſta, in aurium cavitatem transſudat, & in ea coacervatur.

Vermes Aurium a diuturna ſordium ac ſaniei ſuppreſſione, ac etiam impuro, ſordido, putridoque ulcere proveniunt.

Dolor Aurium oritur a cauſis, membranas, auris cavitatem veſtientes, & ſenſu exquiſito præditas, diſtendentibus.

Surditas, eſt auditus abolitio, qua homo ſonos ex juſta diſtantia difficulter percipit. Oritur ex illorum, quæ ad auditum perficiendum concurrunt, vitio. Qualia ſunt, Cerebrum, ſpiritus animales vel non gignens, vel non transmittens: Nervi auditorii, qui eos non defert, vitium: Spirituum animalium defectus: Meatus auditorii mala conformatio, aut obturatio: Aëris congeniti, ob vulnus vel ulcus, egreſſus.

Gravis Auditio eſt, quando ægre ſonus percipitur. Oritur, æque ac ſurditas, vel a cerebri vel auris prava diſpoſitione.

Tin-

Tinnitus, eſt ſonitus in auribus præternaturalis, in inſtrumento auditus, ſeu cavitate oſſis petroſi, factus & perceptus, a vaporibus intercluſis & motis exortus.

Obauditio eſt, quando auditus confuſa percipit. Quod fit vel ab ulcere non probe terſo & conſolidato; vel a vaporibus in caput elatis, & in aures effuſis.

De Morbis Narium.

Ulcus Narium eſt, quod interdum ab ictu, contuſione, caſu, vulnere, interdum ab eorum, quæ prætelabuntur, ut pituitæ ſalſæ acrimonia, accidit.

Ozæna, eſt vetuſtum ac putridum ulcus, graveolentem mucum edens, oriturque ab humoribus acribus, &, quod in lue venerea accidit, malignis.

Polypus, eſt carnoſa in naribus excreſcentia, ex radicibus quibusdam tenuibus pendens, & nunc a naribus propendens, nunc etiam in palatum deſcendens. Oritur ab humoribus viſcidis, pituita imprimis ſanguini permiſta, quæ, e cerebro ad nares exulceratas defluens, ulceribus inhæret.

Hæmorrhagia, eſt immodica, totoque genere, præter naturam, ſanguinis per venas naſi diviſas rarefactas, vel apertas, excretio. Cauſa eſt, quicquid venas naſi aperire, dividere, vel rarefacere poteſt.

Olfactus læſio, eſt ejus imminutio aut abolitio. Fit vel a cerebri intemperie, quæ partem illius anteriorem obſidet; vel a proceſſuum & nervorum, qui olfactus organum ſtatuuntur, vitio. Olfactus interdum totaliter aboletur, cum pituita ad foramina oſſis ethmoidos, calore induratur: quod iis accidit, qui gravedine laborantes, balneum incaute ingrediuntur.

Gravedo seu κόρυζα, est cerebri excrementorum, instar aquæ crudorum ac tenuium primo, deinde crassiusculorum, ad nares defluxio, quam frequens sternutatio comitatur. Oritur ab intemperie calida vel frigida cerebri, eaque caput ingravescit, respiratio difficilior evadit, & vox raucescit. Est interdum gravior, quæ vel sanguine, vel aliorum humorum permistione, candida & acris evadit, ac nares non tantum tumefacit, sed & ardore summo exulcerat.

Sternutatio, est flammosorum spirituum, acriumque vaporum, cerebrum offendentium, violenta & involuntaria per nares expulsio, interdum pluribus, interdum paucioribus vicibus contingens. Excitatur ab eis, quæ sensilem narium tunicam vellicant: qualia sunt, quævis acria naribus adhibita, vel eo vires suas emittentia, ut allium, sinapi, raphanus, piper, helleborus &c. item acris & tenuis humor, a capite ad nares defluens, illasque vellicans. Fit etiam interdum per consensum ventriculi, cum, eo offenso, validiore motu & efflatione ejus molestiam natura nititur excutere. Sanis sæpe levi de causa evenit; si vero sit nimis frequens, catarrhos, & graviores etiam morbos, ut epilepsiam, nonnunquam præsagit.

De Morbis Linguæ.

Tumor Linguæ, oritur vel ab affluxu materiæ calidioris, sanguinis nempe, vel bilis; vel frigidioris, uti pituitæ; vel etiam venenatæ, uti in lue venerea.

Ranula seu *Batrachus*, est tumor, qui in oris parte molli & laxa, quæ sub lingua est, & cui ea incubat, & quasi vinculo alligatur, ex sanguine viscido & pituitoso colligitur, e quo aperto mucus prosilit, ovi albumini persimilis.

Ni-

Nigrities Linguæ, cum ſcabritie & ſciſſura aliquando conjuncta, oritur ab igneis vaporibus & exhalationibus, in fauces, os, & palatum ſublatis; quod accidit maxime in febribus ardentibus. Provenit interdum a veneno aliquo epoto, vel ex ſupina, ore adaperto, dormitione. Vapor craſſeſcens, aut pituita e ventriculo in os redundans, vi caloris obdureſcens, linguam ac dentes totamque gulam ſæpe lentore obducunt.

Paralyſis, contingit linguæ, vel toti, & tum ejus nervi prorſus impediuntur, & gravis apoplexiæ metus impendet: vel ejus parti, vitio nervorum, ſeu ſpirituum.

Balbuties, ſeu *Difficultas loquendi* eſt, cum certæ literæ aut ſyllabæ, eæ præſertim, quæ, ut efferantur, linguæ variam inflexionem requirunt, quales præſertim ſunt R. & S. literæ, quæ ſtridorem & ſibilum requirunt, non ita commode efferuntur: quo vitio laborantes *Blæſi* dicuntur. Oritur balbuties, ex ebrietate, linguæ mala conformatione, brevitate ejus, nimia craſſitie, immodica ſiccitate, aut humore nimio.

Mutitas, ἀφωνία eſt, cum loquela aboletur: quod fit ob nervorum muſculorumque, aut linguæ & columellæ vitium. Scilicet, nervi & muſculi linguam moventes, ſi paralyſi afficiantur, loquela interit; ſi vero tantum vapore aliquo craſſo afficiantur, per biduum tantum aut triduum durat obmuteſcentia. Quibus ab ortu malum ineſt, muti naſcuntur; ac prave affecto eo nervo, qui a nervo auditorio ad linguam ducitur, etiam ſurditas ſe exſerit.

Guſtus diminutio, fit vel nervis mollioribus, qui a cerebro exeunt, perfrigeratis, aut quadantenus obſtructis; aut certe ea cerebri parte affecta, unde illi

 ori-

originem habent; vel lingua palatoque nimium exasperatis, aut limo sive lentore obductis.

Gustus depravatus, est absurdi alienique saporis perceptio. Accidit, cum vel linguæ corpus, vel, quæ ipsum vestit, membrana, vitioso atque tetro humore imbuitur, qui vel ex exhalatione, vel liquore eorum, quæ bibuntur eduntur que, dilutus, in linguæ corpus mollesq; nervos penetrat, suisque vitiis eos perfundit.

Fissura Labiorum, est continuitatis labiorum, a nimia siccitate & tensione, solutio.

De Morbis Labiorum.

Ulcera Labiorum, ab humoribus acribus, biliosis & serosis, sive ex adustione & putredine oriuntur.

Tremor Labiorum, provenit vel ab Externa causa, nimirum frigore, cum dentium stridore, item ira vel metu, dissipatis aut ad interiora remissis spiritibus: vel ab Interna, uti in cerebri magno affectu, vel ventriculi per consensum membranarum agitatione, aut in nausea, ex humore acri vellicante.

De Morbis Oris.

Oris Apertio est, quando os, quod per naturam claudi debebat, non clauditur. Ea accidit, quando tumores, circa juncturam maxillarum, in inflammationibus maxillæ & tonsillarum exoriuntur, aut quando oris cardo, in quo gena vertitur, obrigescit.

Oris Hiatus est, quando os, quod per naturam, uno labio alteri superinsedente, claudi debebat, hiat. Oritur a mala consuetudine, maxillæ inferioris laxatione, aut narium obstructione.

Oscitatio, est vehemens oris, ab halituosis, & in spatiis musculorum maxillæ inferioris, & buccarum collectis, & excretricem ad excernendum stimulantibus

tibus vaporibus, diſtentio. In Oſcitatione igitur, ore aperto admodumque diducto, aër primum affatim hauritur, & mox iterum copioſe cum ſono efflatur. Oritur, cum maxillæ inferioris & buccarum muſculi, halituoſis vaporibus ſunt gravati: atque ex laſſitudine, vel ſpontanea, vel ex labore profecta, ſe relaxare cupiunt. Ex imaginatione quoque, ſi quis alium oſcitantem videat, vel de ea cogitet, oſcitatio ſuccedit: magis tamen in pigris & ſomnolentis, ſeu diſpoſitis, quam aliis.

Pandiculatio, das Recken und Strecken/eſt, quando concuſſio quædam fit totius corporis, aut illius partium, cum frigoris quodam ſenſu, & præter voluntatem.

Oris tortura, eſt ejusdem ex affectis faciei muſculis aut nervis procedens diſtentio, ita ut oculus alter rite claudi non poſſit, aut æger, exſpuere juſſus, altera tantum parte id faciat.

Sardonius Riſus eſt, citra animi affectum & voluntatem perſeverans & periculoſus riſus. A convulſione habet originem.

Ptyaliſmus, eſt crebra & involuntaria, ſine tuſſi & ſcreatu, exſpuitio, a nimia ſalivæ copia proveniens.

Aphthæ, Blätterlein im Munde/ ſunt quædam in ſumma oris ſuperficie exulcerationes igneæ, quidpiam caliditatis habentes. Oriuntur ab humoribus pravis, vel ibidem genitis, vel aliunde miſſis.

Fœtor oris, eſt anhelitus gravitas, a vapore fœtido ex ore egreſſo producta. Cauſa proxima eſt vapor, qui progreditur vel ex cibis fœtidis, allio, cæpa, &c. ac tum brevi ſponte evaneſcit; vel ex cibis in ventriculo, aut interſtitiis dentium corruptis; item ex inteſtinorum excrementis, cum orificium ventriculi in-

ferius, quo in inteſtina ſe aperit, non arcte clauditur; quod ebrioſis accidit.

De Morbis Dentium.

Dentitio, das Zahnen / eſt dolor in infantibus, cum dentes illis provenire incipiunt, (quod fit circa initium ſeptimi menſis,) proveniens. Signa ſunt, quod infantes digitos frequenter ori inſerunt, nutricum papillas fortius ſtringunt, quodq; loci, ubi dentes erumpere conantur, albicant. Dolorem ingentem, qui imprimis exoritur, cum dentes canini eduntur, comitantur fluxus alvi, & convulſiones, non tamen adeo periculoſæ, ac ſi ob alias cauſas accidant.

Dentium corroſio, eſt magnitudinis eorundem, a cauſis erodentibus, ut frangantur, & fruſtillatim excidant, diminutio, fiſtulas interdum inducens. Cauſa ſunt, fuci mulierum; dulcia, præſertim ſaccharum; nimium calida aut frigida aſſumta; item humores acres, qui ex capite plerunque decurrunt.

Dentium mobilitas, eſt eorundem a ſucco pravo, gingivas vel dentium radices erodente, aut nimia humiditate, vel defectu alimenti, profecta vacillatio, quam procidentia illorum interdum inſequitur.

Odontalgia, Zahnwehe/ eſt triſtis dentium ſenſus, ob deſtillationem e capitis vertice, per tempora in maxillam aut ſuperiorem, aut inferiorem, ejusque aut membranam, aut dentium nervum, illapſam: & ſi quis dens exeſus eſt, in quem jam via pateat, in eam maxime fluxio inſilit. Oboritur quoque dentium dolor, interdum ab inflammatione, interdum a frigidis externis admotis.

Stupor Dentium eſt, quando, cum inter mordendum dentes premuntur, titillatio quædam moleſta ſub-

ſuboritur, & quidem vel a frigidiorum humorum influxu, vel acerborum crudorumque fructuum eſu, vel aſſumtorum vomitione. Oritur interdum ad limarum ſtrepitum, aut ſi aliàs acutus valde ſit ſonus & ſtridulus.

Nigredo Dentium contrahitur, ex detergendi incuria, dulcium & calidorum uſu, exſpiratione cruditatis & crapulæ, vitioque humorum.

De Morbis Gingivarum, Maxillarum, Gurgulionis, & Tonſillarum.

Auctio Gingivarum eſt, cum eæ præter modum luxuriant & excreſcunt, adeo ut dentes, præſertim molares, prope integant; oritur ob ſpongioſam gingivarum raritatem, & uberiorem ſanguinis affluxum.

Conſumtio Gingivarum eſt, cum eæ flacceſcunt & exeduntur, ita ut dentium radices detegantur, ab humoris acrioris & ſalſi adhæſione.

Ulcus Gingivarum ex abſceſſu provenit, nonnunquam a ſcorbuto originem habet, a quo non tantum tument gingivæ, & cruorem exſudant, ſed & ulcerantur, putreſcunt, & corrumpuntur.

Parulis, eſt inflammatio gingivarum, ad dentium radicem intus & foras adeo prominens, ut etiam vicinæ partes diſtendantur, rubeant, & caleant.

Maxillæ inferiori accidit *Immobilitas*, vel propter luxationem aut fracturam, vel propter deſtillationem e vertice capitis derivatam, quæ in ejus articulum ad radicem auriculæ influit, inſequente dolore & tumore duro ac conſpicuo.

Maxillæ luxatio, est ejusdem vel altera tantum parte, vel utraque, periculosa depulsio.

Gurgulionis affectus præcipui sunt Laxatio, & Inflammatio. *Laxatio* est, quando is, præter naturam, citra inflammationem, intumescens, ab humore plerunque pituitoso, a cerebro transmisso, in longum extenditur. Dicitur alias *Columellæ lapsus*, cum nimirum columella, e palati extremo in fauces & œsophagi caput propendens, titillatione molesta est: qua, qui afficitur, columellam perpetuo vorare frustra nititur. *Inflammatio*, est Gurgulionis, a sanguine bilioso, in eum delapso, cum rubore, ardore, dolore, suffocationis periculo, interdum febre, intumescentia.

Tonsillas quoque affligit *Inflammatio*, quæ est earum ex affluxu humorum genita intumescentia.

CAPUT XV.

De Morbis Medii Ventris.

MOrbi Medii Ventris, sunt vel Faucium, vel Gutturis, vel Asperæ Arteriæ, vel Pulmonum, vel Thoracis, vel Mamillarum, vel Cordis.

De Morbis Faucium, Gutturis & Asperæ Arteriæ.

Angina, est summarum gulæ gutturisque partium, per quas tum cibi potusque, tum spiritus introitus est, spirationis & deglutitionis difficultatem inferens, præclusio. Oritur ab inflammatione, quæ cum febri continua connexa esse solet, itemque a pituitosa in fauces & cervicis musculos defluxione.

Gut-

Guttur lædit *Bronchocele*, ſive tumor, amplo ſpatio extuberans, a flatu exortus, & cum tenſione conjunctus.

Aſperam Arteriam afficit ejus Aſperitas & Anguſtia. *Aſperitas*, eſt lævitatis naturalis defectus. Cognoſcitur ex raucedine vocis, & oritur vel ab Externis cauſis, ut oleo rancido, nucibus, pulvere, fumo; vel ab Internis, uti humoribus a capite delapſis, aut vapore, parietes ipſius feriente. *Anguſtia* Arteriæ Aſperæ cognoſcitur ex reſpirationis difficultate, & imminente ſuffocationis metu. Oritur vero a cauſis comprimentibus, uti luxatione vertebrarum, inflammationibus; aut a cauſis obſtruentibus, ut rebus externis illapſis.

De Morbis Pulmonis.

Pulmonis Intemperies, eſt ejusdem a temperie naturali, ad præternaturalem, propter cauſas tam externas quam internas, deflexio. Ad Externas referuntur potiones frigidæ vel calidæ; aër, qui parum alteratus ad pulmonem defertur, in iis, qui columella deſtituuntur: ad Internas, humores, qui eo ſive ex capite, ſive ex aliis partibus, maxime ex hepate, deducuntur.

Peripneumonia, die Lungenſucht/ eſt pulmonis a ſanguine, in ſubſtantiam ejus effuſo, cum pectoris anguſtia, ſpirandi difficultate, febre acuta & tuſſi, inflammatio. Cauſa, eſt ſanguis, qui ex dextro cordis ſinu in venam arterioſam effunditur, & non modo venas & arterias pulmonis, ſed etiam totum corpus implet. Concitatur a cauſis externis, ut aëre frigido, potu vini generoſioris, & ſimilibus.

Pulmonis anguſtia, eſt vaſorum ejus, propter obſtructionem, compreſſionem, vel exſiccationem, inter-

terceptio, tuſſim, oppreſſionem, & reſpirandi difficultatem inducens.

Pulmonis Vulnera cognoſcuntur, ex reſpirationis, ob læſionem organorum, difficultate; ſpumantis ex ore ſanguinis cum tuſſi rejectione, faciei modo rubente, modo pallido colore. Fiunt autem bifariam. Nam interdum accidit, ut caro pulmonum lædatur, & tum, quia ſanguis in cavum thoracis deſtillat, nec cruenta exſpuitio, nec tuſſis ulla urget, ſed reſpiratio eſt difficilis. Interdum venæ pulmonis afficiuntur, & tum ſanguis rubicundus, niger, ſpumoſus affluit, ac tuſſis eſt perpetua, niſi virium imbecillitas, aut pulmonum oppreſſio a ſanguine adſit.

Phthiſis ſeu *Tabes*, eſt pulmonum a materia acri, erodente, cum febre lenta, tuſſi, ſputoque cruento & purulento, exulceratio, qua ſenſim totum corpus conſumitur & extenuatur. Cauſa, eſt vel vitioſa pulmonis conſtitutio, ab ipſo ortu a parentibus contracta; vel acris & exedens e capite deſtillatio; aut humor acer, e corde in pulmones ejectus.

De Morbis Thoracis.

Mediaſtini ſeu Septi, quod pulmonis lobos disjungit, *inflammatio* oritur a ſanguine bilioſo: eam conſequitur febris continua, reſpiratio frequens & celer, dolor ad ſternum, cui Mediaſtinum alligatur, & thoracis incendium.

Diaphragmatis Tumores alii ſunt *Frigidi*, & oriuntur a materia cruda & tenui, in Diaphragmatis denſitatem, ex ejuſdem vel compreſſione, vel percuſſione, penetrante: Cognoſcunturque, ex ſpirandi difficultate, & hypochondriorum tenſione. Alii ſunt *Calidi*, & oriuntur a ſanguine calido & bilioſo, inferuntque fe-

febrim continuam, reſpirationem parvam & frequentem, ac præcordiorum tenſionem, cum diaphragmatis palpitatione.

Pleuritis, eſt pleuræ & adjacentium muſculorum, ab influxu humoris fervidi exorta, cum dolore lateris punctorio, tuſſi, reſpiratione difficili, febri continua acuta, pulſu duro, inæquali & frequente, inflammatio. Nimirum, materia fervida, ſeu ſanguis purus vel impurus, potiſſimum ex vena cava cordi aſſidente, in tenues ejusdem propagines influit, iisque ruptis vel dilatatis, cum impetu in pleuram incurrit. Interdum Pleuritis oritur a flatibus, qui inter membranas aut internas aut interiores ſe ingerunt, easque diſtendunt divelluntque a vicinarum partium adhæſu.

Empyema eſt cavitatis thoracis a materia purulenta copioſa conſtipatio, difficultatem reſpirationis, cum tuſſi ſputoque purulento, inducens.

Tabes Dorſi eſt, quando illud contabeſcit. Quod fit, vel a nimia Venere; vel cum calor, ſpinali medullæ inſitus, a copioſiore ſanguine obruitur; vel cum meatus, per quos nutrimentum ad eam defertur, obſtruuntur; vel cum prava deſtillatio in eam incumbit.

Gibbus eſt, cum, parte aliqua dorſi contracta, illius motus alicubi ſiſtitur, & quidem vel retroſum, dorſo protuberante, vel in latera, vel antrorſum inflexo; unde eo malo affecti corpus erigere nequeunt. Oritur a ſitus vertebrarum dorſi ſeu articulorum perverſione, & in hunc vel illum locum, a naturali ſede inclinatione: acciditque vel ab ortu, vel a caſu, aliove externo violento impetu.

De Symptomatibus Pulmonum & Thoracis.

Respirationis vitia, ſunt Μακρόπνοια, ſeu reſpiratio magna, thoracem admodum diſtendens, & copioſum aërem adducens; quod vi febrium fit, in quibus cordis calor accenditur: Ταχύπνοια, ſeu reſpiratio frequentior, quam intemperies pulmonum, pectoris, cordis, vel abundantia halituum calidorum inducunt: & Δύσπνοια, ſeu difficultas reſpirationis; quæ ex vitio ipſorum organorum, ſive a cauſis externis, uti argento vivo, carbonibus, calce &c. ſive ab internis, uti anguſtia vaſorum, obſtructione &c. affectorum, exoritur.

Aſthma, eſt frequens, denſa, & anheloſa, reſpiratio, a pertinaci bronchiarum pulmonis ſeu obſtructione, ſeu compreſſione proveniens. Ea in gravitate pectoris, curſu, & acclivi itinere moleſtat.

Tuſſis, eſt vehemens, crebra, & ſonora ſpiritus copioſi, prius a pulmonibus attracti, efflatio, a veloci pulmonis & thoracis contractione edita, ut id, quod ſpirandi organis moleſtum eſt, excutiatur. Cauſa igitur ejus eſt, quicquid pulmones, & aſperam arteriam, membranamque, qua intus veſtitur, afficere poteſt; quod imprimis faciunt humor & vapor.

Hæmoptyſis, eſt ſanguinis cum tuſſi, ex partibus reſpirationi dicatis, rejectio, citra illarum inflammationem accidens. Cauſa eſt, quicquid venarum unitatem ſolvit, ſive per Anaſtomoſin aut illarum apertionem, ſive per Diæreſin aut ſolutionem, ſive per Diapedeſin aut tranſſudationem id fiat.

De

De Cordis Affectibus.

Palpitatio Cordis, eſt ejusdem, vel quod moleſtum eſt expellentis, vel quod utile eſt attrahentis, & deficiens reſtaurantis, inordinata, & ex dilatione & ſubſidentia compoſita motio. Cauſa eſt, vel res facultatem motricem irritans, vel refrigerationis, propter intemperiem calidam, neceſſitas, vel ſpirituum defectus.

Animi deliquium, eſt præceps ſubitusque virium omnium, vitalium cumprimis, lapſus, cum pulſu imminuto fereque abolito, & ſudore frigido, a ſumma cordis debilitate, vitio & defectu ſpirituum vitalium, quorum etiam reliquum a corpore ad centrum confluit, exortus. Nempe, cum ſpiritus vitales deficiunt, nec cor, nec ulla pars in corpore actiones ſuas edere poteſt.

De Morbis Mamillarum.

Inflammatio Mamillarum, eſt tumor durus, & cognoſcitur ex rubore, dolore, pulſu, & calore. Oritur vero ex ſanguinis attracti, transmiſſi, vel ſuppreſſi copia.

Tumor Flatuoſus Mamillarum, eſt dolor acutus, in mamma præſertim ſiniſtra, cum brachii, totius lateris, coſtarum & ſcapularum cruciatu. Oritur ex craſſo halitu ad eas tendente.

Magnitudo Mammarum quæ indecora eſt, oritur a crebra earum contrectatione, & flatulentorum copia.

Lactis Defectus, eſt vel ex vitio ſanguinis, qui deficit ob morbos exſiccantes; vel vitio facultatis lactificæ,

quando illa tam debilis est,ut sive sanguinem,sive chylum, neque attrahat, neque coquat.

Redundantia Lactis, a sangvinis aut chyli copia, & forti facultate lactifica procedit.

Coagulatio Lactis fit, quando partes subtiliores & tenuiores sensim exhalant, & crassiores remanent, unde glandulæ indurescunt, & tumores, imo & abscessus exoriuntur.

CAPUT XVI.

De Morbis Infimi Ventris.

MOrbi Infimi Ventris complectuntur affectus Oesophagi, Ventriculi, Intestinorum, Ani, Mesenterii, Hepatis, Abdominis, Lienis, Renum, Vesicæ, Partium genitalium, & Umbilici.

De Morbis Oesophagi.

Intemperies Oesophagi, est ejusdem a nativa temperie ad præternaturalem recessus. Oritur ex calore, & quidem vel externe, uti a fumo, pulveribus; vel interne, uti a vaporibus siccis. Oritur item ex frigore, velut ex potu nimis frigido; & ex humore, velut ex catarrhis defluentibus.

Tumor Oesophagi, est ipsius in magnitudine sua excessus: & cognoscitur ex deglutiendi impedimento. Oritur vero ex iis causis, a quibus tumores generantur.

Angustia Oesophagi est, quando illius meatus imminuitur. Cognoscitur ex eo, quod facilius liquida, quam solida deglutiuntur: & provenit a medicamentis constringentibus, aut vaporibus.

De Morbis Ventriculi.

Intemperies Ventriculi, eſt ſimilarium ejus partium præternaturalis in primis qualitatibus conſtitutio. Eſt igitur alia *Calida*, quæ cognoſcitur ex cibi inappetentia, ſalivæ lentitudine, faucium & linguæ ariditate: alia *Frigida*, quæ cognoſcitur ex ructu acido, flatu, ſalivæ nimietate: alia *Humida*, quæ cognoſcitur ex abſentia ſitis, ſalivæ redundantia: alia *Sicca*, quæ cognoſcitur ex regionis ventriculi extenuatione & contractione, quam gracilitas totius corporis ſequitur. Hæc Intemperies oritur interdum ſine humorum præſentia; interdum propter aliquem humorem, vel in ventriculo genitum, vel aliunde delapſum.

Dolor Ventriculi, eſt triſtis ejusdem ſenſatio, a rebus diſtendentibus vel mordicantibus, & ſic continuum ejus ſolventibus, exorta. Cauſa ergo vel Externa, uti nuclei, vel cibus acrior corruptionem paſſus; vel Interna, uti humores bilioſi, & pituitoſi, ſeu aliunde allapſi, ſeu in ventriculo geniti.

Ardor Ventriculi, der Sod / eſt humorum in ventriculo, vi caloris præternaturalis, excitata ebullitio, ita ut fervor ad gulam usque ſentiatur. Efficit hunc ciborum pravitas aut corruptio, in calidioribus præſertim ventriculis; cum videlicet ſuccus & humor, qui inde gignitur bilioſus & ardens, halitum diffundit: quod maxime evenit, corpore poſt cibum aſſumtum validius per equitationem, curſum, aliumve motum, commoto.

Inflatio Ventriculi eſt, cum flatus ventriculum implentes & diſtendentes, dolorem pariunt.

Anorexia, eſt proſtrata ciborum omnium appetentia, ex defectu ſenſus ſuctionis in orificio ſuperiore

 ventri-

ventriculi exorta, unde vel neutiquam, vel tardius, quam pro naturæ exigentia, cibus appetitur. Oritur a ſuccis & bilioſis & corruptis, alimenti in toto corpore abundantia, corrugationis in ventriculo impotentia, aut excrementi crudi, inſipidi, lenti & pituitoſi, ſive ex cibis geniti, ſive aliunde affluentis copia.

Canina appetentia, eſt continua ac inſatiabilis vorandi cupiditas, a vehementi ſuctionis ſenſu in ore ventriculi exorta, aliquando cum vomitu, aliquando cum diarrhœa affligens. Provenit a nimia alimenti in corpore indigentia, ſeu propter vermes chylum depaſcentes, ſeu propter nimias evacuationes, tam inſenſibiles quam ſenſibiles, ob partium nimium calorem.

Pica (ab ave ita dicta, quæ eodem affectu laborat) quæ & κίττα & μαλακία, eſt appetitus abſurdus, ſubſtantiæ alienæ, liquidæ, vel ſolidæ, præter naturam & rationem alimenti, ex triſti ſuctionis ſenſu, & judicii, res eſui idoneas vel ineptas diſcernentis, corruptione, a vitioſo excremento, tunicis imbibito, peculiari ſubſtantiæ proprietate os ventriculi infeſtante.

Nimia Sitis, eſt major & frequentior potionis conſuetæ appetentia, ob triſtem ſuctionis in ore ventriculi ſenſum, ex alimenti humidi defectu, & propriæ humiditatis alteratione exorta.

Concoctionis læſio, eſt concoctricis facultatis, in ſua circa alimentum actione, vitium; quo fit, ut vel non, vel tarde, vel depravate concoquat.

Singultus, eſt motus ventriculi convulſivus, tenſione & dilatatione fibrarum partis ſuperioris conſtans, quo expultrix irritata, noxia tunicis ventriculi, imprimis oris & œſophagi, infixa, cum ſonitu & vehementi contorſione elidere tentat. Oritur a potu frigi-

frigido, alimentis vel medicamentis acribus, evacuatione nimia, & cibis corruptis, item veneno assumto.

Ructus, Röpffen/ auffsteigender Magen/ est violenta & sonora flatus, in ventriculo stabulantis, per superiora eruptio. Fit, quando ventriculus flatibus impletur, & diaphragma ad excutiendos illos ventriculum adjuvat, qui tunc, pro materiæ in ventriculo hærentis diversitate, varios odores redolent.

Rugitus, Kurren des Bauches / est sonitus ventris, excitatus ab humoribus vel flatibus, in ventriculo aut intestinis discurrentibus, nec exitum invenientibus, editurque maxime circa sinistrum hypochondrium, aut umbilicum: isque virginibus, ob coarctationem hypochondriorum, ut graciles appareant, sæpe accidit.

Nausea, est inane vomendi desiderium, cum tristi molestia, æstu & anxietate, quo ventriculus, constrictis inferioribus, & dilatatis superioribus, ejicere quidem, quæ sibi molesta sunt, conatur, sed præ imbecillitate, vel paucitate, aut contumacia materiæ, nihil, præter tenuem & aqueum humorem, per os excernit.

Vomitus, est materiæ molestæ, in ventriculi capacitate contentæ, per superiora, sensibilis & palpabilis cum impetu rejectio. Causa est, quicquid superius orificium ventriculi offendere, & ad expulsionem, vel copia, vel qualitate mordaci, vel substantiæ ratione & dispositione irritare potest.

Cholera Humida, quæ & *Vera*, das Bauchgrimmen / est assidua & immoderata humoris pravi, cum vehementi perturbatione & violentia, per superiora & inferiora rejectio, a facultate expultrice valde irritata,

tata, exorta. Affectus hic acer est & ferox, in quo ventriculus & intestina mire torquentur, & flatuum copia distenduntur. Causa præcipua bilis est, quæ, supra modum aucta, huc illuc impellitur, ac diffluit.

Cholera Sicca, quæ & *Notha*, est spiritus flatuosi per superiora & inferiora, cum inflatione ventris, strepitu, & lumborum ac laterum dolore, excretio.

De Morbis Intestinorum.

Inflammatio Intestinorum, est eorundem tumor, a sanguine, extra vasa in illa elapso, & putrescente, exortus.

Obstructio Intestinorum est, quæ alimenti prolapsionem, aut fæcis dejectionem impedit. Oritur vel a tumore præter naturam in intestinorum substantia orto, vel a copiosis resiccatisque fæcibus. Interdum etiam crassa & lenta pituita, copiosius collecta, firmiter intestinis adhærescit, omnemque eorum capacitatem implet.

Abscessus, Darm-Apostem / ab inflammatione oritur, eoque rupto, pus primum saniosum, deinde album & concoctum, per anum excernitur.

Angustia Intestinorum ex eo præcipue cognoscitur, quod fæces per alvum non recte excernuntur: idque fit, vel ab externis adstringentibus & exsiccantibus, uti cydoniis; vel a fæcibus induratis, vel a pituita crassa.

Vermes, sunt animalcula, præter naturam, in intestinis, ex crasso, lento & viscido humore, a calore vivido, per putredinem suscitato, genita, eorum animalium exemplo, quæ ex putri materia, vi cœlestis caloris, vitam habent. Materiam suppeditant cruditas & crapula,

pula; maxime autem usus eorum alimentorum, quæ facile putrescunt, ut lactis, fructuumque dulcium & fugacium. Signa sunt, ventris difficultas cum murmure atque torsione, lientericum profluvium, faciei pallor, visus læsio, narium pruritus, oris ventriculi præcordiorumque compunctio, animi defectiones, epilepsia.

Hernia Intestinalis, est intestinorum de sua sede prolapsus. Causæ sunt illa, quæ processum, a peritonæo productum, vel laxare, vel rumpere possunt.

Iliaca passio, est dolor in intestinis tenuioribus acerbus, a violenta continui solutione, cum tumore ventris, ad similitudinem chordæ involuti, tantaque alvi obstructione, ut nihil descendat, sed humores & excrementa interdum per vomitus violenter rejiciantur, exortus.

Colica passio, est dolor intestini coli, a rebus continuum solventibus exortus. *Signa* sunt, sensus doloris in intestinis crassioribus terebrans & perforans; hypogastrii inflatio; fæcum ac flatuum suppressio; nausea, ructus, vomitus. *Provenit* colica passio ab humoribus crassis & viscidis, inter intestinorum tunicas hærentibus; a fæcibus duris & retentis; itemque a flatibus in cavitate contentis, exitu carentibus. Nimirum, flatus copiosior, in intestino colo congestus, cum propter obstructionem erumpere nequit, intestinum vi distendit atque divellit.

De Morbis Ani.

Ani procidentia, est exterioris in recto intestino partis, extra prominentia. Provenit a magno conatu, qui fit in egestione fæcum; irritatione magna, quæ vel in dysenteria, vel tenesmo affligit; vel ab imbecilli-

cillitate musculorum, qui, post alvi egestionem, anum retrahere solent.

Alvi Retentio, est fæcum vel nulla, vel, pro ratione assumtorum, admodum parva dejectio. Oritur aut ex vitio fæcum, aut vitio intestinorum.

Lienteria, Durchlauf / est nimis celer alimentorum, ea forma, qua assumta sunt, per alvum excretio, vitio facultatis retentricis & expultricis ventriculi & intestinorum proveniens.

Cœliaca, est celer esculentorum & potulentorum ex ventriculo ad intestina transitus, unde illa chyli aut cremoris specie profluunt.

Diarrhœa, est immoderata, frequens ac diuturna alvi dejectio, qua humores excrementitii & sinceriores, quantitate, vel qualitate, expultricem ventriculi & intestinorum facultatem stimulantes, sine vehementi doloris sensu, profluunt.

Dysenteria, rote Ruhr / est alvi frequens, cruenta, cum dolore ventris, & intestinorum exulceratione, a materia acri, erodente, & peculiariter intestinis infesta, dejectio. *Causa*, sunt humores acres, intestina erodentes, qui, per contagium dysentericum infecti, in venas & arterias penetrantes, fermentationem efficiunt, & similem dispositionem toti massæ sanguineæ imprimunt, ac eandem cum aliis humoribus, more purgantium, concitant. Pravam quoque dispositionem intestinis affigunt, ita ut chylus præterfluens in humorem vitiosum mutetur, nec fæces alvi naturalem elaborationem & qualitatem recipiant. Aliquando, præter sanguinem, mucus quidam excernitur; atque tunc *Alba Dysenteria*, die weisse Ruhr / nominatur: ea gravior est rubra, quia ab intestinorum substantia magis exulcerata provenit.

Flu-

Fluxus alvi sanguineus fit sine dolore & exulceratione: oriturque ob sanguinis copiam, profectam vel ab intemperie hepatis calida, vel a membri alicujus præcisione, vel ab evacuationis consuetæ suppressione; aut venam ruptam, vel apertam.

Inflammatio Intestini Recti, fit vel a causis violentis, vel a medicamentis & cauteriis corrodentibus.

Verrucæ, sunt aut *Condylomata*, seu tumores pelliculæ ani, tubercula nimirum dura & occallescentia, ex humore melancholico excrescentia, tædio quam dolore molestiora; aut *Thymi* seu Verrucæ asperiores, quæ si multum excrescant, *Ficus* appellantur.

Rhagades seu *Fissuræ*, Schrunden im Packdarm / sunt oblonga ani sine tumore ulcuscula, eaq; vel superficialia vel profunda; callosa, vel callo carentia; humida & saniem fundentia, vel sicca & cancrosa, quibus sphincteris rimæ proscinduntur. Oriuntur a fæcum duritie nimia, aut acriorum humorum erodentiumque affluxu; & tum pruritus, & dolor acerrimus cum ardore infestat.

Intertrigo, der Wolf / est cutis ani abrasio, seu excoriatio aut attritio, ab equitatione & ambulatione, aliave externa frictione, præcipue cum quis eo loco calet, & sudore perfunditur, proveniens.

Pruritus ani, est ejusdem dolorosa quædam titillatio. Oritur maxime ab humoribus acribus, salsis & viscidis, sphincteri, sive musculo intestini recti adhærentibus; interdum a vermibus, aut ulcere.

Tenesmus, est assidua per alvum ejiciendi cupiditas cum dolore, dum interim vel nihil, vel pauca mucosa dejiciuntur. In hoc affectu prolabitur interdum intestinum rectum, & accidit simul urinæ, propter vicinitatem & consensum harum partium, stillicidium,

vel difficultas. Causa est, quicquid intestini recti extremitati affigitur, & ejus facultatem expultricem stimulare potest. Talia sunt, nimia intestini recti refrigeratio, calculus, vermes, denique biliosi, pituitosi, & salsi humores.

Hepaticus fluxus est, cum dilutus & aquosus sanguis, recentis carnis loturæ persimilis, per alvum effunditur. Causa illius est hepatis imbecillitas.

Hæmorrhoidum fluxus, est nimia sanguinis per venas hæmorrhoidales dejectio. Effluit primo sanguis niger & crassus, dein bonus ac rutilus, tandem citrinus & pallidus. Causa est, quicquid vim expultricem venarum & arteriarum, jecoris item, vel lienis irritat, vel retentricem earundem lædit.

Hæmorrhoidum suppressio, est sanguinis per venas ani elabi conantis interceptio, unde istæ in dolorem cum tumore elevantur. Causa est sanguis fæculentus & crassus, elabi cupiens.

De Morbis Mesenterii.

Intemperies Mesenterii plerunque est calida & sicca, a materia simili oborta, quæ vel ibi colligitur, vel aliunde transmittitur.

Mesenterii Obstructio oritur, quando vel venæ *lacteæ*, a chylo crasso, lento, viscido, sunt obstructæ; vel venæ mesaraicæ a vaporosis & crassis flatibus, aut humoribus acribus intercipiuntur.

Mesenterii Inflammatio, est ejusdem tumor, ab humoribus, cum sanguine nutriente, in spatia ipsius effusis, vel glandulis altius impactis, & calore externo accedente putrescentibus, exortus.

Dolor Mesenterii, est tristis ipsius sensus, qui a materia calida & acri, in membranas ipsius detrusa, oritur,

tur, cum ventris & lumborum perpetuo dolore, per intervalla, autumnali præcipue tempore accedente, affligit, interdum & in caput, & totum corpus distribuitur.

Pancreatis Obstructio, dolores circa regionem ventriculi, & in dorso, quin & difficilem respirationem excitat.

Omentum, per rami splenici surculos, interdum fæculentos, a liene suscipit humores, atque inde sæpe abdomen, in sinistra parte, versus umbilicum, in tumorem attollitur, sæpe, compresso ventre, sonus & strepitus exauditur.

De Morbis Hepatis.

Intemperies Hepatis, est ejusdem a temperamento naturali, propter causas externas & internas, deflexio.

Obstructio Hepatis, est vasorum in hepate angustia, a materia ipsorum cavitatem implente, producta, alimenti distributionem impediens.

Inflammatio Hepatis, est ejusdem tumor calidus, ex sanguine impacto, & in ipsa Hepatis substantia putrescente, exortus, cum febre continua, dolore gravativo, sensusque ponderis in dextro hypochondrio affligens.

Hepatis Scirrhus, Leber-Knollen/ est ejusdem tumor durus, dolorificus, ab humore crasso, in visceris substantia impacto & indurato, genitus.

Vlcus Hepatis, est ejusdem a pure, vel succo erosio, quod perpetua colluvie, alimento continenter alluente, sordescit.

Imbecillitas Hepatis, est facultatum ejusdem, a causis suis inducta læsio.

De

De Morbis Abdominis.

Ascites, est abdominis ab humore aquoso, seroso & salso, in ejus capacitatem, Hepatis, Lienis, & Renum vitio, effusi, cum pedum, femorum, & scroti tumore, distensio.

Tympanites, est abdominis ex multo flatu, a calore vel debili, vel torrefaciente excitato, in illius capacitate concluso, distensio.

De Morbis Lienis.

Lienis Obstructio, est ejusdem ab humoribus crassis infarctio.

Lienis Inflammatio, est ejusdem a sanguine, in substantiam ejus effuso, in tumorem elatio.

Scirrhus Lienis, est tumor ejusdem durus, ab humore crasso, glutinoso & indurato procedens.

Dolor Lienis, das Miltz-Stechen / a solutione continui, & tensione membranæ oritur. Accidit interdum sanis, in latere plerunque sinistro, aliquando & in dextro, potissimum post cibum sumtum, si tunc corpus validius equitatione aliove motu graviore agitetur.

Affectio Hypochondriaca, est vitiosorum, in venæ portæ, arteriæ cœliacæ & mesentericæ ramis, ob *læsam* lienis coctionem, absque putredine collecta, & per vaporum emissionem multa symptomata inferens, colluvies. Dicitur *Hypochondriaca*, ob locum utriusque hypochondrii, per quem partem illam corporis, quæ, sub nothis costis, ad ilia usque utrinque se porrigit, & cum musculis viscera ipsa complectitur, intelligere oportet. Interdum *Melancholiæ* nomen accipit, quia cerebrum per consensum afficitur. *Signa* sunt, Ventriculi cruditas, dolor, alvi adstrictio,

æstus in hypochondriis quasi inflammatorius, qui motu, cibo, potu, & calidioribus magis ingravescit. Amplius, urina modo tenuis, propter vias obsessas, modo turbida, propter humoris admistionem; Flatulentia, & in sinistro præsertim hypochondrio fluctuatio; anxietas, cordis palpitatio, palati, oris & linguæ siccitas, respiratio difficilis, & cerebri perturbatio proveniunt. *Causa* sunt humores pituitosi, biliosi & melancholici, qui propter lienis, ob intemperiem calidam, coctionem læsam, in venæ portæ, arteriæ cœliacæ, & mesentericæ ramis, majoribus præsertim, colliguntur. *Curatio* fit per Chirurgiam, cum sanguis mittitur, & Pharmaciam, cum humor corruptus educitur. Conferunt etiam Acidulæ, Thermæ, Chalybs, si, præmissa primarum viarum evacuatione, adhibeantur.

De Morbis Renum.

Obstructio Renum, est vasorum in renibus, a causis suis inducta oppressio: cujus *Signa* sunt, urinæ retentio, vel paucitas, & exinde gravitatis circa lumbos sensus: *Causa* vero, viscidi, crassi & lenti humores.

Renum Inflammatio, seu *Nephritis*, est Renum a sanguine, in ipsorum substantiam effuso, & ibidem putrescente, intumescentia, cum vehementi dolore, & fibrosis aut arenosis excretionibus conjuncta.

Calculus Renum, est substantia solida, & lapidosa, in renibus, adjumento caloris, exorta. *Signa* sunt, dolor, qui in lumbis afficit, urina cruenta, stupor crurum, nausea, & vomitus. *Causa*, est succus lapidescens, qui provenit ex fæculentia alimentorum, quæ, si retineatur, huic vel illi parti se agglutinat, perque

novum

novum materiæ appulſum quotidie augetur, & aucta ſenſim redigitur ad ſiccitatem.

Vlcus Renum oritur a calculo intus coërcito, qui vel pondere Renem contundit, vel attritu comminuit exeditque. Tum Vrina, antequam purulenta eſſe incipit, cruenta, præſertim ab exercitatione & labore, evadit.

De Morbis Veſicæ.

Calculus Veſicæ ex calculi Renum definitione percipitur. *Signa* ejus, pruritus dolorque acerbus in collo veſicæ, urina guttatim emiſſa, ejusque ſedimentum arenoſum.

Veſicæ Inflammatio, non tam ipſius ſubſtantiæ; quæ tenuis & exſanguis, inſidet, quam ſphincteris muſculo. *Signa* ſunt dolor acerbus, urinæ cum ſummo mejendi conatu ſuppreſſio, pubis ad umbilicum propter urinæ copiam diſtenſio. *Cauſa*, eſt eadem, quæ aliarum inflammationum.

Meatus urinarii anguſtia, eſt ejusdem a cauſis ſuis profecta, & urinæ ſuppreſſionem inducens, interceptio. Eſt vero alia ab obſtructione, quæ fit aut a calculo, aut a grumo ſanguinis, aut pituita, craſſa & viſcida; alia a conſtipatione, per carunculam, callum, verrucam in meatu urinario enatam.

Incontinentia urinæ, eſt ejusdem, propter ſphincterem reſolutum, vel veſicam compreſſam, ſine acrimoniæ & doloris ſenſu, præter imperii arbitrium, emiſſio.

Diabetes, eſt celerrima & copioſiſſima potus non transmutati emictio, a vi intenſa renum attractrice exorta, & cum ſiti valida & perpetua affligens.

Iſchuria, eſt urinæ, ob fruſtrationem facultatis expultricis, ſuppreſſio, ita ut hujus nihil excernere poſſit.

possit. Oritur a vesicæ morbis, vel meatus urinarii angustia.

Stranguria, est urinæ guttatim facta, cum vel sine dolore, & continuo ad mingendum stimulo, excretio, ab assidua facultatis expultricis vesicæ, propter affectum sphincterem, stimulatione, vel retentricis minimo etiam onere gravatæ, debilitate, exorta. Oritur ergo ab urinæ acrimonia, pure, ab hepate, renibus, vel aliunde transmisso; calculo, inflammatione, aut vicinarum partium affectu.

Dysuria, est urinæ ardentis, interdum paucæ, interdum copiosæ, cum cruciatu, sine interruptione, redditio, a causis tam externis, quam internis, meatum urinarium afficientibus, exorta.

Mictus purulentus, est una cum urina excretio saniei, in vesica congestæ. Congeritur autem, vel ipsius vesicæ, vel ureterum, vel meatus urinarii, vel renum, jecoris, thoracis vitio.

Mictus cruentus, est sanguinis una cum urina excretio, ob ejusdem in vesica congestionem, quæ vel a renibus, vel hepate provenit, exorta.

Mictus Pilaris, seu *Trichiasis* est, ubi, cum urina, materia mucosa, nunc pilis aut capillis, nunc tenuibus foliis similis excernitur. *Causa*, est crassa & viscida pituita, in venis a calore exsiccata & coacta, quæ in longo, per angustias renum & ureterum venas, transitu, in tanta longitudine excernitur.

De Morbis Partium Genitalium.

Hernia Scroti, est ejusdem tumor, vel ab omento in ipsum delapso, vel a flatu, aut aqua ibidem collectis, aut massa carnea ibi genita, exortus.

Impotentia virilis est, quando virga nullo conatu erigi aut extendi potest. Oritur a spiritus vitalis defectu,

fectu, vel quia paucus est, propter cordis frigiditatem & siccitatem, vel, quia alio avocatur; quod in meditationibus, timore, verecundia &c. accidit.

Salacitas, est nimia in venerem, vitio seminis, propensio; interdum etiam tanta, ut in furorem vertatur.

Priapismus, est errectio virgæ, citra veneris appetentiam, a flatuoso spiritu, fistulosum penis nervum replente, exorta.

Gonorrhœa, est nimia & invita seminis, suo & spermaticarum partium vitio exorta, profusio.

Sterilitas, est concipiendi, vitio seu genitalium, seu seminis, seu uteri, seu sanguinis menstrui, proveniens impotentia.

Mola, est massa sine ossibus & visceribus, ex imperfecta conceptione, seminis tum masculini, tum fœminini vitio, loco fœtus genita.

De Morbis Vmbilici.

Hernia Vmbilicalis, est Vmbilici, ab intestinis, omento, aqua, flatu, vel carnosa substantia, in eundem prolapsis, vel ibidem exortis, intumescentia. Estque alia *Intestinalis*, quando intestina in umbilicum prolabuntur; alia *Omentalis*, quando omentum in umbilicum procidit.

CAPVT XVII.

De Medicamentis.

MEdicamentum in genere, est omne id, quod, corpori ægro applicatum, illud a statu præternaturali ad naturalem, per facultates suas, reducere aptum est.

Medicamenta varie *dividuntur*: & constitutionis respectu, sunt vel Simplicia, vel Composita. *Simplicia*

vocan-

vocantur, quæ talia sunt, qualia natura produxit, quæque nullam ab arte compositionem sortiuntur, etsi ingrediuntur compositionem arte factorum: Sunt autem vel Fossilia, vel Vegetabilia, vel Animalia, vel Microcosmica.

Medicamenta Fossilia sunt ea, quæ ex terræ visceribus depromuntur, uti Terræ, Succi concreti, Bitumina, Lapides, Metalla.

Medicamenta Vegetabilia, sunt Arbores, Frutices, & Herbæ; quatenus illæ removendis corporis humani affectibus, vel totæ, vel partibus suis, radicibus nempe, lignis, corticibus, foliis, floribus, fructibus, & humoribus inserviunt.

Medicamenta Animalia sunt, quæ vel ab animalibus totis, vel ipsarum partibus desumuntur.

Medicamenta Microcosmica sunt, quæ ex corpore humano, ad depellendos humani corporis affectus, desumuntur.

Composita Medicamenta, vel a Natura, vel ab Arte sunt talia. Ad illa revocantur Acidulæ, & Thermæ. *Acidulæ* sunt aquæ, quæ sapore acido, & viribus aliis, a mineralibus imbutæ, morbos, si convenienter adhibeantur, depellunt. *Thermæ*, sunt aquæ calidæ, quæ e terra perpetuo prosiliunt, ab igne subterraneo effervescunt, & morbos, vires a fossilibus sortitæ, depellunt, si convenienter adhibeantur.

Medicamenta Composita Artificialia sunt, quæ, ab arte, ex simplicibus, prævia aliqua præparatione componuntur, & in certam formam rediguntur. Sunt vero vel Interna, vel Externa.

Interna dicuntur, quæ per os intra corpus assumuntur: Et sunt vel Fluida, vel Solida, vel Media.

De Medicamentis Internis Fluidis.

Medicamenta Interna Fluida ſunt, quæ inſtar aquæ fluunt, uti Decocta, Infuſa, Potiones, Vina medicata, Cereviſiæ medicatæ, Oxymel, Aqua hordei, Acetum medicatum, Aquæ deſtillatæ, Syrupus, Julepus, Emulſio, Eſſentiæ, Spiritus, Tincturæ, Olea.

Decocta, fiunt ex vegetabilibus, animalibus, & mineralibus, interdum, ſi opus ſit, inciſis, contuſis, vel raſis, in aqua vel ſimplici, vel præparata, ad ignem lentum vel clarum, in vaſe aperto, vel clauſo, ad partis tertiæ vel quartæ conſumtionem decoctis, ita ut cocta colentur, aromatizentur, clarificentur.

Infuſa, fiunt ex vegetabilibus, vel mineralibus, purgantibus, vel vomitoriis, proportione ſeſquialtera vel dupla, in liquorem aliquem conjectis, & in eodem certo ſpatio maceratis, poſt colatis.

Potiones fiunt, quando liquoribus evacuantia electuaria, extracta, pulveres, rotulæ &c. ſine decoctione, miſcentur.

Vina Medicata parantur, quando vinum defæcatum, aut muſtum, ſine ſaccharo, vel cum eo, viribus medicamentorum ſimplicium, vel ſubito, per olea, ſpiritus, & tincturas, vel per infuſionem longam, imprægnatur.

Cereviſiæ medicatæ eadem ratione parantur.

Oxymel fit, quando acetum cum melle miſcetur, & plantæ in eo interdum immerguntur.

Aqua Hordei fit, quando Hordeum in aqua vel ſolum, vel cum paſſulis, aniſo, cinnamomo, ad crepaturam decoquitur, colatur, & gutta una vel altera ſpiritus vitrioli, vel ſulphuris acidi, admiſcetur.

Ace-

Acetum Medicatum fit, quando in Aceto ſimplicia vel compoſita macerantur, vel ex eorundem ſuccis idem elicitur.

Aquæ Deſtillatæ, vel in Cucurbita per Balneum Mariæ, ex plantis frigidis, iiſque vel totis, vel contuſis, & in ſuccos redactis; vel in veſica ex calidis, & quorum vis non facile evocatur, iiſque fermentatis, eliciuntur.

Syrupi, ex decoctis, infuſis, ſuccis depuratis, aceto, parantur, ſaccharo aut melle condiuntur, ad mellis fere conſiſtentiam decoquuntur, & tam ad alterandum, quam ad purgandum, raro ſoli, ſæpius duplo aquarum deſtillatarum diluti, uſurpantur.

Julepi, fiunt ex aquis deſtillatis, ſuccis, conſervis, & ſaccharo, vel ſine decoctione, vel cum decoctione.

Emulſiones ex ſeminibus, nucleis, margaritis, coralliis, cornu cervi, fructibus etiam nonnullis, liquore affuſo contuſis & expreſſis, parantur.

Eſſentiæ, ex viridium herbarum ſucco, cum S. V. expreſſo, & in B. M. digeſto, colorato, per inclinationem ſeparato fiunt, & cum pauxillo ſacchari in ſyrupi formam coquuntur.

Spiritus, in aquarum tam ſimplicium quam compoſitarum deſtillatione, una cum aquis deſcendunt, ab iiſque poſtea per cucurbitam, phialam &c. ſeparantur. Sed hoc de volatilioribus accipere oportet; nam fixiores, retorta, igneque fortiori ejiciuntur.

Tincturæ, ex ſiccis plantis, plerunque calidis, contuſis, menſtruo, id eſt ſpiritu vini, rore majali, vel alio interveniente, in loco calido, vaſe clauſo, tam diu extrahuntur, donec menſtruum non amplius coloratur: & vel per chartam filtrantur, vel digeſtione depurantur.

Olea, vel sine aquis ex gummosis & resinosis eliciuntur, vel cum aquis in destillatione descendunt, vel ab iis aut per separatorium, aut per fila linea crassiora, vel per chartam bibulam separantur, in quibusdam subsident.

De Medicamentis Internis Solidis.

Medicamenta Interna Solida sunt, Pulveres, Salia, Croci, Flores, Præcipitata, Vitra, Fæculæ, Confecta, Rotulæ, Morsuli, Trochisci, & Pillulæ.

Pulveres, ex medicamento uno vel pluribus contusis constant.

Sal rebus fere omnibus inest duplex: *Volatile*, nonnullis Essentiale dictum, quod ignem & calorem non sustinet, sed avolat, & calcinatione discutitur: & *Fixum*, quod paratur e cineribus plantarum & lignorum, dum ex iis lixivium conficitur, idq; coquitur donec omnis aqua exhalet, & tum sal relinquitur.

Croci, sunt subtiles pulveres, vel tincturæ, in pulveris formam redactæ, crocei coloris. Præcipui sunt *Crocus Metallorum*, qui nihil aliud est quam antimonium cum nitro calcinatum, & in pulverem crocei coloris redactum; & *Crocus Martis*, qui variis modis paratur.

Flores, Chymicis nominantur plerunque subtiliores corporis partes, a crassiore per sublimationem separatæ.

Præcipitati nomen præcipue tribuitur Mercurio: qui, postquam in aqua forti solutus est, ab aqua solvente separatur subsidetque, *Mercurius præcipitatus*, vel *Turbith minerale* nominatur.

Vitrum ex calcibus rerum paratur, si cinis aut calx validissimo igne fundatur, addaturque ad fusionem matu-

maturandam nonnunquam Borax, vel alii pulveres fuſorii: fuſa materia ſuper pelvim calefactam, vel aliam tabulam effunditur. Sic paratur Vitrum, & Succinum Antimonii.

Fæcula, eſt pulvis quidam farinaceus, inſtar amyli, & fit ex ſucco radicum quarundam expreſſo, qui ſi in loco frigido collocetur, fæcula ſponte ſubſidet, quæ, effuſo humore ſupernatante, in umbra ſiccatur.

Confecta, ſunt condita arida, ob ſaporis gratiam inventa, & parantur tam ad alterandum, quam ad evacuandum.

Rotulæ, a figura rotunda ſic dictæ, ſunt etiam vel alterantes, vel purgantes, & parantur cum ſaccharo: cujus proportio vulgatiſſima eſt octupla in alterantibus, & quadrupla in purgantibus.

Morſuli, eodem fere modo fiunt; & ſunt vel alterantes, vel purgantes, vel nutritivi.

Trochiſci ſeu *Paſtilli*, ſunt medicamenta ſolida, cohærentia, ex convenientibus, cum liquore exceptis, conſtantia, figura ſeminis lupinorum, & ſuperficie plana, eo fine inventa, ut medicamenta pulverizata, ſub hac ſolida figura, adverſus aëris injurias tutius conſerventur. Parantur ex omnis generis medicamentis, non ſolum pulveribus & ſpeciebus, ſed etiam additis ſuccis inſpiſſatis, conſervis, extractis, aut ſimilibus confectionibus.

Pillulæ ſeu καταπότια, ſunt medicamenta in formam globulorum redacta, ut integra deglutiantur, & inſuavitas minus guſtu percipiatur. Fiunt ex pulveribus cum humore commixtis.

De Medicamentis Internis Mediis.

Medicamenta Interna Media, quæ inter fluida & solida intercedunt, habent sub se Extracta, Resinas, Conservas, Condita, Rob, Electuaria, Eclegmata, Saponeas, & Bolos.

Extractum, perinde ac Tinctura extrahitur, & ad consistentiam vel mellis, vel pillularum, vel pulveris redigitur.

Resina, ex gummosis extrahitur, & aqua rosarum in extractionem, cum spiritu vini factam, præcipitata, calore lento siccatur.

Conserva, fit ex floribus, interdum herbis & radicibus mollioribus contusis, & cum sacchari duplo conditis.

Conditum, fit ex radicibus, corticibus, fructibus, aut durioribus aqua maceratis vel coctis; aut mollioribus saccharo & melle conditis, ut diutius durent, & gustui gratiores sint.

Rob, seu succus inspissatus ex fructibus, nonnunquam ex floribus, vel cum expressione, vel sine expressione, coquitur, sacchari subduplo aut pari quantitate addita.

Electuarium, fit ex conservis, speciebus, rotulis, trochiscis, addita succi vel syrupi proportionata quantitate.

Eclegma, seu *Looch*, ex speciebus, pulveribus, conservis, succis, cum liquore vel syrupo mistis fit, & ad pulmonum ac thoracis vitia adhibetur.

Saponea, est linctus ex amygdalis decorticatis, contusis, & cum saccharo, in aqua conveniente dissoluto, ad mellis consistentiam coctis, additis ad finem amylo, & aqua rosarum.

Bolus,

Bolus, ex electuariis, pulpis, conservis, speciebus, cum pauxillo syrupi componitur, inq; globosam figuram redigitur; & vel ad purgandum, vel vomendum, vel alterandum, vel aliam intentionem adhibetur.

De Medicamentis Externis, & speciatim de Fluidis.

Medicamenta Externa, sunt vel Fluida, vel Solida, vel Media, vel Indifferentia. *Fluida* sunt, Clysteres, Collutiones oris, Gargarismi, Olea, Epithemata, Stillicidia, & Lotiones.

Clysteres, qui & *Enemata*, sunt medicamenta, quæ per anum in intestina, instrumento idoneo injiciuntur. Fiunt e radicibus, corticibus, foliis, floribus, fructibus, in aqua coctis & colatis. Usus ipsorum est in alvo laxanda, abstergendo, flatibus discutiendis, adstringendo, renum & intestinorum dolore sedando.

Collutiones oris, seu Διακλύσματα, sunt medicamenta, quæ in ore detinentur, & sine deglutitione, linguæ beneficio, hinc & inde agitantur. Doloribus dentium & gingivarum imprimis destinata sunt.

Gargarismi, sunt medicamenta, quibus fauces sine deglutitione colluuntur, humorque ore contentus reciproco motu ad fauces agitatur. Fiunt ex aquis destillatis, vel decoctis convenientibus.

Olea, parantur vel per destillationem, vel per expressionem succi oleaginosi.

Epithemata, extremis corporis partibus applicantur, & fiunt ex aquis destillatis, succis, infusis, parti & affectui convenientibus. Pertinent ad ea *Oxyrrhodi-*

rhodina, quæ fronti peculiariter ad refrigerandum & repellendum applicantur.

Stillicidia, parantur ex aqua communi, decoctis &c. Adhibentur ex vasculo, proboscide inclinata.

Lotiones, sunt vel totius corporis, & vocantur Balnea; vel ejusdem partium.

De Medicamentis Externis Solidis.

Medicamenta Externa Solida sunt Glandes, Pessi, Emplastra, Cerata, Cauteria.

Glandes, vulgo *Suppositoria*, sunt medicamenta solida, quæ ano immittuntur, figura tereti, instar candelæ cereæ, quatuor vel quinque digitos transversos longa. Adhibentur ad alvum laxandam, ægro debiliore.

Pessus, est medicamantum, sinui pudoris indendum, figuram habens oblongam, teretem, longitudine digiti & crassitie, paratum vel ex sacculo lineo oblongo, vel lana, & gossypio, res medicamentosas excipientibus.

Emplastra, sunt medicamenta, quæ, linteis vel pellibus tenuibus inducta, cuti corporis tenacius adhærescunt.

Cerata sunt, quæ majorem partem ceræ recipiunt, & emplastro minus duram habent consistentiam.

Cauteria, sunt medicamenta, quæ adurendi corpus, crustamque excitandi vim habent. Vlcus cauterio excitatum *Fontanella* dicitur.

De Medicamentis Externis Mediis.

Medicamenta Externa Media, sunt Balsama, Linimenta, Vnguenta, Cataplasmata.

Balsa-

Balsama, conficiuntur ex oleis incorporatis.

Linimenta, sunt medicamenta, mediæ inter oleum & unguentum consistentiæ: paranturque, quando oleis, butyro, pinguedinibus adduntur pulveres, succi, resinæ, & lacrymæ arborum.

Vnguenta, a Linimentis consistentia crassiore differunt: & parantur vel sine igne, vel cum igne, ex pinguedinibus, oleis, radicibus oleo maceratis, & ad consumtionem liquoris decoctis.

Cataplasma, est compositio mollis, pulti similis, ex aliquo farinæ genere, floribus, & aliquo humido, aut unctuoso parata.

De Medicamentis Externis Indifferentibus.

Medicamenta Externa Indifferentia vocantur, quæ aliquando parantur liquida, aliquando solida, aliquando media. Suntque Apophlegmatizantia, Dentifricia, Errhina, Ptarmica, Odoramenta, Smegmata, Suffitus, Collyria.

Apophlegmatizantia sunt, quæ, ore detenta, pituitam e capite, & vicinis locis proliciunt.

Dentifricia, ad dealbandos, extergendos, & stabiliendos dentes, gingivasque laxas comprimendas parantur.

Errhina, sunt medicamenta, quæ naribus, capitis purgandi gratia, induntur.

Ptarmica, ab his non multum differunt, & sternutationem excitant.

Odoramenta fiunt ex iis, quæ suavem odorem excitant.

Smegmata parantur ex ſapone raſo, cui pulveres convenientes adduntur, & omnia cum liquore in unam commiſcentur maſſam.

Suffitus, ad odoramenta pertinent, & forma pulveris, trochiſcorum, & pyramidum parantur.

Collyria, adhibentur externe oculis, & parantur vel ſicca, vel humida, vel vaporoſa, quando vapor, ex rebus coctis exhalans, capite linteo tecto, oculis excipitur.

De aliis Medicamentorum Differentiis.

Medicamenta Temperata ſunt, quæ in qualitatibus primis non excedunt: uti Aſparagus, Glycyrrhiza.

Medicamenta Calida ſunt, quæ calefaciendo humanum corpus alterant: ſuntque talia, in Primo, Secundo, Tertio, vel Quarto gradu. *Calida in primo gradu* ſunt, quæ vix ſenſibiliter calefaciunt: uti Abſinthium, Borrago. *Calida in ſecundo gradu* ſunt, quæ manifeſte, ſed citra læſionem, calefaciunt: uti Betonica, Pimpinella, Nux Moſchata. *Calida in tertio gradu* ſunt, quæ vehementer quidem, & cum moleſtia, ſed citra corruptionem, calefaciunt: ut Aſarum, Juniperus, Hyſſopus, Aniſum, Fœniculum. *Calida in quarto gradu* ſunt, quæ, cum graviſſima corporis humani læſione, calefaciunt: uti Allium, Cæpa, Sinapi, Piper.

Medicamenta Frigida ſunt, quæ frigefaciendo humanum corpus alterant: ſuntque talia, in Primo, Secundo, Tertio, vel Quarto gradu. *Frigida in primo gradu* ſunt, quæ corpus humanum vix ſenſibiliter frigefaciunt: uti Mala cydonia, Pruna, Myrtus. *Frigida*

ida in ſecundo gradu ſunt, quæ manifeſte, ſed citra æſionem, frigefaciunt: uti Acetoſa, Cichoria, Latuca, Cucurbita, Pepones. *Frigida in tertio gradu* ınt, quæ vehementer quidem, ſed ſine corruptione, igefaciunt: uti Portulaca, Sempervivum, ſemen Cicutæ. *Frigida in quarto gradu* ſunt, quæ frigeaciendo corrumpunt: uti Folia Cicutæ, Papaveris, Opium.

Medicamenta Humida ſunt, quæ humefaciendo orpus humanum alterant: ſuntque talia pleraque Primi, & Secundi, gradus. *Primi gradus* ſunt, Radices Malvæ, Citri caro. *Secundi*, flores Nymphææ, Violarum, Pepones.

Medicamenta Sicca ſunt, quæ ſiccando corpus umanum alterant: ſuntque talia Primi, Secundi, Tertii, & Quarti gradus. Sicca *in Primo ſunt*, fructus baccæ Juniperi, Caſtaneæ, Thus: in *Secundo*, Raphani, Calamus odoratus, Fœniculum: in *Tertio* Cinamomum, Galanga, Hyſſopus: in *Quarto*, Ruta ſyleſtris, Allium, Sinapi, Naſturtium.

Medicamenta Digerentia ſunt, quæ naturam in coquendis humoribus, præter naturam peccantibus, uvant.

Medicamenta Emollientia ſunt, quæ id, quod concretum eſt, & obduruit, lenificant.

Medicamenta Indurantia ſunt, quæ emollientibus opponuntur.

Medicamenta Laxantia ſunt, quæ illi pravæ dispoſitioni, quam materia quædam, vel vapor, vel flaus, partium ſpatia replens & dilatans, efficit, medentur.

Medicamenta Anaſtomatica dicuntur, quæ vaſorum ora aperiunt.

Medi-

Medicamenta Attenuantia ſunt, quæ diſſolvunt & extenuant craſſos, viſcidos, & glutinoſos humores, ut vel ſponte ſua evaneſcant, vel trahentium vi facile diſſipentur.

Medicamenta Aperientia ſunt, quæ internas obſtructiones reſerant.

Medicamenta Incraſſantia ſunt, quæ ſuccos tenuiores & liquidiores craſſiores reddunt.

Medicamenta Emplaſtica ſunt, quæ ſua ſubſtantia meatus corporis oblinere, oppilare, & offercire poſſunt, eidemque illita tenaciter adhærent.

Medicamenta Extergentia ſunt, quæ lentos & glutinoſos humores, corpori adhæreſcentes, eluunt.

Medicamenta Anodyna ſunt, quæ calore ſuo moderato, meatus reſerando, dolorem leniunt, ipſiusque cauſam, per inſenſibilem transpirationem discutiunt.

Medicamenta Narcotica ſunt, quæ ſtuporem parti, ne ſentiat id, quod dolorificum eſt, inducunt.

Medicamenta Attrahentia ſunt, quæ non ſolum tenues & ſeroſos humores, ſed & craſſiores, & partibus alte infixos, in ſuperficiem educunt.

Medicamenta Repellentia ſunt, quæ humoris in parte influxum, frigiditate ſua aquoſa, prohibent, vel eum, qui recens influxit, atque in eo nondum impactus fluctuat, reprimunt.

Medicamenta Adſtringentia ſunt, quæ ex craſſa & terrea ſubſtantia conſtant, meatus partis contrahunt, tenuiores partes elidunt, & ſic etiam repellunt.

Medicamenta Maturantia ſunt, quorum adjumento calor nativus ſanguinem nativum in pus convertit.

Medi-

Medicamenta Glutinantia ſunt, quæ, recentium vulnerum diducta labra conjungunt, &, ne quippiam inter ipſa influat aut ſuccreſcat, impediunt.

Medicamenta Cicatricem inducentia ſunt, quæ & id, quod confluit, & humorem, qui in ipſa carne continetur, conſumunt, ut caro in cutis ſimilitudinem mutetur.

Medicamenta Corrodentia, excreſcentem carnem mollem tollunt, extimamque ejus ſuperficiem ſenſim liquefaciunt.

Medicamenta Putrefacientia, carnem duriorem colliquant.

Medicamenta Pſilothra, pilos exſtirpant, partemque glabram reddunt.

Medicamenta Purgantia ſunt, quæ humores, in corpore humano præter naturam ſtabulantes, per inferiora extrudunt. Atque vel proprio humori, ut bili, melancholiæ, vel omnibus humoribus expellendis dicantur; quæ poſteriora proprio nomine *Catholica* appellari ſolent.

Medicamenta Vomitoria ſunt, quæ humores per ſuperiora ejectant.

Medicamenta Diuretica ſunt, quæ urinam cient, perque eandem peccantem materiam evacuant.

Medicamenta Hydrotica ſunt, quæ materiam peccantem per ambitum corporis ſenſibiliter pellunt; dicuntur alias *Sudorifera.*

Medicamenta Diaphoretica ſunt, quæ per inſenſiles corporis meatus materiam educunt. Sunt omnia calida, materiamque in halitum convertunt, & poros cutis aperiunt.

Medicamenta Planetica, e germinibus, quæ, ſecundum aliquorum opinionem, a planetis appellationem

nem & vires suas accipiunt, & in operando pendent, parantur: suntque totuplicia, quot Planetas numeramus. Atque *Saturnina* germina illa vocantur, quæ sunt aspectu horrido, odore ingrato; *Jovialia*, quæ saporem & odorem habent gratum; *Martialia*, quæ sunt forma aculeata & aspera, sapore caustico; *Solaria*, quæ sunt colore flavo, odore fragrante, sapore grato; *Venerea*, quæ habent florem album, humorem lentum, saporem dulcem; *Mercurialia*, quæ varium florum colorem habent, & siliquas gerunt; *Lunaria* denique, quæ folia habent crassa, succulenta, saporis aquei, vel subdulcis.

CAPUT XVIII.

De Ratione Medendi.

RAtio Medendi est, quæ auxilium corpori humano ægro, sed sanabili, apte præstat: & dividitur in Προσθετικὴν & Ἀφαιρετικὴν.

Ratio Medendi Προσθετικὴ est, quæ, quantum viribus naturæ deest, tantundem supplere, per augmentationem & multiplicationem, nititur.

Ratio Medendi Ἀφαιρετικὴ est, quæ potentiam sanativam ab impedimentis liberare, & eandem ad actum promovere allaborat.

Ἀφαίρεσις, respicit tum humores quantitate, qualitate, motu & loco peccantes; tum ipsos flatus.

Ἀφαίρεσις *Humorum Quantitate peccantium*, per venæ sectionem, frictiones, inediam, balnea, hæmorrhoidas, menses, scarificationem, cucurbitulas, & hirudines absolvitur.

Ἀφαί-

Ἀφαίρεσις *Humorum Qualitate peccantium*, consistit in alteratione, purgatione, vomitione, diuresi, sudatione.

Ἀφαίρεσις *Humorum Motu peccantium*, habet sub se Revulsionem, Repulsionem, Derivationem, & Interceptionem. Atque *Revulsio* est materiæ, in aliquam partem fluentis, in contrarium conveniens aversio. Fit vero per venæsectionem, cucurbitulas, hirudines, ligaturas, frictiones &c. *Repulsio*, est humoris influentis, per medicamenta repellentia, conveniens rejectio. *Derivatio*, est humoris, parti incumbentis, ad vicina conveniens aversio. *Interceptio*, est aditus humorum, in ipsa via, ne ad partem pertingant, per medicamenta conveniens interclusio.

Ἀφαίρεσις *Humorum Loco peccantium*, continet Emollitionem, Discussionem, Suppurationem, & Attractionem. Atque *Emollitio* est humoris indurati & crassi, per medicamenta malactica, alteratio. *Discussio*, est humoris in parte hærentis & emolliti, per insensilem transpirationem, medicamentorum diaphoreticorum beneficio, conveniens dissipatio. *Suppuratio*, est humoris, qui discuti non potest, in pus, per medicamenta maturantia, conveniens mutatio. *Attractio*, est materiæ pertinaciter infixæ, per medicamenta attrahentia, conveniens motio.

Ἀφαίρεσις *Flatuum*, est eorundem, per medicamenta carminativa, in corpore humano, conveniens dissipatio.

CA-

CAPUT XIX.

DE OFFICIO MEDICI.

ASclepiades, referente Celso, l. 3. c. 4. *officium esse Medici dixit, ut tuto, ut celeriter, ut jucunde curet.* Sed, quod vere monet Ovidius, l. 1. de Ponto,

Non est in Medico, semper relevetur ut æger:
Interdum docta plus valet arte malum.

Quamobrem, ut est apud Romanum Sapientem, lib. 6. de Benef. c. 13. *si omnia fecit, ut sanaret, peregit Medicus partes suas.*

Denique, cum jam conclamatum est, Medici, secundum eundem, l. 2. de ira c. 6. *quibus vitam non potuerunt largiri, facilem exitum præstant.*



ARS

ARS VALETUDINIS BONÆ MENTIS.

OPeram danti mihi, ut Filii desiderio, de ratione ejus, quæ ad corpus attinet, valetudinis tuendæ, & vocibus, quibus morbi illam affligentes designantur, explicandis, utcunq; satisfacerem, illud commodum succurrebat, De Animi Morbis; *qui secundum verum M. Tullii effatum,* & perniciosiores & plures sunt quam corporis, *& inter quos ac corporis morbos, eodem teste, Chrysippus comparationem similitudinis instituere solebat, aliquid adjungere. Ecquid enim juvat, si lateri bene sit, anima autem interim langueat? & si, in corpore sano, mens malesana doloribus acerbis torqueatur? Inde ergo hic libellus natus est, in quo, ut Filio recte consulerem, sermonem omnem ad eum direxi; & sic blande, moreq; pervulgato patrum, illum sum allocutus:*

MI FILI:

PErpulisti me, ut quædam generatim, quomodo sanitas corporis tibi conservanda sit, &, quid mali horrida illa & infausta morborum nomina portendant, aliorum tradita secutus, strictim, & ut res patiebantur tuæ, exponerem. Sed, age, o Noster! da te mihi vicissim, & porro

Accipito hæc animo, lætamque advertito mentem.

Anima vivitur, non corpore. Hujus igitur præcipua

cura tibi habenda. Atque corporis quidem morbos ſanare, Medicorum eſt, ac

-- -- Abrotanum ægro
Non audet, niſi qui didicit, dare.

Præſidia quoque adipiſcendæ ſanitatis fere omnia extra quæruntur. Enim vero, corrupto & corruptori animo niſi quis ipſe medeatur, & ex ſeſe medicinam petat, conclamatum eſt, nec licebit unquam convaleſcere. Sunt autem animi morbi AFFECTUS. Horum enim intemperies illum cruciat, lancinat, & ad exitium affligit. Cæterum, quid, quotoque numero, ex communi ſententia, Affectus ſint, tum ex aliis, quos ſuppeditavi, tum præcipue ex Ethico, tenes libellis. Reſtat, ut, quomodo intra mediocritatem eos coërcere, aut rebelles compeſcere conveniat, docearis. Queruntur vulgo, hoc disciplinæ genus, quo nullum aliud magis neceſſarium, & ab Ariſtotele, & a Philoſophis cæteris antiquis, quin & recentibus fere omnibus, Morum Magiſtros profeſſis, fuiſſe neglectum: quod ita ſe habere non negaverim, ſi de doctrina in artis modum redacta quis loquatur. Inſeruere nihilo ſecius Sapientes Veteres, Cicero præcipue, Seneca, & Epictetus, ſparſim ſuis ſcriptis præcepta, quomodo Affectus cujusque generis tractandi ſint, & Animæ in illos dominium aſſerendum. Pauca ex his, aliisque Veterum, interdum & Sacras Literas, & ex Novis Scriptoribus fere ſolum Cardinalem Bonam in ſubſidium vocando, in tuæ, *Mi Fili*, ſpem utilitatis, & vitæ correctionem ac emendationem, uti raptim tum memoriæ, tum in Adverſariis ſe offerebant, in ordinem redigere viſum eſt. Atq; uti Phrygiones, e varii coloris filis,

lis, unum aliquod aulæum formant; sic ego ex pulcherrimis Sapientum scitis concinnavi hoc narthecium. Malui hac in re aliorum quam meis verbis uti: nam, autore Quintiliano, *quæ ab aliis bene sunt dicta, eorum relatio plus interdum autoritatis affert, & laudem majorem conciliat, quam si nostra sint.* Imo, ecquomodo mihi eadem quæ Veteribus vis aut fides? Vt in uno aliquo telo aut gladio multum interest, a qua manu veniat; sic in sententia, ut penetret, valde facit robustæ alicujus & receptæ autoritatis pondus. Rem difficilem ausus sum, & ex Lipsii Politicis exemplar mihi sumsi: non quod æmularer, (ambitiosum enim id, & ultra meas vires) sed tamen imitarer & sequerer, quantum diversitas ingeniorum, & scribendi in hoc genere exercitatio pateretur. Quippe, cum Plinio juniore, *stultissimum credo, ad imitandum non optima quæq; proponere:* nec magnum peccatum est, utut quis ab archetypo suo labitur & decidit; cum quod idem ille ait, *pictores quoq; pulchram absolutamq; faciem raro nisi in pejus effingant.* Agnosco: Lipsius quæ scripsit, complevisse apes floribus, & innexuisse videntur, mireque concisa sunt omnia & arguta. Nobis non licuit esse tam beatis, ut idem præstaremus. Unde nec aliud propositum fuit, quam, quod Quintilianus alicubi commendat, vitæ præcepta, & pulchritudinem rerum, ut plus ad formandam mentem valeant, claritate orationis, quæ venustissimis Sapientum dictis inest, illuminare. Cæterum, secus ac Lipsius fecit, ea, quæ Græci Autores suppeditarunt, Latinis tantum verbis recensere, rationis & consilii erat: ut nempe melius tibi consulerem, nec te obturbarem, aut irretirem orationis hoc filum. Fecere idem multi,

quorum institutum in præsentia exprimere placuit. Græca si omnino requiris, ea ad oram libri conjicias licet, qui labor multum conferet ad memoriam. Adduxi etiam interdum dicta Autorum longiuscula, in quo & ipso a Lipsio recessi. Nimirum, in præceptis ad virtutem, prævaricatio mihi videtur, cursim & breviter attingere, quæ sint inculcanda, infigenda; nam, plerisque, longiore tractatu, vis quædam & pondus accedit; utque corpori ferrum, sic monitum præclarum, non ictu magis, quam mora imprimitur. At, in illo, quod interdum (etsi raro admodum) Autorum verba non rigide, & ut ab iis posita, repono, sed in Casu aut Tempore, pro rationis meæ conformatione, pauxillum inflexo, sequutus sum Lipsii exemplum, eoque mihi licere id facere, quod ille fecit, putavi: nec aliter æque hic, ac illius, constare potuit textus. Tu interim cave sis, obsecro, ullum divinorum horum monitorum numis Philippeis aureis a te auferat, si quis emtor venerit. Quin potius sedulo operam dabis, ut secundum ea res rationesque tuas componas, & quotidie meliorem te reddas. Summa huc redit, ut ostendam, quo pacto Affectibus tum generatim, tum singulis etiam, ne sese efferant, occurrendum sit: & quibus mediis humillime deprimendi, si ex insperato & temere consurrexerint, ne mens tua impotenti temeritatis incursu transversa feratur. Non destituet, in succum & sanguinem ista convertere conantem, successus. Quippe, *nihil est tam difficile* (& jam nunc, *Fili*, ex Seneca (a) te affari occipio) *& arduum, quod non humana mens vincat, & in familiaritatem perducat assidua meditatio: nulliq; sunt tam feri, & sui juris Affectus, ut non disciplina perdomentur.*

(a) *l. 2. de Ira. c. 12, 13.*

tur. Quodcunque sibi imperavit animus, obtinuit. Quidam, ne unquam riderent, consecuti sunt: vino quidam, alii Venere, quidam omni humore interdixere corporibus. Alius, contentus brevi somno, vigiliam indefatigabilem extendit: Didicerunt alii tenuissimis & adversis funibus currere, & ingentia, vixque humanis toleranda viribus, onera portare, & in immensam altitudinem mergi, ac sine ulla respirandi vice perpeti maria. Mille sunt alia, in quibus pertinacia impedimentum omne transcendit, ostenditque, nihil esse difficile, cujus sibi ipsa mens patientiam indiceret. Istis, quos paulo ante retuli, aut nulla tam pertinacis studii, aut non digna merces fuit. Nos non advocabimus patientiam, quos tantum præmium exspectat, felicis animi immota tranquillitas? Sanabilibus ægrotamus malis: ipsaque nos, in rectum genitos, natura, si emendari velimus, juvat. Nec, ut quibusdam dictum est, arduum in virtutes & asperum iter est; plano adeuntur. Non vanæ tibi auctor rei venio: facilis est ad beatam vitam via: ini modo bonis auspiciis, ipsoque DEO bene juvante.

REMEDIA GENERALIA, AFFECTVVM QVORVMCVNQVE MOTVS IMPEDIENTIA.

MI FILI:

(a) *Pars magna bonitatis est, velle fieri bonum:* at intra voluntatem solam neutiquam sistendum, sed manus operi admovenda. Vti vero in rebus cæteris, (b) *nihil rite, nihil providenter, homines sine Dei immortalis ope, honore, consilio, auspicantur,* ita in

(a) *Sen. ep. 34.* (b) *Plin. in Panegyr.*

in Virtutis quoque ſtudio nemo profecerit, ***niſi divinam opem imploret***, (a) *neq; continens quis eſſe poteſt, niſi Deus det:* (b) *nec poteſt res tanta ſine adminiculo Numinis ſtare.* (c) *Adi* ergo *Dominum, & deprecare illum, & dic ex totis præcordiis tuis* quotidie inter preces cæteras:

(d) ***Domine pater & Deus vitæ meæ, ne derelinquas me. Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, & omne deſiderium averte a me. Aufer a me ventris concupiſcentias, & concubitus concupiſcentiæ ne apprehendant me, & animæ irreverenti & infrunitæ ne tradas me.*** (e) ***Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem Sapientiam, & noli me reprobare a pueris tuis: quoniam ſervus tuus ſum ego, & filius ancillæ tuæ, homo infirmus, & exigui temporis, & minor ad intellectum judicii & legum. Mitte ergo Sapientiam de cœlis ſanctis tuis, & a ſede magnitudinis tuæ, ut mecum ſit, & mecum laboret, & deducat me in operibus meis ſobrie, & cuſtodiat me in ſua potentia, & erunt accepta opera mea. Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ, ac corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.*** (f) ***Deus, in adjutorium meum intende: Domine, ad adjuvandum me feſtina,*** (g) ***ut ambulem in via bona, & calles juſtorum cuſto-***

(a) *Sap.* 8. 21. (b) *Sen. ep.* 41. (c) *Sap. l. c.* (d) *Syrac.* 23. (e) *Sap. c.* 9. (f) *Pſal. ſecundum Latinos* 69. 1. (g) *Prov.* 2. 20.

custodiam. (a) *Domine, exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.* (b) *Adjutor meus & liberator meus es tu: Domine ne moreris.*

Postquam piis precibus defunctus es, *neutiquam cogitandum tibi, quasi a Deo discedas:* Quin potius semper memineris, quod (c) *prope est a te Deus, tecum est, intus est.*

Ille arbiter & inspector operum, consiliorum, mentis. Ille (d) *interest animis nostris, & cogitationibus mediis intervenit.*

Ille, (e) *quæ nos gerimus auditq; & videt.*

Nec inspector solum est, sed judex idem & vindex. (f) *Namq; mihi pro vero constat, omnium mortalium vitam divino Numine invisi; neq; bonum neq; malum facinus cujusquam pro nihilo haberi, sed ex natura diversa præmia bonos malosq; sequi.*

Omnibus parietibus inscribendum erat,

(g) -- INNOCUI VIVITE: NUMEN ADEST.

(h) *Quis enim non timeat omnia providentem, & cogitantem, & animadvertentum, & omnia ad se pertinere putantem, curiosum & plenum negotii Deum?*

(i) *Quid prodest, ab homine aliquid esse secretum?* cum Deus nobis perpetuo assideat, Affectuum, operumque ex illis provenientium (k) *malorum bonorumq; nostrorum, observator & custos.*

Enim vero, quia sic homines sumus, &, circa Affectuum imprimis motus, plerunque magis Viri alicujus

(a) *Psal. 101, 1.* (b) *Psal. 69, 6.* (c) *Sen. ep. 41.* (d) *Sen. ep. 84.* (e) *Plaut. Capt.* (f) *Sallust. ad Cæs.* (g) *Ovid. 1. de arte.* (h) *Cic. 1. de Nat. Deor.* (i) *Sen. ep. 48.* (k) *Idem ep. 41.*

cujus, insigni autoritate præditi, interventum veremur, quam illum omnituentem DEI oculum; velim ut, de Supremi Numinis præsentia, quæ ubique tibi præsto est, certissimus, jam insuper *fingas, virum aliquem gravem, coram quo turpiter & immodeste te gerere non audeas, & coram quo illi quoq; qui scelere & maleficio pascuntur, vitia sua supprimerent, corycæum tibi adesse,* qui te perpetuo respiciat. Tibi, dictum puta, quod Seneca Lucilio suo dixit; ac, pro Catonis & Lælii nominibus, æque verenda alia substitue: (a) *Aliquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut sic tanquam illo spectante vivamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus. Hoc, mi Lucili, Epicurus præcepit: custodem nobis & pædagogum dedit: nec immerito. Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis adsistat. Aliquem habeat animus, quem vereatur, cujus auctoritate etiam secretum suum sanctius faciat. O felicem illum, qui non adspectus tantum, sed etiam cogitatus emendat! O felicem, qui sic aliquem vereri potest, ut ad memoriam quoq; ejus se componat, atq; ordinet! Qui sic aliquem vereri potest, cito erit verendus. Elige itaq; Catonem: si hic videtur tibi nimis rigidus, elige remissioris animi virum Lælium: elige eum, cujus tibi placuit & vita, & oratio, & ipsius animum ante te ferens & vultus, illum semper tibi ostende, vel custodem, vel exemplum. Opus est, inquam, aliquo, ad quem mores nostri se ipsi exigant. Nisi ad regulam, prava non corriges.*

Imaginario & ficto Custodi, *vivus verusq; magister ut accedat, necessitas summopere efflagitat.*

(a) *Sen. ep. 11.*

gitat. Nam, (*a*) *ut medici est, ægrotos, ita Philosophi, homines vitiosos monere.*

(*b*) *Quare aliquem invocare oportet virum fidelem & sapientem:* addo & ætate provectum: quippe (c) *Mens, & ratio, & consilium in senibus est.*

Est quoque in (*d*) *senibus autoritas major, quod plura nosse & vidisse creduntur; quod Homerus frequentissime testatur.*

Porro talem adscisce, (*e*) *qui velit & possit tibi prodesse: cujus verearis occursum, non reformides: qui non castiget errantem, sed emendet: cujus vita plus oculis, quam auribus probetur. Male imperat, qui præcipit, & non facit.*

Optime (f) *homines exemplis docentur, quæ imprimis hoc in se boni habent, quod approbant, quæ præcipiunt fieri posse.*

(g) *Zeno Stoicus dictitabat, malle se unum videre Indum, qui sponte flammis absumatur, quam omnes de Patientia audire & discere probationes.*

Isti ergo, tali tantoque, quem descripsi, (h) *non erubescas omnia mala tua pandere, omnia pectoris penetralia reserare. -- Quicquid pravæ propensionis, quicquid morbosæ qualitatis in te est, quicquid delinquis, quicquid etiam boni facis, quicquid cœlitus immissum tibi existimas, prudenti ejus discussioni committe. Sæpe illum deprecare, ut, si quem tibi notaverit turbulentum inhærere affectum, indicare ne gravetur; idque frequenter faciat, nec, redarguendi verecundia impeditus, vitia tua dissimulet.*

(a) *Epictetus apud Stobæum.* (b) *Cardin. Bona in manud. ad cœlum c. 2.* (c) *Cic. de Senect.* (d) *Quintil. l. 12. c. 4.* (e) *Cardin. Bona d. l.* (f) *Plin. in Paneg.* (g) *Clem. Alex. 2. Strom.* (h) *Cardin. Bona d. l.*

Obtestare per omnia sacra, ut tibi (a) *manum porrigat adjutricem, ostendat pericula, insidias detegat, & in ancipiti pugna instruat ad victoriam.*

Caeci enim sumus in vitiis nostris, (b) Harpastae, Senecae uxoris fatuae, omnino similes, quae, cum subito desiisset videre, nesciebat esse se caecam, & subinde paedagogum suum rogabat, ut migret, quod domus tenebrosa esset. Idem nobis accidit, & (c) *nemo se avarum esse intelligit, nemo cupidum.*

Proinde & (d) ***abs quovis homine, cum opus est, beneficium accipere gaudeas*** **correctionis.** Scilicet, a nullo non (e) *admoneri bonus gaudet; pessimus quisq; correptorem asperrime patitur.*

Hinc adeo, (f) *amicum castigare ob meritam noxiam, immune est facinus, verum in aetate utile & conducibile.*

Neque negari potest, (g) *ita comparatam esse hominum naturam omnium, aliena ut melius videant & dijudicent, quam sua. Quod eo fit, quia in re nostra aut gaudio sumus praepediti nimio, aut aegritudine.*

Cum virtuosis quoq;, & iis, qui minime affectibus indulgent, tibi vivendum est. (h) *Sumuntur a conversantibus mores: & ut quaedam in contactos corporis vitia transiliunt, ita animus mala sua proximis tradit. Ebriosus convictores in amorem vini traxit: impudicorum coetus fortem quoq; & siliceum virum emolliit: avaritia in proximos virus suum transtulit. Eadem ex diverso ratio virtutum est, ut omne, quod secum habent, mitigent. Nec tam*

(a) *Card. Bona manud. c. 8.* (b) *Sen. ep. 50.* (c) *Id. ib.* (d) *Terent. in Adelph.* (e) *Sen. 3. de ira c. 37.* (f) *Plaut. in Trin.* (g) *Terent. Heaut. a. 3. sc. 1.* (h) *Sen. l. 3. de ira c. 8.*

tam valetudini profuit utilis regio, & salubrius cœlum, quam animis parum firmis, in turba meliorum versari. Quæ res quantum possit, intelliges, si videris, feras quoq; convictu nostro mansuescere, nulliq; immani bestiæ vim suam permanere, si hominis contubernium diu passa est.

Neque vero velim ego, ut semper & unice ab aliis pendeas. Namque (a) *imitatio per se ipsa non sufficit.* Quamobrem, tu quoq; (b) ***præscribe tibi formam quandam, & legem, quam custodias:*** *quamq; & ipse tecum, & in congressibus hominum observes*, ac ad quam verba & facta tua exigas.

Severa hæc lex esse debet, &, simul ac eam transgressus fueris, (c) *quantum potes, teipse coargue. Inquire in te: accusatoris primum partibus fungere, deinde judicis, novissime deprecatoris: aliquando te offende.*

Præcipue, ***die jam exacto, examen tui instituas.*** Tum, ex Pythagoræ instituto, quid (d) *dixeris, audiveris, egeris*, accurata lance pensitandum. Non audebunt foras prorumpere Affectus tui, si scient quotidie ad judicem esse veniendum. Tranquillus, altus, ac liber somnus sequetur, (e) *cum aut laudatus est animus, aut admonitus, &, speculator sui censorq; secretus, cognoscit de moribus suis.*

Sextium imitare, cui id in more positum, (f) *ut, consummato die, cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum: Quod hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti? qua parte melior es?*

Æmu-

(a) *Quintil. l. 10. c. 2.* (b) *Epict. enchir. c. 20.* (c) *Sen. ep. 28.* (d) *Cic. de Senect.* (e) *Sen. 3. de Ira c. 26.* (f) *Id. ibid.*

Æmulare, cum Seneca, qui sic de se: (a) *Vtor hac potestate, & quotidie apud me causam dico. Cum sublatum e conspectu lumen est, & conticuit uxor, moris jam mei conscia, totum diem mecum scrutor, facta ac dicta mea remetior. Nihil mihi ipse abscondo, nihil transeo. Quare enim quicquam ex erroribus meis timeam? cum possim dicere: Vide, ne istud amplius facias, nunc tibi ignosco.*

(b) *Hoc nos pessimos facit, quod nemo vitam suam respicit. Quid facturi simus, cogitamus, & id raro: quid fecerimus, non cogitamus. Atqui consilium futuri ex præterito venit.*

Cæterum, a nocte & quiete, ***ad diurna opera*** mihi revocandus es. Opera, inquam: nam (c) *nihil est, qui piger est, nimisq; id genus odi ego male:*

Quoniam, (d) *nihil agendo homines male agere discunt.*

(e) *Cernis, ut ignavum corrumpant otia corpus:*
Vt capiant vitium, ni moveantur, aquæ?

Vnde,

(f) -- -- -- *Si non*
Intendas animum studiis & rebus honestis,
Invidia vel amore vigil torquebere.

Aut sane (g) *torpent ecce ingenia desidiosæ juventutis:*

& (h) *Neglectis urenda filix innascitur agris.*

(i) *Nemo est casu bonus: discenda virtus est.*

idque ***mature & in tempore.*** (k) *Quia juvenis potes discere, potes facilem animum, & adhuc tractabilem ad meliora convertere.* (a) Quem-

(a) *l. 3. de Ira c. 26.* (b) *Idem ep. 73.* (c) *Plaut. in Rudente.* (d) *Colum. l. 11. c. 11.* (e) *Ovid. l. 1. de Ponto.* (f) *Horat. l. 1. ep. 2.* (g) *Sen. l. 1. controv.* (h) *Horat. l. 1. Sat. 3.* (i) *Sen. ep. 123.* (k) *Id. ep. 108.*

(a) *Quemadmodum ex amphora primum, quod est sincerissimum, effluit, gravissimum quodq; turbidumq; subsidit: sic in ætate nostra, quod optimum, in primo est.*
Accedit, quod

(b) *Dediscit animus sero, quod didicit diu.*
Imo,
o Noster! (c), *vitæ summa brevis spem nos vetat inchoare longam.*

(d) *Huc adverte aures, currit mortalibus ævum,*
Nec nasci bis posse datur, fugit hora.

& nimis

(e) -- -- *properat cursu*
Vita citato, volucriq; die
Rota præcipitis vertitur anni.
Duræ peragunt pensa Sorores
Nec sua retro fila revolvunt.

Absit igitur, ut ista

(f) -- *angustæ miseræq; brevissima vitæ portio*

in res supervacuas, ineptas, & puerilibus crepundiis similes insumatur. Efficiet sic ista vitæ brevitatis, mortisque cogitatio, (g) *ut nihil unquam humile cogites, nec impense cupias quicquam.*

Idcirco, (h) *quicquid facies, respice ad mortem.*

Simul cogita incertas vices rerum, & *eorum, quæ aliis acciderunt, nihil a te alienum puta*; nihil arbitrare non posse evenire, antequam evenerit, ut nihil

(a) *Sen. ep. 108.* (b) *Sen. in Troad.* (c) *Horat. l. 1. od. 4.* (d) *Sil. Ital. l. 15. Bell. Pun.* (e) *Sen. in Herc. Fur.* (f) *Juven. Sat. 9.* (g) *Epictet. in Enchir. c. 27.* (h) *Sen. ep. 114.*

hil mireris, cum advenerit. Multum confert provisio animi, & præparatio, ad minuendos Affectus. Semper (a) *Sapiens assuescit futuris malis, &, quæ alii diu patiendo levia faciunt, hic levia facit diu cogitando. Audimus aliquando voces imperitorum, dicentium: Nesciebam, hoc mihi restare. Sapiens scit, sibi omnia restare: quicquid factum est, dicit:* **Sciebam.**

Proprium hoc (b) *ingenii magni est, præcipere cogitatione futura, & aliquando ante constituere, quid accidere possit in utramq; partem, & quid agendum sit, cum quid evenerit: nec committere, ut aliquando dicendum sit:* **Non putaram.**

Non recusemus ferre sortem, quam alii patiuntur, & ad quam subeundam nati sumus. Stemus fidenter, & aperte tela fortunæ adverso excipiamus pectore. (c) *Imperetur æquitas animo, & sine querela mortalitatis tributa pendamus. Hyems frigora adducit: algendum est. Æstas calores refert: æstuandum est. Intemperies cœli valetudinem tentat: ægrotandum est. Et fera nobis loco occurret, & homo perniciosior feris omnibus. Aliud aqua, aliud ignis eripiet. Hanc rerum conditionem mutare non possumus: id possumus, magnum sumere animum, & viro bono dignum, quo fortiter fortuita patiamur, & naturæ consentiamus. Natura autem hoc, quod vides, regnum mutationibus temperat. Nubilo serena succedunt: turbantur maria, cum quieverunt: stant invicem venti: noctem dies sequitur: pars cœli consurgit, pars mergitur: contrariis rerum æternitas constat. Ad hanc legem animus noster aptandus est: hanc sequatur, huic pareat: &, quæcunq; fiunt, debuisse fieri,* patet:

(a) *Sen. ep. 76.* (b) *Cic. 1. Offic.* (c) *Sen. ep. 107.*

patet: nec velit objurgare naturam. Optimum est, pati, quod emendare non possis: & Deum, quo auctore cuncta proveniunt, sine murmuratione comitari. Malus miles est, qui Imperatorem gemens sequitur. Quare impigri atq; alacres excipiamus imperia, nec deseramus hunc operis pulcherrimi cursum, cui, quicquid patimur, intextum est: & sic alloquamur Deum, cujus gubernaculo moles ista dirigitur, quemadmodum Cleanthes alloquutus est:

Duc me parens, celsiq; dominator poli,
Quocunq; placuit. Nulla parendi mora est:
Assum impiger.

Eandem hanc animi moderationem transfer ad res minutas quoque, vel potius ab his ordire, ut usque & usque in Bonæ Mentis consuetudinem te insinues, ac ***pedetentim ad altiora & sublimia progrediaris.*** (a) *Theatra cum frequentas, te nulli nisi tibi ipsi studere appareat: hoc est, ea duntaxat fieri velis, quæ fiunt: & eum solum vincere, qui vincit. Clamore autem, aut arrisione, aut longiore commotione penitus abstineto. Ac post discessum, ne multum de iis, quæ acciderunt, disputa.*

(b) *Cum ad Magnatum aliquem iturus es, proponito tibi, fore, ut eum domi non invenias, ut inclusus sit, ut occludantur tibi fores, ut ille te negligat.*

Item, (c) *Cum puerum vocas, fieri posse cogita, ut præsto non sit: &, ut sit, nihil agat ex animi tui sententia. Neq; vero ei tam bene sit, ut tuarum perturbationum habeat ille potestatem.* Et sane, (d) *si puerum peccare non vis, stultus es: Id enim postulas, ut vitium non sit vitium, sed quiddam aliud.*

Simi-

(a) *Epictet. Enchir. c. 49.* (b) *Id. c. 52.* (c) *Idem c. 17.* (d) *Idem c. 19.*

Similiter, (a) *Si ollam diligis, memineris te ollam diligere: nam, ea confracta, non perturbaberis. Si amicum, hominem a te diligi; nam, eo mortuo, non perturbaberis.*

Pari modo, (b) *Opus aliquod aggressurus, ipse tibi subjicito, cujusmodi sit illud opus. Si lavatum abieris, ea tibi proponito, quæ fiunt in balneo: alios perfundi, alios loco pelli, alios convicia facere, alios furari. Sic tutius rem aggredieris, si ipse tibi dixeris: Et statim lavabo, & meum institutum naturæ congruens conservabo. Eodemque modo in unoquoque negotio.*

(c) *Oleum si effunditur, villum cum surripitur; dicas:* ὅτι τοσούτου πωλεῖται ἀπάθεια, τοσούτου ἀταραξία: *Tanti vænit tranquillitas, tanti constantia: gratis autem nihil acquiritur.*

In summa, (d) *quemadmodum in ambulando caves, ne clavum calces, pedemve distorqueas: sic in degenda vita cave, ne gubernatricem actionum mentem lædas.*

(e) *Quicquid inciderit, in eo memento, ad te conversus, inquirere, qua facultate sis ad usum ejus instructus. Si quam formosam videris, ad eam rem temperantiæ facultas in promtu erit. Si labor objectus fuerit, tolerantiam reperies: si convicium, patientiam invenies. Quod si te ita consuefeceris, visis non obtemperabis.*

Amplius sciendum, & tenendum memori mente, *esse quoque victum cultumque corporis, si nimius fue-*

(a) *Epict. in enchir. c. 8.* (b) *Id. c. 9.* (c) *Id. c. 17.* (d) *Idem, c. 60.* (e) *Idem c. 14.*

fuerit, magnum ad Affectuum intemperiem & concitationem irritamentum.

Turpissimum, (a) *plus cibi ingerere, quam capias, & stomachi tui non nosse mensuram. Quam multa ebrii faciunt, quibus sobrii erubescant!*

Quippe, multo cibo & potione completis, (b) *neque pes, neq; mens, satis suum officium facit.*

(c) *Postera die ex ore halitus crudi, ac fere rerum omnium oblivio, morsq; memoriæ.*

(d) *Præmium* vero *summum ebrietatis, libido portentosa, & jucundum nefas.*

(e) *Hanc ergo sanam & salubrem formam vitæ tenere memento, ut corpori tantum indulgeas, quantum bonæ valetudini satis est. Durius tractandum est, ne animo male pareat: cibus famem sedet, potio sitim exstinguat, vestis arceat frigus.*

(f) *Quæ gloria est, capere multum? cum penes te palma fuerit, & propinationes tuas strati somno, ac vomitantes, recusaverint; cum superstes toti convivio fueris; cum omnes viceris virtute magnifica, & nemo tam vini capax fuerit, vinceris a dolio.*

(g) *Alexandrum tot itinera, tot prælia, tot hyemes, per quas, victa temporum locorumq; difficultate, transierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria, tutum dimiserunt: intemperantia bibendi, & ille Herculaneus ac fatalis scyphus, condidit.*

Ex his, uti sua sponte consequitur, *fugiendum esse consortium* illorum, qui, Epicuri de grege porci, animam pro sale habent, & non, ut vivant, comedunt, sed, ut comedant, vivunt: ita haud minus fugiendi alii omnes, qui flagitiis se nobilitant, & fræna

(a) *Sen. ep. 83.* (b) *Ter. in Eun.* (c) *Plin. l. 14. H. N. c. 22.* (d) *Id. ib.* (e) *Sen. ep. 8.* (f) *Idem ep. 83.* (g) *Id. ib.*

Affectibus vitiisque laxant. Dat enim contagio labem, & (a) *hærebit tumor, quam diu cum superbo conversaberis: nunquam sævitiam in tortoris contubernio pones: incendent libidines tuas adulterorum sodalitia.*

Quin imo,

(b) *Si vitare velis acerba quædam,*
Et tristes animi cavere morsus,
Nulli te facias nimis sodalem,
Gaudebis minus, & minus dolebis.

Etiam ipse egressus in publicum, & cum multis conversatio, non caret damno: atque in cœtu hominum, (c) *nemo non aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut nescientibus allinit. Vtiq; quo major est populus, cui commiscemur, hoc periculi plus est.*

Nempe (d) *si velis vitiis exui, longe a vitiorum exemplis recedendum est:* turbæ immixtus,

(e) *Periculosæ plenum opus aleæ*
Tractas, & incedis per ignes
Suppositos cineri doloso.

REMEDIA GENERALIA, AFFECTVS COMMOTOS COMPESCENTIA.

MI FILI:

(f) *Pars superior mundi & ordinatior, ac propinqua sideribus, nec in nubem cogitur, nec in tempestatem*

(a) *Sen. ep. 104.* (b) *Martial. l. 12. epigr. 34.* (c) *Sen. ep. 7.* (d) *Id. ep. 104.* (e) *Horat. l. 2. Od. 1.* (f) *Sen. l. 3. de Ira. c. 6.*

tem impellitur, nec versatur in turbinem: omni tumultu caret: inferiora fulminant. Eodem modo sublimis animus, quietus semper, & in statione tranquilla collocatus est.

Atque, ô terque quaterque beatos, quibus talis mens inest, (a) *quos nulli metus terrent, nullæ ægritudines exedunt, nullæ libidines incitant, nullæ futiles lætitiæ exultantes languidis liquefaciunt voluptatibus. Vt maris igitur tranquillitas intelligitur, nulla ne minima quidem aura fluctus commovente: sic animi quietus & placatus status cernitur, cum perturbatio nulla est, qua moveri queat.*

Sed, admodum paucis, ab omni memoria, ea obtigit felicitas, ut mentem perpetuo serenam haberent,

(b) -- -- *vix totidem, quot*
Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili.

Quapropter, (c) *semper tu hoc facito, cogites, id optimum esse, tute ut sis optimus: si id nequeas, saltem ut optimis sis proximus:* & quoties erumpere vult affectus, atque simul ac movere sese occipit,

(d) -- *hunc frænis, hunc tu compesce catena.*

Fungatur mens officio, nec malis suis cedat, sed contra audentior imperium suum vindicet.

(e) *Tenendum est, rapiente fluctu, gubernaculum, luctandum cum ipso mari, eripienda sunt vento vela.*

(f) *Turpis est navigii rector, cui gubernacula fluctus eripuit, qui fluctuantem navim tempestati permisit,*

qui, (g) *attonitus & vomitans.*

(a) *Cic. 5. Tusc.* (b) *Juven. Sat. 13.* (c) *Plaut. in Trin.* (d) *Horat. l. 1. Epist.* (e) *Sen. ep. 109.* (f) *Cardin. Bona in manud. ad cœl. c. 15.* (g) *Sen. ep. 109.*

Verum, heus tu! *Maturato opus*, (a) *imbecillis est primo omnis affectus, deinde ipse se concitat, & vires dum procedit, parat.*

Proinde,

(b) *Principiis obsta, sero medicina paratur,*
Cum mala per longas invaluere moras.
Sed propera, nec te venturas differ in horas,
Qui non est hodie, cras minus aptus erit.

Ita profecto res se habet: (c) *Facilius est excludere perniciosa, quam regere: & non admittere, quam admissa moderari. Nam cum se in possessione posuerunt, potentiora rectore sunt, nec recidi se minuive patiuntur. Deinde, ratio ipsa, cui fræni traduntur, tamdiu potens est, quamdiu diducta est ab affectibus: si miscuit se illis, & inquinavit, non potest continere, quos submovere potuisset. Vt in præceps datis corporibus nullum sui arbitrium est, nec resistere morarive dejecta potuerunt, sed consilium omne & pœnitentiam irrevocabilis præcipitatio abscidit, & non licet eo non pervenire, quo non ire licuisset: ita animus, si in iram, amorem, aliosq; se projecit affectus, non permittitur regere impetum. Rapiat illum oportet, & ad imum agat suum pondus, & vitiorum natura proclivis.*

(d) *Optimum est itaq;, ad primum mali sensum mederi sibi: tum verbis quoq; suis minimum libertatis dare, & inhibere impetum.* **Facile est autem, *Affectus suos, cum primum oriuntur, deprehendere.*** *Morbum signa præcurrunt. Quemadmodum tempestatis ac pluviæ ante ipsas notæ veniunt: ita iræ, amoris, omniumq; istarum procellarum, animos vexan-*

(a) *Sen. ep. 116.* (b) *Ovid. de rem. am.* (c) *Sen. l. 1. de Ira c. 7.* (d) *Idem l. 3. c. 10.*

vexantium, ſunt quædam prænuntia. Qui comitiali vitio ſolent corripi, jam adventare valetudinem intelligunt, ſi calor ſumma deſeruit, & incertum lumen, nervorumq; trepidatio eſt, ſi memoria ſublabitur, caputq; verſatur. Solitis itaq; remediis incipientem caſum occupant, & odore guſtuq;, quicquid eſt, quod alienat animos, repellitur: aut fomentis contra frigus rigoremq; pugnatur.

Quæris, quibus mediis adverſus Affectus pugnandum ſit? Principio **Objecta, quibus ii moventur, a te ſegrega.**

(a) *Omne rationale animal nihil agit, niſi primum ſpecie alicujus rei irritatum eſt, deinde impetum cepit, deinde aſſenſio confirmavit hunc impetum.*

Solerter itaque adducendus eſt animus (b) *ad alia ſtudia, ſollicitudines, curas, negotia. Loci deniq; mutatione, tanquam ægroti non convaleſcentes, ſæpe curandus eſt.*

(c) *Nec vino infirmum animum committamus, nec formæ, nec adulationi, nec ullis rebus blande trahentibus.*

(d) *Quantum poſſumus nos, a lubrico recedamus: in ſicco quoq; parum fortiter ſtamus.*

Jam, uti corporis morbi **contrariis curantur**, ita animi quoq;. Arbor curva, ut recta evadat, in partem adverſam flectitur: atq; quemadmodum (e) Beſtiis cicuratis capimus immanitate efferatas; ſic gaudio timorem, metui ſpem, deſiderio difficultatem optatis potiundi, opponere oportet.

(f) *Rebus anguſtis animoſus atq;*
Fortis appare: ſapienter idem

(a) *Sen. ep.* 113. (b) *Cic.* 4. *Tuſc.* (c) *Sen. ep.* 116. (d) *Idem ibid.* (e) *le Pere Senault dans l'uſage des paſſions, trait.* 3. *discours.* 5. (f) *Hor. l.* 2. *Od.* 10.

Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela.

Etenim,

(a) *Sperat infestis, metuit secundis*
Alteram sortem, bene præparatum
Pectus.

Atque hoc est, quod Plato, autore Plutarcho, (b) suadebat, *insanum Deum, alio sobrio repressum, castigare.*

Idque a Socrate haustum, qui (c) *vergendo in diversam partem, & contrarios perturbationi motus instituendo, invictum erectumq; se servavit.*

Porro, **talem te præsta in tuis rebus, prout in alienis te gerere consuevisti.** (d) *Exempli gratia: Si vicini puer poculum, aut quid aliud confregerit, in promtu illud statim est: Ita fieri solere. Scito igitur, si & tuum confractum fuerit, eundem esse te oportere, qui fueris, cum frangeretur alienum.*

Quippe, (e) *nonne id flagitium est, te aliis consilium dare, foris sapere, tibi non posse auxiliarier?* Vulgo tamen hæc passim & ubique fieri videas.

(f) *Filius alterius obiit, aut uxor: nemo est, quin dicat, humanum id esse. Sin ipsi alicui id acciderit, statim, Heu mihi, inquit, o me miserum! Meminisse autem oportebat, ut affecti simus, cum tale quippiam de aliis audiverimus.*

Absit a me, ut istis ægritudinum medicinis eam quoque adscribam, etsi Ciceroni (g) *magnam dictam, quam affert* **longinquitas & dies.**

Sane

(a) *Hor. l.2. Od. 10* (b) *lib. de audiendis Poëtis.* (c) *Idem lib. de Ira cohibenda.* (d) *Epictet. in Enchir. c. 33.* (e) *Ter. Heaut. a. 5. s. 1.* (f) *Epictet. in Enchir. c. 33.* (g) *3. Tusc.*

Sane quidem, (a) *omnis ægritudo mora tandem decrescit; &, licet contumacissimum, dolorem tempus adimit & enervat.*

At, *visne igitur diem operiri, quo Affectus te invito desinat, an ipse illi finem imponere? Cur non id consilio præriperes, quod allatura est diuturnitas?*

De cætero, inhæreat animo, & quasi Oraculo missum placeat: (b) *Ita vita est hominum, quasi cum ludas tesseris. Si illud, quod maxime est opus jactu, non cadit, illud, quod cecidit forte, id arte ut corrigas.*

REMEDIA AMORIS.

MI FILI:

Est quidam bonus amor, qui (c) *illuc tendit, unde sumsit originem: ad bonum accedit; quia a summo bono procedit.*

Hunc cave sis unquam ex animo dimoveas tuo, atque utinam is omnes urat!

(d) *O felix hominum genus,*
Si vestros animos amor,
Quo cœlum regitur, regat!

Sed turpi & Venereo amori litare non licet, æque bonæ mentis ac corporis pesti, ac ideo malo propemodum haud medicabili. Nempe, quia & fere

(e) -- *amor, morbi non amat artificem.*

Tu audi recta suadentem, & pessulum animo obde, ne queat irrepere. Quæ dum dico, id dico, ut *otium diligenter fugias.*

(a) *Cardin. Bona manud. ad cœl. c. 15.* (b) *Ter. in Adelph. a. 4. s. 7.* (c) *Card. Bona manud. ad cœl. c. 13.* (d) *Boeth. l. 2. de consol. met. 8.* (e) *Propert. l. 2. el. 1.*

Namque,

(a) *Quam platanus vino gaudet, quam populus unda,*
Et quam limosa canna palustris humo;
Tam Venus otia amat.

Vnde, si

(b) *Quæritur, Ægysthus quare sit factus adulter:*
In promtu causa est, desidiosus erat.

Atenim,

(c) *Otia si tollas, periere Cupidinis arcus:*
Contemtæq; jacent, & sine luce, faces.

(d) *Desidiam puer ille sequi solet: odit agentes.*

Quoniam ergo

(e) *Cedit amor rebus, res age, tutus eris.*

Tantum huic remedio tribuit Theocritus, ut (f) unum & solum crederet, sic effatus: *Nullum contra amorem natum est remedinm aliud, o Nicia, neq; quod vel inungi vel aspergi possit, ut opinor, quam Musæ.*

Sed, supersunt alia quoque: inter quæ non minimo loco ponenda *in cibo & potu frugalitas*, quæ, (g) *inimica luxuriosis epulis, & aliena nimiæ vini abundantiæ.*

Etenim, (h) *verbum hercle hoc verum est: sine Cerere & Libero friget Venus.*

Contra vero,

(i) -- *Venus in vinis, ignis in igne furit.*

Ad

(a) *Ovid. de Rem. am.* (b) *Idem ib.* (c) *Idem ib.* (d) *Id. ib.* (e) *Id. ib.* (f) *Idyl. 11.* (g) *Val. Max. l. 2. c. 5.* (h) *Terent. in Eun. a. 4. s. 5.* (i) *Ovid. 1. de arte am.*

Ad hæc,

(a) *Ecce cibos etiam, medicinæ fungar ut omni*
Munere, quos fugias, quosve ſequare, dabo.
Daunius, an Libycis bulbus tibi miſſus ab oris,
An veniat Megaris, noxius omnis erit.
Nec minus erucas aptum vitare ſalaces;
Et quicquid Veneri corpora noſtra parat.
Vtilius ſumas acuentes lumina rutas;
Et quicquid Veneri corpora noſtra negat.

Porro, cum Fœminis quoties tibi agendum erit, *oculos emiſſitios habere minime oportet.*

(b) *Si neſcis, oculi ſunt in amore duces.*

(c) *Amoris principium eſt ea voluptas, quæ ex aſpectu percipitur: nemo enim amore capitur, niſi prius ſpecie fuerit oblectatus.*

Vsque adeo (d) *amoris fons & origo eſt flos corporis, qui oculos intrat, ex oculis in animum dilabitur. Prima enim via, qua pulchritudo ſe inſinuat, ſunt oculi.*

Quemadmodum autem nolo, ut obtutu, in Fœminas defixo, hæreas, ita prohibeo pariter, ut oculis uſurpes *libros ad corruptelam factos*, iisque legendis tempus, cujus jactura nulla gravior, teras, vel potius perdas.

(e) *In quo numero Amadæus eſt, ingenioſi nugatoris proles, peſtilens liber, ſi unquam fuit, & natus blande inficere aut interficere juventutem.*

Nec te impedio, quo minus in eundem cenſum referas, multos ex iis, quos Recentiores, ejus veſtigia calcando, compoſuere, quiq; vulgo, jure bono, barbaro vocabulo, *Romanzi* audiunt. Ii 5 Et-

(a) *Ovid. de rem. am.* (b) *Propert. l. 2. el. 15.* (c) *Ariſtot. 9. Ethic. c. 5.* (d) *Max. Tyr. Diſſert. 9.* (e) *Lipſius notis in l. 1. Polit. c. 10. ſub f.*

Etiam Veteres amatorii libelli caute admodum tractandi:

(a) *Carmina quis tuto potuit legisse Tibulli?*
Vel tua, cujus opus Cynthia sola fuit?

Novissime,

(b) *Si potes, & ceras remove. Quid imagine muta*
Carperis? hoc periit Laodamia modo.

Amplius, probe tecum perpende, **quanta mala eos maneant, quos Amor occupavit**, ita ut (c) *cum Leone, & cum Excetra, cum Cervo, cum Apro Ætolico, cum avibus Stymphalicis, cum Antæo deluctari mavelim, quam cum amore.*

Crede mihi,

(d) *Durius in terris nihil est quod vivat amante.*

Scilicet, (e) *in amore hæc omnia insunt vitia: injuriæ, suspiciones, inimicitiæ, induciæ, bellum, pax rursum:* (f) *insomnia, ærumna, error, terror, & fuga, ineptia, stultitiaq; adeo, & temeritas, incogitantia, excors immodestia, petulantia, cupiditas, & malevolentia. Inhæret etiam aviditas, desidia, injuria, inopia, contumelia, & dispendium, multiloquium, pauciloquium.*

Neque hæc solum, sed &

(g) *Labitur totas furor in medullas,*
Igne furtivo populante venas.
Non habet latam data plaga frontem,
Sed vorat tectas penitus medullas.

Quid

(a) *Ovid. de rem. am.* (b) *Idem ib.* (c) *Plautus in Persa a. 1. s. 1.* (d) *Propert. l. 2. el. 18.* (e) *Ter. in Eun.* (f) *Plaut. in Mercat.* (g) *Sen. in Hippol. a. 1.*

Quid multa?

(a) *Quot lepores in Atho, quot apes paſcuntur in Hybla:*
Cærula quot baccas Pallados arbor habet:
Littore quot conchæ: tot ſunt in amore dolores.

(b) *Nec omnis ætas ad perdiſcendum ſat eſt amanti, dum id perdiſcat, quot pereat modis.*

Vnde paſſim vides, (c) *adeo homines immutarier ex amore, ut non cognoſcas eundem eſſe.*

Quoties igitur pulchritudo aliqua animum tuum tentat, dic illico: (d) *Apageſis amor, tuas res tibi habe.* *Quid mihi tecum, venuſtas, rerum omnium res maxime inconſtans & fallax?* Tu, anceps

(e) -- -- *bonum mortalibus,*
Exigui donum breve temporis,
Vt velox celeri pede laberis!
Non ſic vere novo prata decentia
Æſtatis calidæ deſpoliat vapor,
Sævit ſolſtitio cum medius dies,
Et noctem brevibus præcipitat rotis;
Langueſcunt folio lilia pallido,
Et gratæ capiti deficiunt roſæ:
Vt fulgor, teneris qui radiat genis,
Momento rapitur, nullaq; non dies
Formoſi ſpolium corporis abſtulit.
Res es forma fugax. Quis ſapiens bono
Confidat fragili?

Cæte-

(a) *Ovid. l. 2. de arte am.* (b) *Plaut. in Trucul. a. 1. ſ. 1.* (c) *Ter. in Eun. a. 2. ſ. 1.* (d) *Plaut. in Trin. a. 2. ſ. 1.* (e) *Sen. in Hippol.*

Cæterum, etsi, (a) *tu quod cavere possis, stultum admittere est*,

&

(b) -- *vitare plagas in Amore ne laciamur,*
Non ita difficile est, quam captum retibus ipsis
Exire, & validos Veneris perrumpere nodos.

Docebo tamen, (c) *quomodo te redimas captum quam queas minimo*, antequam te afflictes, aut maceres, & quod ille apud Comicum (d) sibi evenire queritur, *amore ardeas, & prudens, sciens, vivus, vidensq; pereas.* Quamobrem, cum victus es;

(e) *Quale sit id quod amas, celeri circumspice mente,*
Et tua læsuro subtrahe colla jugo.

Sed heus, festina:

(f) *Dum novus est, cœpto potius pugnemus amori:*
Flamma recens parva sparsa resedit aqua.

Mox,

(g) -- *in primo limine siste pedem.*
Opprime, dum nova sunt, subiti mala semina morbi.

Crede mihi,

(h) *Amorem si fovere atq; alere desistas, cadit,*
Breviq; vires perdit extinctus suas.

Semel

(i) *Qui blandiendo dulce nutrivit malum,*
Sero recusat ferre, quod subiit, jugum.

Nimi-

(a) *Ter. in Eun. a.4. s. 6.* (b) *Lucret. l.4.* (c) *Ter. in Eun. a. 1. s. 1.* (d) *ibid.* (e) *Ovid. de rem. am.* (f) *Idem ep. 16. Heroid.* (g) *Idem de rem. am.* (h) *Sen. in Octav.* (i) *Idem in Hippol.*

Nimirum, (a) *aliis rebus occupanda mens, quæ curas ingerant, & memoriam rei amatæ dimoveant.*

Quidam, (b) *etiam novo quodam amore veterem amorem, tanquam clavo clavum, ejiciendum putant.*

Sane quidem,

(c) *Successore novo vincitur omnis amor:*

verum caute hoc remedio utendum, ne Scyllam, quod ajunt, vitare cupiens, in Charybdin incidas.

Quibusdam (d) *profuit, attente disquirere mala & incommoda rei amatæ, quæ ejus decorem & amabilitatem imminuerent.*

Cape in rem hanc exemplum geminum. (e) *Virgo quædam pulchra, nobilis, & casta, abraso universo crinium suorum ornatu, & elegantia, facieq; sua cinere aqua permixto delibuta, juvenem, erga se impudice inflammatum, accivit, eiq;, cum ingressus esset, dixit: Tune hanc deformitatem amas? Ille vero, tanquam ex furore revocatus, non modo libidinis ignem extinxit, verum etiam ingenti postea castitatis amore flagravit.*

Sic (f) *Hypatia, virgo Alexandriæ doctissima, prolatis quibusdam muliebribus pannis, inq; auditorem suum, a quo contra honestatem adamabatur, conjectis, & impuri ortus signo demonstrato, dixisse fertur: Istud quidem adamas, adolescens; nihil autem pulchrum. Hunc vero, præ pudore, & stupore indecoræ demonstrationis, erubuisse, modestioremque esse factum.*

Quid?

(a) *Cardin. Bona, manud. ad cœl. c. 13.* (b) *Cic. 4. Tusc.* (c) *Ovid. de rem. am.* (d) *Card. Bona c. 13.* (e) *Pelusiota l. 2. ep. 53.* (f) *Suidas in Hypatia.*

Quid? quod (a) *multos curavit* **pudor**, *dum se digito signari, vulgiq; fabulam fieri doluerunt; & rei fœditatem, plenam dedecore, plenam periculis, & pœnitentiæ obnoxiam considerarunt.*

Adjicio in cumulum **externa quædam remedia**, ne quid desit. (b) *E bove sylvestri nigro, si sanguine ricini lumbi perungantur mulieri, tædium Veneris fieri dixit Osthanes. Idemq; accidere, pota hirci urina, admista propter fastidium nardo.*

Nec minus proditum, (c) *pulverem, in quo se mula volutaverit, corpori inspersum, mitigare ardores amoris.*

Hoc nempe superest, ut, quibus aliter mederi non licet, amantes ab asino medicinam accipiant: sed optimum fortasse fuerit, si pro eo in pistrino molant.

REMEDIA ODII.

MI FILI:

(d) **Odium definiunt** *affectionem quandam & propositum male faciendi, ejusque occasionem captandi.*

Atque (e) **odium gignitur**, *quod quem odio quis habet, eum vel simpliciter, vel erga se malum esse imaginatur. Nam, & qui injuria se affectos putant, autorem injuriæ odisse solent: & qui alias injuriosi aut malitiosi videntur, eos aversamur atq; moleste ferimus.*

Maxime odium accenditur, si ab iis inimiciter nobiscum agatur, a quibus maxime amari oportebat. Ita-

(a) *Card. Bona manud. ad cœl. c. 13.* (b) *Plin. l. 28. H. N. c. 19.* (c) *ab eodem l. 30. c. 16.* (d) *Plutarchus in libello de invidia & odio inf.* (e) *Idem ib. sub. init.*

Itaque accerbiſſima eſſe odia inter conjunctiſſimos ſolent: (a) *& hoc non ſine ratione contingit, dum, a quibus deberi ſibi beneficium expectant homines, ab eisdem non ſolum privari beneficio, ſed inſuper lædi ſe putant:*

Et tum, (b) *quæ apud concordes vincula charitatis, incitamenta irarum ſunt apud offenſos.*

Hinc apud Græcos (c) *proverbio ferebatur: Fratrum contentiones & iræ ſunt acerbiſſimæ, &, qui ſe nimium amant, hi ſe nimium oderunt.*

Exemplo Atreus apud Senecam in Thyeſte, qui nec ambigebat propriam vitam perdere, dummodo ſimul frater periret, plenus furoris clamitans:

Hæc ipſa pollens inclyti Pelopis domus
Ruat vel in me, dummodo in fratrem ruat.

Additque veſanus:

Age, anime, fac, quod nulla poſteritas probet,
Sed nulla taceat; aliquod audendum eſt nefas,
Atrox, cruentum.

Id ergo inter Iram & Odium maxime intereſt, quod illa, cum multa in inimicum mala ingeſta fuere, detumeſcit: nec enim aliud iratus, quam reponere injuriam, ac talionem reddere deſiderat, deinde miſeretur. Odium autem nunquam terminatur miſericordia, ne in morte quidem.

Qualem animum ſpirant illa Phalaridis, epiſtola ad Eteonicum: *Malevolentiæ Pythonis erga me non vivus modo obliviſcar nunquam; ſed ne mortuus quidem.*

Patet ex iſtis, quanta hujus Affectus ſi enormitas. Cui accedit, quod, ſi aliquibus credimus, (a) *uni-*

(a) *Ariſtot. l. 7. pol. c. 7.* (b) *Tacit. l. 1. Ann.* (c) *Ariſtot. l. cit.*

(a) *universa Philosophia nulla remedia suppeditare potest, ad sanandos eos, qui hoc malo laborant.*

Et vero, inter ipsos Judæos, divinis institutis cultissimam gentem, pro lege, quanquam perperam, valebat: (b) *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum*: ut haud mirum sit, Gentiles odiis multum indulsisse.

Nos itaque Christiani, id quod Philosophia ignorat, quod ab humana sapientia neutiquam profectum est, *audiamus Christi Servatoris præceptum*, severe edicentis: (c) *Ego dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro persequentibus & calumniantibus vos: ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est: qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.*

Istam imprimis Magistri sui doctrinam graviter inculcandam sibi sumens Discipulus Johannes, (*d*) hortatur nos, verbis dulcissimis: *Filioli mei, non diligamus verbo, neq; lingua, sed opere & veritate.*

Nec minus (e) interminatur: *Qui non diligit, manet in morte: omnis, qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem.*

Id pronunciatum recte secum reputans Augustinus, (f) *qui odit fratrem suum*, inquit, *homicida est. Nondum armata manus est, nondum faucem obsedit, nondum insidias præparavit, nondum venena quæsivit, & reus in oculis Domini, concepto jam odio tenetur. Adhuc vivit, quem quærit occidere, & occidisse jam judi-*

(a) P. *Senault dans l' usage des passions, p. 265.* (b) *Matth. c. 5. v. 43.* (c) *Ib. v. 44. 45.* (d) *1. Ep. c. 3. v. 18.* (e) *Ibid. v. 15.* (f) *l. 50. Hom. 42.*

judicatur. Quantum enim ad te pertinet, occidisti, quem odisti.

Atque sufficere utique poterant de salute sua solicitis, sanisque ac sobriis omnibus, ad Odium minime in pectus admittendum, aut saltem receptum rursus inde eradendum, quæ divinitus sic nobis fuere præcepta. Sed neque hic penitus excludi se patitur, rationem in subsidium advocans, ancillaris Philosophia.

Hæc igitur abesse jubet ab homine, sancto animali, menteque alta prædito, **Affectum turpissimum, qui ne in bruta quidem**, quæ Natura ventri & appetitui sensitivo obedientia finxit, **cadit.**

Negari nequit, (a) *pugnant inter se aquilæ & dracones, cornices & ululæ, parus & carduelis, quorum etiam sanguinem occisorum permisceri negant, sed, etiamsi quis confundat, utrumq; seorsim diffluere narrant. Probabile est etiam, leoni adversus gallum, & elephanto adversus murem atrox odium esse, a metu natum: Quod enim timetur, id odio est.*

At, animantia ista (b) *in suo genere probe degunt; congregari videmus, & stare contra dissimilia. Leonum feritas inter se non dimicat; serpentum morsus non petit serpentes: nec maris quidem belluæ ac pisces, nisi in diversa genera, sæviunt.*

Poëta hæc (c) sic extulit:

-- -- -- parcit
Cognatis maculis similis fera. Quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? quo nemore unquam
Exspiravit aper, majoris dentibus apri?

(a) *Plut. lib. de invidia & odio.* (b) *Plin. Præf. l. 7. H. N.* (c) *Juven. Sat. 15.*

Indica tigris agit rapida cum tigride pacem
Perpetuam: sævis inter se convenit ursis.

Non itaque homo hominem odisse debet, (a) *cum inter nos cognationem quandam natura constituerit.* Quippe

(b) -- *cœlesti sumus omnes semine oriundi.*

Proinde, (c) *quomodo hominem homini natura conciliat: sic inest quoq; huic rei stimulus, qui nos amicitiarum appetentes faciat.*

Ab Origine communi, quo implicamur, nexum, arctius adhuc constringit **vinculum, quo in humana societate colligamur.**

(d) *Nefas, est nocere patriæ: ergo civi quoq;. Nam hic pars patriæ est. Sanctæ partes sunt, si universum venerabile est: ergo & homo homini. Nam hic in majore tibi urbe civis est. Quid si nocere velint manus pedibus? manibus oculi? Ut omnia inter se membra consentiunt, quia, singula servari, totius interest: ita homines singulis parcent, quia ad cœtum geniti sumus. Salva autem esse societas, nisi amore & custodia partium, non potest.*

Porro, (e) **Odii Affectui tantum subjacent ignavi**, *timidi, & suspiciosi, qui undecunq; damnum metuunt.*

Quo quisque major est, & ad majora genitus, eo magis sibi ab illo cavet.

Inquies: (f) *Quid ergo? impunitus erit ingratus? Quid ergo? impunitus erit impius? quid malignus? quid avarus? quid impotens? quid crudelis?*

Sicci-

(a) *l. 3. ff. de just. & jure.* (b) *Lucret. l. 2.* (c) *Sen. ep. 9.* (d) *Idem l. 2. de Ira c. 31.* (e) *Cardin. Bona, manud. c. 13.* (f) *Sen. l. 3. de Benef. c. 17.*

Siccine vero (a) *impunita tu credis esse, quæ invisa sunt? aut ullum supplicium gravius existimas publico odio?*

(b) *Eos quidem, quorum calumnia Socrates fuit oppressus, ut extreme malos, ita oderunt, itaq; aversati sunt cives, ut neq; ignem eis accenderent, neq; interrogantibus responderent, neq; in balneo aqua uterentur eadem, sed, qua illi lavissent, eam, tanquam pollutam, juberent a ministris effundi: donec illi impatientia odii sese suspenderunt.*

Ad hæc, odio abstinendum, sive par est, quem lacessere voles, (c) *sive superior, sive inferior. Nam, cum pare contendere, anceps est: cum superiore, furiosum: cum inferiore, sordidum.*

(d) *Major* vero *nulla potest esse vitiositas, quam optimis esse inimicum.*

(e) *Ac Thersitæ corporis vitia Homerus cum multiplici atq; copiosa oratione depinxisset, animi pravitatem brevissime, ac quasi uno verbo, expressit:*

Pelidæ imprimis erat, atq; inimicus Vlyssi.

Odium intra nos conceptum amplius compescimus, (f) *excitando animum ad amorem, per considerationem alicujus boni in eo, quod odio habetur.*

(g) *Vel, ubi fides sit, nos non esse affectos injuria, vel, ubi, quos ut malos oderamus, bonos esse persuadetur, vel beneficio accepto. Vltima enim gratia, ut Thucydides inquit, etsi minor sit, tamen tempestive in vita potest majus diluere crimen.*

(a) *Sen l.3. Benef. c.7.* (b) *Plut. lib. de invidia & odio.* (c) *Sen. l. 2. de Ira c. 34.* (d) *Plut. l. de invidia & od.* (e) *Id. ib.* (f) *Card. Bona manud. c, 13.* (g) *Plut. l. de inv. & od.*

Redeat in memoriam, istam (a) *mentis ad tranquilliorem habitum inclinationem*, istum egregium *humani animi ab odio ad gratiam deflexum*, Gentilibus quoque commendatum & usurpatum.

Quorum exceptæ voces, *non oportere eos privatis odiis dissidere, qui publice summa juncti essent potestate.*

Quod *speciosius aliquanto injuriæ beneficiis vincantur, quam mutui odii pertinacia pensentur.*

Valde *clarum in Africano Superiore ac Ti. Graccho depositarum inimicitiarum exemplum. Siquidem ad cujus mensæ sacra, odio dissidentes, venerant, ab ea & amicitia & affinitate juncti discesserunt. Non contentus enim Scipio, auctore Senatu, in Capitolio, Jovis epulo cum Graccho concordiam communicasse, filiam quoque ei Corneliam protinus ibi despondit.*

Quin, *hujusce generis humanitas etiam in M. Cicerone præcipua apparuit. Aulum namq; Gabinium, repetundarum reum, summo studio defendit, qui eum in Consulatu suo Vrbe expulerat. Idemq; P. Vatinium, dignitati suæ semper infestum, duobus publicis judiciis tutatus est, ut sine ullo crimine levitatis, ita cum aliqua laude.*

Studeamus & nos mereri hanc laudem. (b) *Cogitemus, quoties ad ignoscendum difficiles erimus, an expediat, omnes nobis inexorabiles esse. Quam sæpe veniam, qui negavit, petit? quam sæpe pedibus ejus advolutus est, quem a suis repulit? Quid est gloriosius, quam iram amicitia mutare?*

Eo vero in universum (c) *nihil est iniquius, quam aliquem heredem paterni odii fieri.*

Deni-

(a) *Val. Max. l. 4, c. 2. hinc inde.* (b) *Sen. l. 2. de Ira c. 34.*
(c) *Ib. id.*

Denique, ut hoc quoque obiter addam, *aliorum odium tute evitabis*, *Fili*, si (a) *sic vita erit: facile omnes perferre ac pati; cum quibus eris cunq; una, iis te dedere, eorum obsequi studiis, advorsus nemini: nunquam præponens te illis. Ita, facillime sine invidia laudem invenias, & amicos pares.*

REMEDIA DESIDERII.

MI FILI:

(b) *Nihil monuisse te malim, quam hoc, quod nemo monetur satis*, ut *desideriis tuis modum imponas*, & *miscere vitia desideriis* diligentissime caveas.

Haud *illud præcipio, ut aliquid naturæ neges: contumax est, non potest vinci, suum poscit.*

Verum, (c) *multa impetum animi movent, quæ petuntur petentium malo.*

Scis, quam multa mala blanda sint;

Circumspicienti tot millia hominum inquieta, se offerent, *qui, ut aliquid pestiferi consequantur, per mala nituntur in malum; petuntq; mox fugienda, aut etiam fastidienda.*

Nempe, ea, quorum Desideria illos probe confecerant, *deinde mala esse, aut inania, aut minora, quam speraverint, adepti, ac multa passi, vident.*

Tu, ne quid delinquas, fac rerum discrimina accurate teneas.

Principio, Res quædam Propriæ & a nobis possessæ sunt: quasdam alii in suis bonis numerant. Ad eas, quæ postremi generis, nefas est Desideria ac vota extendere. Percellat pectus pavore, a Supremo Nu-

(a) *Ter. in Andr. a. 1. s. 1.* (b) *Sen. ep. 119. hinc inde.* (c) *Ex ejusdem ep. 118. varie excerpta.*

mine, inter terrificos tonitruum fragores & fulgurum ignes, cœlitus emissum interdictum: (a) *Non concupisces uxorem proximi tui: non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, & universa, quæ illius sunt.*

Jam porro, (b) *res quædam in potestate nostra sunt, quædam non sunt. In nostra potestate est opinio, appetitio, desiderium, aversatio; &, ut uno complectar verbo, quælibet nostræ actiones. Nostri arbitrii non sunt corpus, pecunia, gloria, imperia: ad summam, ea, quæ ipsi non agimus, omnia.*

(c) *Illa nec prohiberi ab aliquo, nec impediri possunt, & bene se habent, rationem ducem si sequantur.*

(d) *Hæc aliena sunt, & impedimentis obnoxia. Quare ea omnino non appetes; vel ita saltem, ut scias, ab aliorum arbitrio pendere, & diu tecum esse non posse; quia sic exigit eorum conditio.*

Proinde (e) *memento, sic in vita esse versandum, tanquam in convivio. Si quid circumferendo ad te pervenerit, porrecta manu partem modeste capito. Præterit? Ne detine. Nondum adest? Ne longe appetitum extendito: sed expecta, dum ad te perlatum fuerit.*

(f) *Assidua autem exercitatio necessaria est, ut res extra te positas, tanquam nihil ad te spectantes, spernere discas. Id si fueris assequutus, nunquam dolebis externa tibi deesse: sicut non doles, quod Rex Tartarorum non sis, aut quod alis careas ad volandum. Quæ extra nos, nihil ad nos.*

Ca-

(a) *Deut. 6, 21.* (b) *Epict. in Enchir. c. 1.* (c) *Cardin. Bona manud. ad cœl. c. 14.* (d) *Idem ib.* (e) *Epict. in Enchir. c. 21.* (f) *Card. Bona in manud. c. 14.*

Capies tum ſinceram voluptatem, quod earum rerum, in quas homines vulgo ſpes & vota ſua collocant, voluptate non caperis.

Inter hæc primum locum *Divitiæ & Opes* ſibi vindicant.

At tu,

(a) *Non poſſidentem multa, vocaveris*
Recte beatum: rectius occupat
Nomen beati, qui Deorum
Muneribus ſapienter uti,
Duramq; callet pauperiem pati,
Pejusq; letho flagitium timet.

Heus! me reſpice: (b) *Pauper ſum, fateor, patior, quod Deus dat, fero.*

Et adeo, (c) *odi ego aurum, multa multis ſæpe ſuaſit perperam.*

Nam, quæ

(d) *Creſcentem ſequitur cura pecuniam,*
Majorumq; fames,

(e) *Avaritia fidem, probitatem, cæteraſq; artes bonas ſubvertit; pro his, ſuperbiam, crudelitatem, Deum negligere, omnia venalia habere docuit.*

Et, (f) *nullum eſt officium tam ſanctum atq; ſolemne, quod non avaritia comminuere aut violare ſoleat.*

Ex adverſo, certo certius (g) *Bonæ Mentis ſoror paupertas eſt:*

Vnde, (h) *quemcunq; in aliqua laude miramur, eum paupertas ab incunabulis nutricata eſt: paupertas,*

(a) *Horat. l. 4. Od. 9.* (b) *Plaut. in Aulul. a. 1. ſ. 2.* (c) *Idem in Capt. a. 2. ſ. 2.* (d) *Horat. l. 3. Od. 16.* (e) *Salluſt. in Catil.* (f) *Cic. pro Quinct.* (g) *Petron. in Satyr.* (h) *Apul. in Apol.*

tas, inquam, prisca apud secula omnium civitatum conditrix, omnium artium repertrix, omnium peccatorum inops, omnis gloriæ munifica, cunctis laudibus apud omnes nationes perfuncta.

Sed, (a) *postquam divitiæ esse honori cœpere, & eas gloria, imperium, potentia sequebatur, hebescere virtus* cœpit, & marcere.

Circumfer oculos, & aspice, quam dura & deploranda ejus sors sit, quem Pecunia possedit. Invenies, uti cupiditate quærendi miserrimum, ita nec habendi fructu felicem esse. Alieno semper imminet: (b) *quantum illi in arca, quantum in horreis jaceat, quantum parcat, aut fœneret*, nec acquisita tantum, sed & acquirenda solicitis computat articulis.

An de Caligulæ non stultitia tantum, sed & ærumna, quod satis est, dici potest? qui (c) *contrectandæ pecuniæ cupidine adeo incensus fuit, ut sæpe super immensos aureorum acervos, patentissimo diffusos loco, & nudis pedibus spatiatus, & toto corpore aliquandiu volutatus sit.*

At, finge Pecuniam, illius, cui obtigit, animum non corrumpere, nec majorem sui cupiditatem incutere. Saltem,

(d) *An vigilare metu exanimem, noctesq; diesq;*
Formidare malos fures, incendia, servos,
Ne te compilent fugientes, hoc juvat?

Enim vero, ex animi mei sententia dico, edico;

(e) -- -- *Horum*
Semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.

(f) -- *Tuta est hominum tenuitas:*
Magnæ periclo sunt opes obnoxiæ.

Quam-

(a) *Sallust. in Catilin.* (b) *Sen. ep. 10.* (c) *Sueton. in vita.* (d) *Horat. l. 1. Sat. 1.* (e) *Id. ib.* (f) *Phædrus l. 2.*

Quamobrem, tu quoque, *Fili:*

(a) -- -- *Tolle querelas:*
Pauper enim non est, cui rerum suppetit usus.
Si ventri bene, si lateri est, pedibusque tuis; nil
Divitiæ poterunt regales addere majus.

Augebit Divitiarum contemtum, ubi tecum reputaveris, quod (b) *caduca nimium hæc, & fragilia puerilibusq; consentanea crepundiis sunt, quæ vires atq; opes humanæ vocantur: Affluunt subito, repente dilabuntur.*

(c) *Multa sæpe & locupletibus accidunt, sæpe in imum summa decidunt.*

(d) *Levis est Fortuna: cito reposcit, quæ dedit.*

Pompejo cuidam, Caji Cæsaris cognato, quo nemo sui ævi erat ditior, ad postremum (e) *defuit panis & aqua: cum tot flumina possideret, in suo orientia, & in suo cadentia, mendicavit stillicidia: fame ac siti periit.*

Hanc ob causam Scythæ jure bono dixere, (f) *sine pedibus esse fortunam, quæ manus & pennas tantum habet: cumq; manus porrigit, pennas quoq; comprehendere non sinit.*

Opibus *Honos* parissimus est. Atque ideo hujus quoque cupidine te duci nolim.

Sæpe indignos

(g) -- *Ex humili magna ad fastigia rerum*
Extollit, quoties voluit Fortuna jocari.

(a) *Hor. l. 1. ep. 12.* (b) *Val. Max. l. 6. c. 9.* (c) *Quintil. declam. 9.* (d) *Pub. Syrus.* (e) *Sen. de tranquil. c. 11.* (f) *Curt. l. 7. c. 8.* (g) *Juven. sat. 3.*

Eadem

(a) *Fortuna, sævo læta negotio, &*
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores.

Namque, (b) *nihil est tam contrarium rationi & constantiæ, quam Fortuna.*

Et, (c) *incertissimo flatu huc atq; illuc actos, quos in sublime extulit, improviso cursu destitutos, profundo cladium miserabiliter immergit.*

Plerunque,

(d) -- *cum blanditur, captatum advenit.*

Vnde crebro,

(e) *Quem dies vidit veniens superbum:*
Hunc dies vidit fugiens jacentem.

Sic prorsus (*f*) Sejanum, *quo die Senatus deduxerat, populus in frusta divisit: in quem, quicquid congeri poterat, Dii hominesq; contulerant, ex eo nihil superfuit, quod carnifex traheret.*

Amplius **Frugalitas** discenda tibi, &

(g) -- *Quam parvo liceat producere vitam,*
Et quantum natura petat. Non erigit ægros,
Nobilis ignoto diffusus Consule Bacchus:
Non auro myrrhaq; bibunt, sed gurgite puro
Vita redit. Satis est populis fluviusq; Ceresq;.

(h) *Quisquis exit in lucem, jussus est lacte & pane contentus esse.*

(a) Fa-

(a) *Horat. l. 3. carm. od. 9.* (b) *Cic. 2. de Divin.* (c) *Val. Max. l. 6. c. 9.* (d) *Pub. Syrus.* (e) *Sen. in Thyest. a. 3.* (f) *Sen. de Tranquil. c. 11.* (g) *Lucan. l. 4.* (h) *Sen. ep. 20.*

(a) *Fames non est ambitiosa; contenta desinere, quo desinat, non quærit. Elapso momentaneo palati judicio, non suavius sapit pretiosum, quam vile.*

Si esuris,(b) *edendum est. Vtrum hic panis sit plebejus an siligineus, ad naturam nihil pertinet. Illa ventrem non delectari vult, sed impleri.*

Apud Poëtam, nescio quem, Plutarcho (c) allegatum, *est laude dignus, qui nec assis nimis, neq; gaudet elixis, & susq; deq; fert, cibus quo condiatur pacto.*

Si sitis, bibendum est. (d) *Vtrum hæc aqua sit ex lacu proximo excepta, an ea, quam multa nive cluseris, ut rigore refrigeretur alieno, ad naturam nihil pertinet. Illa hoc unum jubet, sitim exstingui.*

(e) *Egregie itaq; Horatius negat, ad sitim pertinere, quo poculo aqua, aut quam eleganti manu ministretur. Nam si pertinere ad te judicas, quam crinitus puer, & quam perlucidum tibi poculum porrigat, non sitis.*

(f) Hæc *eadem mediocritas* ad communem usum cultumq; *vitæ transferenda est.*

(g) *Possumus vestiri sine commercio Serum.*

(h) *Homo nudus creatus est, & non erubescebat: non enim poterat rubore eum afficere nuditas ignorata. Postquam vero peccavit, abjecta innocentiæ chlamyde, quæ satis eum tegebat, externa vestis pudori velando necessaria fuit. Sed, quod olim in pœnam irrogatum fuit, nunc in dignitatis prærogativam transivit. Quæruntur vestimenta, non quæ tegant, sed quæ ornent, quæ alienis oculis ac libidini placeant.*

(a) *Sit*

(a) *Cardin. Bona manud. c. 4.* (b) *Sen. ep. 119.* (c) *In lib. de Ira cohibenda.* (d) *Idem ib.* (e) *Idem ib.* (f) *Cic. 1. Offic.* (g) *Sen. ep. 90.* (h) *Card. Bona manud. c. 10.*

(a) *Sit igitur vestis tua artis expers; non ad pompam, sed ad necessitatem, infra fastum, supra sordes.*

(b) *Quemadmodum stultus est, qui, emturus equum, non ipsum inspicit, sed stratum ejus & frænos. Sic stultissimus est, qui hominem ex veste æstimandum putat.*

Nec minus (c) *tum te felicem judica, cum poteris in publico vivere: cum te parietes tui tegent, non abscondent: quos plerumq; circumdatos nobis judicamus, non ut tutius vivamus, sed ut peccemus occultius.*

Caput rei est: (d) *Finem omnium rerum specta, & supervacua dimittes.*

(e) *Id egit rerum natura, ut ad bene vivendum non magno apparatu opus esset.*

(f) -- -- *Multa petentibus*
Desunt multa. Bene est, cui Deus obtulit
Parca, quod satis est, manu.

Nimirum, (g) *nunquam parum est, quod satis est: nunquam multum est, quod satis non est. Post Darium & Indos, pauper est Alexander Macedo: quærit, quod suum faciat; scrutatur maria ignota, in Oceanum classes mittit novas, &, ut ita dicam, mundi claustra perrumpit. Quod naturæ satis est, homini non est.*

Seneca inter sapientem virum, & Deum, eam ob causam similitudinem esse contendit, (*h*) quod uterque nullis fere externis bonis sit indigus.

Si ambitiosa nimis hæc tibi videtur comparatio, placeat, uti modestus, ita & verus magis iste S. Chryso-

(a) *Card. Bona man. c. 10.* (b) *Macrob. l. 1. Saturn. c. 11.* (c) *Sen. ep. 43.* (d) *Idem. ep. 119.* (e) *Idem Consol. ad Helv.* (f) *Horat. l. 3. Od. 16.* (g) *Sen. ep. 119.* (h) *Ep. 26. 73. 92. 119. alibi.*

ſoſtomi ſermo: (a) *Quid quæſo? nonne in hoc Angeli a nobis differunt, quod non egent, ut nos? Igitur quanto paucioribus indigemus, tanto magis illis appropinquamus: quanto pluribus, tanto magis ad hanc caducam vitam deflectimus.*

REMEDIA FVGÆ.

MI FILI:

Tenes jam, Deſideria tua in rebus externis, ac tuæ poteſtati exemtis, haud nimis occupanda eſſe.

Fugam igitur pariter, ſive (b) *averſationem, ab iis rebus amovebis omnibus, quæ in nobis ſitæ non ſunt, atq; in eas transferes, quæ naturæ eorum, quæ noſtri arbitrii ſunt, repugnant.*

Siquidem, (c) *ſi ea ſolum averſere, quæ eorum naturæ, quæ in tua poteſtate ſunt, repugnant; in eorum, quæ averſaris, nihil incides. At, ſi morbum averſeris, aut mortem, aut inopiam; calamitatem ſubibis.*

Certe (d) *multa fugimus, & abominamur, tanquam noxia, & adverſa, quæ revera utilia ſunt. Fit enim plerunq;, ut ſpiritui plurimum proſint, quæ appetitui adverſantur. Quæ nocent, docent. Mors, exilium, paupertas, ignominia, labor, ægritudo, & cætera ejusdem generis, quæ in tua poteſtate non ſunt, nec mala ſunt, nec pertinent ad te. His itaq; non fugam, non abominationem opponere debes, ſed conceptæ de illis opinionis neglectum. Hæc omnia Socrates larvas appoſite nuncupabat. Nam, ut pueris larvæ incutiunt metum, cum nihil in illis, præter externam ſpeciem, horribile ſit; ita in rebus contingit, quas, non ut ſunt, ſed ut apparent, apprehendere ſoles.*

(a) *Hoc*

(a) *Homil. 80. in Johann.* (b) *Epictet. in Enchir. c. 7.* (c) *Idem c. 6.* (d) *Cardin. Bona manud. c. 14.*

(a) *Hoc ſi quis in medullas demiſerit, & omnia aliena mala, quorum ingens quotidie copia eſt, ſic adſpexerit, tanquam illis liberum & ad ſe iter; multo ante ſe armabit, quam petatur.*

Non fugit igitur Sapiens **Opprobria**, ſed, cum male de eo loquuntur homines, ait: (b) *Moverer, ſi judicio hoc facerent: nunc morbo faciunt: bene neſciunt loqui; faciunt, non quod mereor, ſed quod ſolent.*

Quibusdam enim canibus ſic innatum eſt, ut non pro feritate, ſed pro conſuetudine latrent.

Moverer, ſi de me Marcus Cato, ſi Lælius Sapiens, ſi alter Cato, ſi duo Scipiones iſta loquerentur. Nunc malis diſplicere, laudari eſt. Non poteſt ullam autoritatem habere ſententia, ubi, qui damnandus eſt, damnat.

Proinde ſcit, quod (c) *iſtic eſt theſaurus ſtultis in lingua ſitus, ut quæſtui habeant male loqui melioribus.*

Accipit itaq;, & muſſitat injurias ſuas. Nam (d) *bacchæ bacchanti ſi velit advorſarier, ex inſana inſaniorem faciet, feriet ſæpius.*

Non fugit Sapiens **Paupertatem**, verum, in egeſtate conſtitutus, ait: (e) *Honeſta res eſt paupertas læta, &, ad legem naturæ ſi componatur, longe divitiis anteferenda. Lex autem naturæ hos nobis terminos ſtatuit, non eſurire, non ſitire, non algere.*

Exiguum natura deſiderat; opinio immenſum. Is maxime divitiis fruitur, qui minime indiget.

Pau-

(a) *Sen. l. de tranquil. an. c. 11.* (b) *e Senecæ Excerptis varie tum iſta, tum alia, quæ ſequuntur, depromta.* (c) *Plaut. in Pœn. a. 3. ſ. 3.* (d) *Idem in Amphitr. a. 2. ſ. 2.* (e) *ex Sen. Exc.*

Paupertas expedita est, secura est. Cum classicum cecinit, scit se non peti: cum aliquo conclamatum est, quomodo exeat, non quid efferat, quærit: nudum latro transmittit, etiam in obsessa via pauperi pax est.

Multis divitias parasse, non finis miseriarum fuit, sed mutatio. Abstrahunt a recto divitiæ, mutant animos, superbiam, arrogantiam, & insolentiam pariunt, invidiam trahunt, mentem alienant.

Sæpius pauper, quam ii, qui felices vocantur, & fidelius ridet: cura, velut nubes levis, transit, nulla solicitudine concutitur.

(a) *Pecuniam* vero *si cuipiam fortuna ademit, aut si alicujus eripuit injuria, tamen dum existimatio est integra, facile consolatur honestas egestatem.*

Non fugit Sapiens *Exsilium*, ac, nulla sua culpa, innocens solum vertere coactus, ait: (b) *Non patria mihi interdicitur, sed locus: mox alibi civitate donabor. In quamcunq; terram venio, in meam venio. Patria est, ubicunq; bene est. Sapiens peregrinatur in hoc orbe; stultus semper exsulat.*

Non fugit Sapiens *Dolores*, aut *Morbum*, quin potius, quoties cum iis conflictandum est, fidenter dicit: (c) *Cum morbo mihi res est, semper una esse non possumus: aut vincetur, aut vincet: aut ego febrim relinquam, aut ipsa me.*

(d) *Magnos cruciatus habet morbus; sed hos tolerabiles intervalla faciunt. Nam summi doloris intentio invenit finem. Nemo potest valde dolere, & diu. Sic nos amantissima nostri natura disposuit, ut dolorem aut tolerabilem, aut brevem faceret. Maximi*

(a) Cic. pro Quinct. (b) e Sen. Exc. (c) ex iisdem. (d) Sen. ep. 78.

ximi dolores consistunt in macerrimis corporis partibus, nervis, articulisq;, & quicquid aliud exile est: acerrime sævit, cum in arcto vitia concepit. Sed cito hæ partes obstupescunt, & ipso dolore sensum doloris amittunt.

Non malum judicat Sapiens, ***aliquem ex his, quos amat, amittere:*** hoc enim tam ineptum foret, (a) *quam flere, quod arboribus amœnis, & domum suam ornantibus, decidant folia.*

Denique, nec propriam ***Mortem*** fugit Sapiens, memor, (b) *hac conditione in mundum se intrasse, ut exiret, nascentiq; sibi Naturam hunc posuisse terminum: stultum esse, timere, quod vitare non possis: multos se præcessisse, omnes sequuturos. Hunc esse humani officii finem, neminem sanum moleste tulisse exauctorari.*

Breviter: non secus se gerunt Sapientes, quam si Deus ipse iis assidue in aurem insusurret: (c) *Quid habetis, quod de me queri possitis, vos, quibus recta placuerunt? Aliis bona falsa circumdedi, & animos inanes, velut longo fallaciq; somnio, lusi: auro illos, argento & ebore ornavi: intus boni nihil est. Vobis dedi bona certa, mansura: quanto magis versaveritis, & undiq; inspexeritis, meliora majoraq;. Contemnite paupertatem. Nemo tam pauper vivit, quam natus est. Contemnite dolorem: aut solvetur, aut solvet: Contemnite fortunam: nullum illi telum, quo feriret animum, dedi. Contemnite mortem: quæ vos aut finit, aut transfert.*

Vide mihi, Fili, quousque aliqui, ista meditando, & mala hujus vitæ non fugiendo, sed familiaritatem cum iis contrahendo, profecerint. (a) *Agrip-*

(a) *Sen. ep. 104* (b) *rursus ex Seneca Excerpt.* (c) *Seneca de Provid. c. 6.*

(a) *Agrippinus vir talis erat, ut semper adversæ rei, quæ ipsi accidisset, laudationem conscriberet. Si febricitabat, febris: si male audiebat, infamiæ: si exulabat, exilii: cum vero aliquando pransuro intervenisset, qui nunciaret, jubere Neronem, ut exulatum iret: Ergo, inquit, Ariciæ prandebimus.*

Seneca noster, (b) se hanc animosam Demetrii, fortissimi viri, vocem audisse testatur: *Hoc unum, Dii immortales, de vobis queri possum, quod non ante mihi voluntatem vestram notam fecistis. Prior enim ad ista venissem, ad quæ nunc vocatus adsum. Vultis liberos sumere? illos vobis sustuli. Vultis aliquam partem corporis? sumite. Non magnam rem promitto. Cito totum relinquam. Vultis spiritum? Quid ni? nullam moram faciam, quo minus recipiatis, quod dedistis. A volente feretis, quicquid petieritis. Quid ergo est? maluissem offerre, quam tradere. Quid opus fuit auferre? accipere potuistis. Sed ne nunc quidem auferetis: quia nihil eripitur, nisi renitenti.*

Nefas esset, ex eodem Seneca (c) non recensere illud a Canio, quem Cajus Cæsar, Romanus Falaris, perimere jussit, contemtæ mortis exemplum; *quæ vir ille dixerit, quæ fecerit, quam in tranquillo fuerit. Ludebat latrunculis, cum Centurio, agmen periturorum trahens, & illum quoq; citari jubet. Vocatus, numeravit calculos, & sodali suo,* Vide, *inquit,* ne post mortem meam mentiaris, te vicisse. *Tum annuens Centurioni:* Testis, *inquit,* eris, uno me antecedere. *Lusisse tu Canium illa tabula putas? illusit. Tristes erant amici, talem amissuri virum.* Quid mœsti,

(a) *Epictet. apud Stobæum*, (b) *lib. de Provid. c. 5.* (c) *lib. de tranquil, an. c. 14.*

inquit, estis? Vos quæritis, an immortales animæ sint: ego jam sciam. *Nec desiit, in ipso veritatem fine scrutari, & ex more suo quæstionem habere. Prosequebatur illum Philosophus suus: nec jam procul erat tumulus, in quo Cæsari Deo nostro fiebat quotidianum sacrum.* Quid, *inquit*, Cani, nunc cogitas? aut quæ tibi mens est? Observare, *inquit Canius*, proposui, illo velocissimo momento, an sensurus sit animus, exire se. *Promisitq;, si quid explorasset, circumiturum amicos, & indicaturum, quis esset animarum status.*

O ingentem in mediis tempestatibus tranquillitatem! O Viros in tantum laudandos, in quantum humana virtus intelligi potest, & æternitate dignissimos! O etiam Christianis exemplaria disciplinæ!

REMEDIA GAVDII.

MI FILI:

Proprie quidem, secundum M. Tullium, (a) *cum ratione animus movetur placide atq; constanter, tum illud Gaudium dicitur: cum autem & inaniter & suffuse animus exultat, tum illa Lætitia gestiens, vel nimia dici potest.*

(b) *Vulgo tamen sic loquimur*, ut utrumque hilaritatis genus voce Gaudii complectamur.

Atque prius illud quidem, (c) quod *non nascitur nisi ex virtutum conscientia:*

Vel, quod (d) *tibi ex te omne nascitur*,
nolim a te segreges.

Ha-

(a) *4. Tuscul.* (b) *Sen. ep. 59.* (c) *Idem ib.* (d) *Idem ep. 124.*

Habuit hoc in animo Romanus Sapiens, asserens, (a) *nullum malum gaudium esse*, & Virgilium, cum *mala mentis Gaudia* dixit, *diserte quidem, sed parum proprie* verba fecisse, pronuncians.

Ex eodem fonte promanat, quod porro differit: *Quid ergo? inquis, stulti ac mali non gaudent? non magis, quam prædam nacti leones. Cum fatigaverunt se vino & libidinibus, cum illos nox inter vina defecit; cum voluptates angusto corpori, ultra quam capiebat, ingestæ, suppurare cœperunt; tum exclamant miseri Virgilianum illum versum:*

Namq; ut supremam falsa inter gaudia noctem
Egerimus, nosti.

Sed, ab infrunito illo gaudio, quod homines Stulti & Mali gaudent, penitus tibi abstinendum esse, monitore non eges.

(b) *Quia sicut sonitus spinarum ardentium sub olla; sic risus stulti.*

Improborum autem (c) *risum reputabis errorem, & gaudio illorum dices: Quid frustra deciperis?*

Externarum & suo modo licitarum rerum res hoc loco agitur, quarum (d) *lætitia loquax est, atq; ostentatrix sui: & a quo morbo magnæ parti hominum nulla cautio est.*

Cum igitur aliquid ex iis, quæ vulgus bona reputat, tibi objicitur, (e) *ita gaudere debes, ut in gaudio tuo modestia eluceat; neq; animus ita dissolvatur, quin possis libere, si opus sit, a lætitia ad mœrorem transire.*

(a) *Sen. ep. 59.* (b) *Eccles. 7, 7.* (c) *c. 2, 2.* (d) *Symm. l. 1. ep. 73.* (e) *Card. Bona Manud. c. 15.*

Namque hoc (a) *Gaudium, nisi impendentis mutationis habenis trudatur, præcipites nos aget, atq; ut ab officio & decore excidamus, efficiet.*

Non effuse autem nimis gaudebis, considerando tecum, quam (b) *nihil quicquam homini tam prosperum divinitus datum, quin ei tamen admixtum sit aliquid difficultatis; ut etiam in amplissima quaq; lætitia subsit quæpiam vel parva querimonia, conjugatione quadam mellis & fellis. Vbi uber, ibi tuber.*

(c) *Fortuna nunquam perpetuo est bona:*
& usque adeo,

(d) *Non annis anni, non menses mensibus usq;*
Conveniunt, seq; ipse dies, aliumq; relinquit,
Horaq; non ulli similis producitur horæ.

(e) *Fugit terrena voluptas; & quæ nos gaudia vocamus, sæpe initia tristitiæ sunt;*

Secundum illud Poëtæ:

(f) *Gaudia principium nostri sunt, Phoce, doloris.*

Saltem, (g) *ita Diis placitum, voluptatem ut mœror comes consequatur: Quin incommodi plus maliq; illico assit, boni si obtigit quid.*

Etiam Periculum, quod a Gaudii excessu imminet, movere te debet, ne huic perturbationi nimis indulgeas.

(h) *Vix verisimile est, in eripiendo spiritu idem gaudium potuisse, quod fulmen: & tamen potuit. Nunciata enim clade, quæ ad lacum Thrasymenum, altera mater, sospiti filio ad ipsam portam facta obviam, in complexu ejus exspiravit. Altera, cum falso mor-*

(a) *Isid. Pelus. l. 3. ep. 204.* (b) *Apul. in Florid.* (c) *Ter. in Hec. a. 3. s. 3.* (d) *Manil. l. 3. Astron.* (e) *Card. Bona manud. c. 15.* (f) *Ovid. l. 7. Metam.* (g) *Plaut. in Amphitr. a. 1 s. 2.* (h) *Val. Max. l. 9. c. 12.*

mortis filii nuncio domi mœsta sederet; ad primum conspectum redeuntis exanimata est. Genus casus inusitatum: quas dolor non extinxerat, lætitia consumpsit.

(a) *De Rhodio etiam Diagora celebrata historia est. Is Diagoras tres filios adolescentes habuit, unum pugilem, alterum pancratiasten, tertium luctatorem: eosq; omnes vidit vincere coronariq; eodem Olympiæ die: & cum ibi eum tres adolescentes complexi, coronis suis in caput patris positis, suaviarentur, cumq; populus gratulabundus flores undiq; in eum jaceret: ibi in stadio, inspectante populo, in oculis atq; manibus filiorum animam efflavit.*

Neque est, quod dicas mihi: non succedere tale quid, nisi ob magnam rem. Ecce, Philemonem in joculario eventu (b) *vis risus immoderati abstulit. Paratas ei ficus, atq; in conspectu positas, asello consumente, puerum, ut illum abigeret, inclamavit. Qui, cum jam comestis omnibus supervenisset, quoniam, inquit, jam tardus fuisti, da nunc merum asello. Ac protinus urbanitatem dicti crebro anhelitu cachinnorum prosecutus, senile guttur salebris spiritus prægravavit.*

Esto, non semper mors Gaudii impotentiam consequitur: at trahit secum mala alia. (c) *Dionysius, Heracliensium tyrannus, cum de morte Alexandri M. certior factus esset, Lætitiæ statuam consecravit; & ad primum nuncium eo affectus est modo, præ exuberanti gaudio, ut vertigine correptus prolaberetur, & a sana mente conspiceretur alienus.*

(a) *Agell. l. 3. c. 15.* (b) *Val. Max. l. 9. c. 12.* (c) *Memnon apud Photium.*

Hinc merito aliqui, cum aliter Gaudii nimietatem temperare se posse desperarent, *tristium rerum objectu* id assequi studuerunt.

De Saladino (*a*) notum, eum subuculam præferre sibi jussisse, & proclamare, *nihil ipsum de gloria reportaturum, præter tantundem panni.*

Maximilianus I. Imperator,(b) *capulum funebrem e querno ligno, arcæ viatoriæ inclusum*, secum circumferebat.

(c) Rabbini veteres, cum convivas in hilariis valde lætos animadverterent, vasa vitrea ingentis pretii frangebant, ne sincera esset voluptas, & ut lætis solicitum aliquid interveniret.

Nec aliam ob causam, in Trimalcionis epulis, potantibus, qui intererant, (d) *larvam argenteam attulit servus, sic aptam, ut articuli ejus, vertebræq; locatæ, in omnem partem flecterentur. Hanc cum super mensam semel iterumq; abjecisset, & catenatio mobilis aliquot figuras exprimeret, Trimalcio adjecit:*

Heu, heu nos miseros, quam totus homuncio nil est!
Sic erimus cuncti, postquam nos auferet Orcus.

REMEDIA TRISTITIÆ.

MI FILI:

(e) *Tristitia malum præsens, vel re ipsa, vel apprehensione, cum quadam perturbatione & inquietudine, execratur.*

Ori-

(a) *Calvis. in Chron. ex Marino.* (b) *Lips. Mon. Polit. l. 7. c. 14.* (c) *Gemara Berachot c. 5.* (d) *Petron. in Satyr.* (e) *Card. Bona Manud. c. 15.*

Oritur maxime, ut Carneades asserebat, (a) *ab hac una causa, quod inexspectato nobis accidit quippiam.*

Idem (b) *pulchre etiam Poëta docuit. Vlysses enim, cane mortuo, cum non continuisset lacrymas, uxori adsidens flenti, nihil tale passus est. Huc enim venerat, animo ratione jam ante confirmato, & adversus motum munito: in illum autem fletum subita res & inexspectata eum conjecerat.*

Igitur, (c) *nihil æque te ab his animi fluctibus vindicaverit*, quam si **animi robore** id tibi præstes, *ne quid ex his, quæ eveniunt, subitum sit.*

Sero animus ad periculorum patientiam, post pericula, instruitur.

Non sunt illæ homine sapiente dignæ voces: *Non putavi hoc futurum: Nunquam hoc eventurum credidissem. Quare autem non?*

Novisse debebas, *omnem conditionem versabilem, & quicquid in ullum incurrit, posse in te quoque incurrere.*

Quin potius sic sentias, sic loquaris: *Sciebam, in quam tumultuosum me contubernium natura clusisset. Totiens in vicinia mea conclamatum est; totiens præter limen immaturas exsequias fax cereusque præcessit: sæpe altius ruentis ædificii fragor sonuit: multos ex his, quos forum, curia, sermo, mecum contraxerat, nox abstulit, & vinctas ad sodalitium manus copulatas intercidit. Mirer, aliquando ad me pericula accessisse, quæ circa me semper erraverunt?*

(a) *Plut. lib. de anim. tranquil.* (b) *Id. ib.* (c) *Sen. lib. de tranquil. an. qui & alia, quæ sequuntur, suggessit.*

Nunquam elabatur e memoria Menandreum illud: (a) *Dicere haud vivus potest quisquam: Hoc non obtinget mihi.*

Nam, quod (b) *Publius tragicis comicisq; vehementior ingeniis, quotiens mimicas ineptias, & verba ad summam caveam spectantia reliquit, inter multa alia, cothurno, non tantum sipario, fortiora dixit:*

Cuivis potest accidere, quod cuiquam potest.

Præterea, (c) *solemus ut plurimum non rebus, sed rerum opinionibus, cruciari.*

Quapropter, (d) *deme rebus tumultum, deme personam, redde singulis faciem suam: nihil in illis terribile esse videbis, præter ipsum timorem. Id nobis evenit grandioribus, pueris quod parvulis solet. Hi, quos amant, quibus assueverunt, cum quibus ludunt, si personatos vident, expavescunt. Tu vero, pueris deterior, ad tantam ineptiam pervenisti, ut non solum dolore, sed doloris larva, & panico terrore vexeris.*

Sed & in re alia puerulis apprime similes sumus. (e) *Pueruli, si quis ludicrarum rerum unam ipsis auferat, reliquis etiam omnibus projectis, plorant, ac vociferantur: ita, una aliqua in re fortuna nobis obturbante, inique ferendo & lamentando, cætera omnia eam nobis reddere inutilia querimur,* & ob amissa dolore afficimur, non gaudemus relictis.

In hoc vero etiam pueris deteriores & molliores sumus, quod sæpe, non præsentia tantum, sed & futura mala, ac quorum ipsi causa sumus, flemus.

Haud

(a) *Apud Plut. lib. de an. tranquil.* (b) *Iterum e Sen. lib. de tranquil. an.* (c) *Card. Bona manud. c. 15.* (d) *Idem c. 17.* (e) *Plut. lib. de an. tranquil.*

Haud ſecus, (a) *cum per magna camporum ſpatia porrigeret exercitum, nec numerum ejus, ſed menſuram comprehenderet Perſarum Rex inſolentiſſimus, lacrymas fudit, quod intra centum annos nemo ex tanta juventute ſuperfuturus eſſet. At illis erat admoturus fatum ille ipſe, qui flebat, perditurusq; alios in terra, alios in mari, alios in prælio, alios in fuga: & intra exiguum tempus conſumpturus illos, quibus centeſimum annum timebat.*

Valebit iſtorum meditatio ad id, ne mens tua impotenti Triſtitiæ incurſu transverſam ferri ſe patiatur. Magis autem adhuc admiſſionem illius horrebis, cum cogitabis, quanta **Incommoda**, imo vero, ***mala*** (b) *nam incommoda alia ſunt dicenda*, ſecum afferat.

Attende Menandrum: (c)

Multorum malorum cauſa omnibus eſt ſuapte natura
Triſtitia. Propter hanc enim inſania oboritur
Multis, & ægritudines incurabiles,
Interficiunt etiam aliqui ſeipſos præ triſtitia.

Aut, ſi mavis, audi Syracidem: (d) *A triſtitia feſtinat mors, & cooperit virtutem, & triſtitia cordis flectit cervicem.*

(e) *Multos occidit triſtitia, & non eſt utilitas in illa.*

Recta monenti igitur obtempera, & (f) *Triſtitiam non des animæ tuæ, & non affligas temetipſum in conſilio tuo.*

Ehodum! iterum iterumque tibi dico: (g) *Ne dederis in triſtitiam cor tuum, ſed repelle eam a te.*

(a) *Sen. lib. de brev. vitæ c. 16.* (b) *Ter. in Eun. a. 2. ſ. 3.* (c) *apud Stobæum ſerm. 97.* (d) *c. 38, 19.* (e) *ib. c. 30, 25.* (f) *ib. v. 22.* (g) *ib. c. 38. 21.*

Atque ut melius animo tuo inhæreant, quæ disserui prolixius, ecce tibi breviter summa eorum capita, his Ciceronis verbis (*a*) velut in fascem colligata: *Erit igitur in consolationibus prima medicina, docere, aut nullum malum esse, aut admodum parvum: altera, & de communi conditione vitæ, & propriæ, si quid sit de ipsius, qui mœreat, disputandum: tertia, summam esse stultitiam frustra confici mœrore, cum intelligas, nihil posse proficí.*

Enim vero, sat scio, sic objectabis, sic loqueris: Quid faciam, Pater? (b) *Aliud fortasse aliis vitii est: ego sum animo leni natus: non possum adversari plane* tristitiæ.

Est, inquam, (c) *mihi pectus, & mollis affectus.*

Vtique (d) *hominis est, affici dolore, sentire:*

(e) *Ego autem homo sum: humani nihil a me alienum.*

Annon, & meos, & Amicorum casus defleam, & horum quidem magis, quam proprios?

Nam,

(f) -- *ex semet nihil natura creavit*
Pectore amicitiæ majus, nec rarius unquam.

(g) *Est enim quædam etiam dolendi voluptas.*

Nec

(h) -- *mihi cornea fibra est.*

Scio, Fili, (i) *sunt, quorum mentes etiam nocentium supplicia confundant, qui ad omnium sanguinem pallescant, ignotorum quoq; miseriis illacryment.*

At,

(a) *Ex 3. Tuscul.* (b) *Ter. Hec. a. 2. s. 2.* (c) *Quintil. declam. 9.* (d) *Plin. l. 8. ep. 16.* (e) *Ter. Heaut. a. 1. s. 1.* (f) *Manil. l. 2. Astronom.* (g) *Plin. l. 8. ep. 16.* (h) *Persius sat. 1.* (i) *Quintil. declam. 9.*

Verum enim vero nolim plane affectibus indulgeas.

Interim, non te impedio, quo minus tua mala, si
:a tempus fert, defleas, & Amicis quoque te des, la-
rymasque tuas iis commodes.

Modo memineris, (a) *adprime in vita esse utile,
t ne quid nimis.*

At, plerumque non ibi consistunt dolores, ubi cœ-
erunt, (b) *sed quamlibet in tenuem recepti tramitem,
itissime evagandi sibi viam faciunt.*

(c) *Olynthi cantharos, ferunt, in locum quendam,
ui ab exitio ejus insecti Cantharolethrum dicitur,
ijectos, quod exire inde nequeant, perpetua circum-
ersione enecari: sic aliqui in malorum consideratio-
em ubi incidere, inde se revocare & recreare no-
int.*

Tu cave sis, similem iis te præstes: & (d) *ejiciunda
ercle hæc est mollities animi.*

(e) *Cui si frænos remittas, nulla materia non maxi-
na est.*

Equidem, (f) *recens animi dolor consolationes re-
icit ac refugit:* idem tamen eas *mox desiderat, & cle-
nenter admotis acquiescit.*

Ergo plange miserias tuas, (g) *præsertim si in amici
inu defleas, aqud quem lacrymis tuis vel laus sit para-
a, vel venia;*

quique te interdum, (h) *aut consolando, aut consi-
io, aut re juverit.*

Sunt,

(a) *Ter. in Andr. a. 1. s. 1.* (b) *Vellej. l. 2. c. 3.* (c) *Plut. lib. de an. tranq.* (d) *Ter. in Eun. a. 2. s. 1.* (e) *Plin. l. 5. ep. 9.* (f) *Id. ep. 15.* (g) *Idem l. 8. ep. 16.* (h) *Ter. in Heaut. a. 1. s. 1.*

Sunt, si nescis, ipsæ *Lacrymæ* remedium Tristitiæ, &

(a) -- *est quædam flere voluptas:*
Expletur lacrymis egeriturq; dolor.

(b) *Dolor per lacrymas effluit.*

Sed hæc medicina propemodum ipso malo pejor est: qualis illa etiam, quæ a *Tempore* petitur.

Sane, (c) *dolores mitigat tempus:*

Nec (d) *falsum est, quod vulgo audio dici, diem adimere ægritudinem hominibus.*

Quia vero alia remedia supersunt, nolim illa adhibeas, quibus periculum est, ne mœror magis accendatur tuus.

Si quid sinistri accidit, cape *Chelyn* tuam, & lætos modos ciere stude.

(e) *Nam & Achillem, Vatum maximus refert, ægri animi curas fidibus resolvisse.*

(f) *Hoc est, cur cantet vinctus quoq; compede fossor,*
Indocili numero cum grave mollit opus:
Cantet & innitens limosæ pronus arenæ,
Adverso tardam qui trahit amne ratem.
Cantantis pariter, pariter data pensa trahentis,
Fallitur ancillæ decipiturq; labor.

Cum Musicam tractandi satias est, **circumfer animum ad læta** nihilque tetrici habentia, spectanda aut legenda.

Graviter vulgo desipimus, quippe (g) *oculos, nimio splendore offensos, ad florida & viridia avertentes, reficimus*

(a) *Ovid. l. 4. Trist.* (b) *Sen. l. 10. controv.* (c) *Quintil. l. 6.* (d) *Terent. Heaut. a. 3. s. 1.* (e) *Symmach. l. 3. ep. 74.* (f) *Ovid. l. 4. Trist. el. 1.* (g) *Plut. in l. de an. tranq.*

s;iidem vero cogitationem rebus dolorem afferen-
ntendimus, eamq; meditationi molestiarum co-
immorari.

rige nunc aures: (a) *Aliquando vectatio iter- & mutata regio, vigorem dabunt, convictus- & liberalior potio: nonnunquam & usq; ad ïatem veniendum, non ut mergat nos, sed ut de- t. Eluit enim curas, & ab imo animum movet: morbis quibusdam, ita tristitiæ medetur: Li- non ob licentiam linguæ, dictus est inventor vini, ia liberat servitio curarum animum, & as-*

) *Ecquid beo te* dulci remedio? Nec mirum, quip- re amara.

vero magis ad palatum sit, etiam in metrum re- m illud propinabo: Evax!

) *Vina parant animos, faciuntque caloribus aptos:*
Cura fugit, multo diluiturq; mero.
Tunc veniunt risus, tunc pauper cornua sumit:
Tunc dolor, & curæ, rugaq; frontis abit.

hil ergo peccant, sed acu rem tangunt, qui Sa- ni Regi obsequuntur, suadenti: (d) *Date sice- mœrentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo: it, & obliviscantur egestatis suæ, & doloris sui recordentur amplius.*

oviſſime, si irrita sint remedia cætera omnia, *ermone bono lætificabitur* tristis,
: (f) *memoriam malorum joci venustas franget.*

Quip-

) *Sen. lib. de tranq. an. c. ult.* (b) *Ter. in Eun. a. 2. s. 2.*
(c) *Ovid. l. 1 de arte.* (d) *Prov. 31, 6. 7.* (e) *Ib. c. 12, 25.*
(f) *Symm. l. 3. ep. 39.*

Quippe, (a) *nihil æque ægrum reficit atq; adjuvat, quam amicorum affectus.*

Quapropter (b) *oportet ei, qui in dolore est, orationem ab amicis adhiberi, non quæ assentetur, sed quæ consoletur.*

Namq; (c) *levius tunc hominem dolores affligunt, & una pars ex multis aufertur, cum quis eos comiti suo narravit.*

Etsi vero de remediis tantum adversus privata mala hactenus loquutus sum; tamen iisdem tristitia & cura, quæ ex *publicis* oritur, similiter hebetabitur, (d) *si quis recte aut commode tractaret.*

Addo autem horum proprium & peculiare pharmacum:

(e) *Dulce mœrenti populus dolentum,*
Dulce lamentis resonare gentes,
Lenius luctus lacrymæq; mordent,
Turba quas fletu simili frequentat,
Semper, ah semper, dolor ipse magnus,
Gaudet in multos sua fata mitti,
Seq; non solum patuisse pœnæ.
Ferre, quam sortem patiuntur omnes,
Nemo recusat.

REMEDIA SPEI.

MI FILI:

Spes nobis dicitur gaudium animi, ex opinione boni impendentis, quod voluptatem aut adferre, aut conservare valet, prognatum.

Huic

(a) *Sen. ep. 78.* (b) *Plut. lib. de exsilio.* (c) *Callimachus apud Stob. serm. 111.* (d) *Ter. Heaut. 4. 1. s. 1.* (e) *Sen. in Troade a. 4.*

Huic nemo facile convicium dicit: (a) *Est enim communissimum, & quibus reliqua omnia desunt, ea adest.*

(b) -- -- *Credula vitam*
Spes fovet, &, melius cras fore, semper ait.
Spes alit agricolas, spes sulcis credit aratis
Semina, quæ magno fœnore reddat ager.
Hæc laqueo volucres, hæc captat arundine pisces,
Cum tenues hamos abdidit ante cibus.

(c) *Tolle Spem hominibus, nemo victus tentabit arma: nemo, infeliciter expertus navigationem, alios appetet quæstus: nemo naufragus vivet. Spes est ultimum rerum adversarum solatium.*

(d) *Hæc facit, ut vivat fossor quoq; compede vinctus,*
Liberaq; a ferro crura futura putet.
Hæc facit, ut, videat cum terras undiq; nullas,
Naufragus in mediis brachia jactet aquis.
Sæpe aliquem solers medicorum cura relinquit;
Nec Spes huic vena deficiente cadit:
Carcere dicuntur clausi sperare salutem:
Atq; aliquis pendens in cruce vota facit.

Equidem, haud impedio, quo minus huic affectui paululum loci in animo relinquas.

Est enim Spes (e) *proprium ornamentum humanæ animæ: ac solus vere homo res bonas exspectat, & bona Spe se sustinet.*

Et adeo etiam (f) *Sapientibus, vita Spe confirmanda est.*

At

(a) *Plut. in conviv. VII. Sap.* (b) *Tibul. l. 2. el. ult.* (c) *Sen. l. 5. contr. 1.* (d) *Ovid. l. 1. de Ponto el. 7.* (e) *Philo Alex. in Abrah.* (f) *Menander apud Stobæum serm. 108.*

At vero,(a) *ut Crura, sic Spem quoq; non amplius extendere convenit, quam fieri potest.*

Hunc igitur modum tenebis, ut (b) *neq; bona adspirante fortuna, totam laxes habenam, & ut in malo successu bonam Spem concipias.*

Ita tamen, ut Socratici illius effati (c) nunquam te capiat oblivio: *Neq; mulier sine viro, neq; bona Spes absq; labore, utile quicquam parit.*

Vt sic, (d) *re magis, quam Spe, tuti esse debeamus.*

Vltra hæc, rectum consistere nequit, & (e) *de futuro nemo sanæ mentis certam Spem sibi est sponsurus.*

Hæc enim (f) *Spes, δάπανος φύσει, natura est detrimentosa,*

Quippe, (g) *vanæ Spes futiles habent exitus.*

Imo, (h) *Spes mala, sicut malus viæ dux, ad peccata ducit.*

(i) *Estq; res pessima mortalibus, quæ multas civitates commisit.*

Ac, vel (k) *ob exiguas Spes, magna sæpe eveniunt infortunia.*

Sed, quid vulgo agitur? Quia (l) *Spem pretio non emimus*, tantum nobis capimus, quantum animus recipit:

Nec de nostra (m) *stultitia dici, ut dignum est, potest.*

(n) *Non videmus, quam multa nos incommoda exagitant, quam male nobis conveniat hoc corpus? Nunc de ventre, nunc de capite, nunc de pectore ac faucibus queri-*

(a) *Epictet. apud Stob. serm.* 108. (b) *Euripides apud eundem.* (c) *Apud eundem.* (d) *Sym. l.* 16. *ep.* 38. (e) *Polyb. l.* 3. *Hist. c.* 31. (f) *Thucyd.* (g) *Pindarus Nem. od.* 8. (h) *Socrates apud Stob. serm.* 108. (i) *Euripides ibid.* (k) *Polyb. l.* 1. *c.* 37. (l) *Ter. in Adelph. a.* 2. *s.* 2. (m) *Idem in Phorm.* (n) *Sen. ep.* 120.

querimur: alias nervi nos, alias pedes vexant: nunc dejectio, nunc destillatio: aliquando superest sanguis, aliquando deest: hinc atq; illinc tentamur, & expellimur, quod evenire solet in alieno habitantibus. At nos, corpus tam putre sortiti, nihilominus æterna proponimus, & in quantum potest ætas humana protendi, tantum Spe occupamus, nulla contenti pecunia, nulla potentia. Quid hac re fieri impudentius, quid stultius potest? Nihil satis est morituris, imo morientibus.

Obsecro te, (a) *vide, in quanta cæcitate mens nostra sit.*

Merito igitur (b) *Plato dicebat, Spes esse vigilantium hominum somnia.*

Nec minus recte Ajax apud Sophoclem professus est: *Pro nihilo hominem puto, qui inani Spe concepta incalescit.*

Etenim, (c) *qui semper a futuris pendent, & absentia desiderant, Spe, tanquam rate, feruntur atq; fluctuant, etiamsi nunquam extra muros prodeant.*

Quin amplius, (d) *qui futura cupide exspectant, conficiuntur angore & metu:*

Quoniam, (e) *nihil æque amarum, quam diu pendere. Æquiore quidam animo ferunt præcidi Spem suam, quam trahi.*

Tam (f) *difficilis est hominibus utcunq; conceptæ rei mora.*

Tum vero, (g) *maxime cruciantur, cum sero sentiunt, frustra se aut pecuniæ studuisse, aut imperiis, aut opibus, aut gloriæ.*

(a) *Sen. ep. 120.* (b) *Ælian. l. 13. c. 29.* (c) *Plut. lib. de exsilio.* (d) *Cic. 1. de Fin.* (e) *Sen. 2. de Benef. c. 5.* (f) *Vellej. l. 2.* (g) *Cic. 1. de Fin.*

Ergo, mi Fili, (a) *ut pedibus loca invia & prærupta non petis; ita nec animo ea ſperanda, quæ in tua poteſtate non ſunt. Omne miſeriæ momentum hoc eſt; defuiſſe voluntati, quod ſperavit.*

Hinc (b) *ſæpe admonendus eſt animus, ut, quæcunq; extra te, & circa te ſunt, aſpiciat ut peritura, tenuiq; filo pendentia. Quid obliviſceris conditionis tuæ? Mortalis natus es: nihil tibi de hodierna die promittitur, nihil de hac hora. Inſtat a tergo mors.*

Hæc

(c) *Vitæ ſumma brevis, Spem nos vetat inchoare longam:*

Nec unquam pectus mortale (d) *magis divinum eſt, quam ubi mortalitatem ſuam cogitat, & ſcit, in hoc natum hominem, ut vita defungeretur: nec domum eſſe hoc corpus, ſed hoſpitium; & quidem breve hoſpitium: quod relinquendum eſt, ubi te gravem eſſe hoſpiti videas.*

Noviſſime, quia, in hac vita, (e) *inſperata accidunt magis ſæpe, quam quæ ſperes,*

& plurimum, (f) *quod non exſpectas, ex transverſo fit*; cum

(g) *Prudens futuri temporis exitum*
Caliginoſa nocte premat Deus:

Commendemus illi fortunam noſtram, (h) *ex rebus deſperatis gratia major hominibus.*

RE-

(a) *Card. Bona manud. c. 16.* (b) *Idem ib.* (c) *Horat. l. 1. od. 4.* (d) *Sen. ep. 120.* (e) *Plaut. in Moſtel. a. 1. ſ. 3.* (f) *Petron. in Satyr.* (g) *Horat. l. 3. Od. 29.* (h) *Eurip. apud Stobæum ſerm. 109.*

REMEDIA DESPERATIONIS.

MI FILI:

(a) *Desperatio est ægritudo, sine ulla rerum exspectatione meliorum.*

Eam (b) *causant inertia, abjectio animi, nimia difficultatum apprehensio, vitiosa sui diffidentia, viriumq; & industriæ defectus.*

Nempe, (c) *ita pleriq; ingenio sumus omnes, nostri nosmet pœnitet:*

Et, affectibus servientes, in levi infortunio animum despondendo, querimur cum servo apud Comicum: (d) *Nunc illud est, quod si omnes omnia sua consilia conferant, atq; huic malo salutem quærant, auxilii nihil adferant.*

Cæterum, Desperatio isthæc (e) *vincitur, excitando animum eorum exemplo, qui, etiam in gravioribus angustiis constituti, omnia obstantia generose superarunt.*

Præter istud, (f) *non contemnenda sunt ad tolerandum dolorem remedia, firmitas animi, turpitudinis verecundia, exercitatio, & consuetudo patiendi.*

Quamobrem, (g) *nemo nisi sua culpa diu dolet.*

Et, (h) *quid oberit, quin ipsi de nobis meliora semper cogitemus?*

(i) -- *Non, si male nunc, & olim*
Sic erit.

(a) *Cic. 4. Tusc.* (b) *Card. Bona manud. c. 16.* (c) *Terent. in Phor. a. 1. s. 3.* (d) *Eundem in Adelph. a. 3. s. 2.* (e) *Card. Bona manud. c. 16.* (f) *Cic. 5. Tusc.* (g) *Quintil. l. 6.* (h) *Val. Max. l. 6. c. 9.* (i) *Hor. l. 2. od. 10.*

(a) *Quare deficimus? quare desperamus? quicquid fieri potuit, potest.*

Vtique (b) *stultum est, perpetuæ infelicitatis se prædamnare, spemq;, quæ etiam incerta recte fovetur, interdum certam in desperationem convertere.*

Sane nihil (c) *dementius, quam angi futuris, nec se tormento reservare, sed arcessere sibi miserias & admovere, quas optimum est differre, si discutere non possis.*

Proinde,

(d) *Qui nil potest sperare, desperet nihil.*

Ohe! (e) *Quam sæpe forte temere eveniunt, quæ non audeas optare.*

(f) *Quoties felicitatis causa & initium fuit, quod calamitas vocabatur?*

(g) *Quam multos militiæ morbus eripuit? quosdam, ne ad ruinam domus suæ accurrerent, inimicus vadimonio tenuit: ne in piratarum manus pervenirent, quidam naufragio consecuti sunt.*

(h) *Desinit morbus, incendium exstinguitur, ruina, quos videbatur oppressura, deposuit; mare, quos hauserat, eadem vi, qua sorbebat, ejecit incolumes; gladium miles ab ipsa perituri cervice revocavit;*

(i) *aliquis carnifici suo superstes fuit.*

(k) *Multi; suis hostibus in pugna præstantiores, postea victi ab illis, meliorem fortunam nacti sunt.*

Vice versa, (l) *sæpe quis sospes e pugna, & e sonitu telorum evasit, sed ipsum domi fatalis mors apprehendit.*

Sæpe

(a) *Sen. ep. 98.* (b) *Val. Max. l. 6. c. 9.* (c) *Sen. ep. 74.* (d) *Sen. in Medea a. 2.* (e) *Ter. in Phor. a. 5. s. 1.* (f) *Sen. ep 110.* (g) *Idem l. 6. de Benef. c. 9.* (h) *Idem ep. 30.* (i) *Id. ep. 13.* (k) *Eurip. apud Stobæum serm. 109.* (l) *Callinus apud eund. serm. 49.*

Sæpe, (a) *magna gratulatione excepta res, gradum sibi struxit in præceps.*

Calamitatibus (b) *verus ille animus, & in alienum non venturus arbitrium, probatur: hæc ejus obrussa est. Non potest athleta magnos spiritus ad certamen adferre, qui nunquam sugillatus est. Ille, qui fudit sanguinem suum, cujus dentes crepuerunt sub pugno, ille, qui supplantatus, adversarium toto tulit corpore, nec projecit animum projectus, qui quoties cecidit, contumacior resurrexit, cum magna Spe descendit ad pugnam.*

(c) *Multum enim adjicit sibi Virtus lacessita.*

Tum vero, ipsa

(d) *Fortuna fortes metuit, ignavos premit.*

Agedum, Fili! (e) *Bono sis animo. Multa Deo facilia sunt, etiam quæ desperant homines.*

Quocirca, (f) *non debemus animum ob dolorem despondere; verum harmonicos imitari, & melioribus deteriora obscurando, ac mala bonis occupando, concinnum vitæ, nobisq; conveniens temperamentum conficere.*

REMEDIA AVDACIÆ.

MI FILI:

(g) *Sapientiæ junctam habere audaciam plurimum conducit: seorsim vero audacia nocet, & calamitatem infert.*

Sed nobis de posteriore hac sermo est, eaq; (h) *oritur a propriæ virtutis nimia existimatione; a contemtu*

(a) *Sen. ep. 110.* (b) *Idem ep. 13.* (c) *Idem ib.* (d) *Sen. in Medea.* (e) *Eurip. apud Stob. serm. 109.* (f) *Plut. lib. de an. tranquil.* (g) *Evenus apud Stob. serm. 49.* (h) *Card. Bona manud. c. 17.*

temitu adversariorum; *a præcipiti ingenio, rebusq; gerendis minus exercitato.*

Tu, fuge Audaciam, (a) *haud imprudenter speculatus, neminem celerius opprimi, quàm qui nihil timet, & frequentissimum initium esse calamitatis, securitatem.*

Amolire igitur a te nimiam securitatem, quin & Jactantiam amolire. (b) *Apud Bactrianos vulgo usurpabant: Canem timidum vehementius latrare: altissima quæq; flumina minimo sono labi.*

Sed nec cæco furore in pericula ruendum. (c) *Plus metuit, qui prudentior est: nam vires proprias metitur, solerter prospiciens, quid valeant, quid ferre recusent.*

(d) *Temeritas, ubi primum impetum effudit, velut quædam animalia amisso aculeo, torpet.*

Quin &

(e) -- *nemo se tuto diu*
Periculis offerre tam crebris potest.
Quem sæpe transit casus, aliquando invenit.

Igitur, o Fili,

(f) *O & præsidium, & dulce decus meum;*

(g) -- *ne fræna animo permitte calenti:*
Da spatium, tenuemq; moram: male cuncta ministrat
Impetus, hoc, oro, munus concede Parenti.

Nul-

(a) *Vellej. Pat. l. 2.* (b) *Curt. l. 7.* (c) *Card. Bona manud. c. 16.* (d) *Curt. l. 4.* (e) *Sen. in Herc. Fur.* (f) *Hor. l. 1. carm. od. 1.* (g) *Stat. l. 10. Theb.*

Nullo negotio animadvertis, quorſum ego eam. Illud vitiorum

(a) *Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum*

etiam illius fatui ignis, quo aliorum ſcelerum obſcuritas nonnihil renitet, oculosque noſtros præſtringit, hoc eſt, **Duella** & *Monomachias* peto: illam, proh! eheu! fundi Academiarum Germaniæ, ut latibula alia taceam, calamitatem: illam peſtem, quæ in Bonæ Mentis Officinas ſe ingeſſit: quæq; facit, ut maximus Romanorum Sapientum Seneca, in mendacio prehendatur, cum (*b*) dixit: *Fateor, inſitam eſſe nobis corporis noſtri caritatem: fateor, nos hujus gerere tutelam.*

Quid ego multa de immanitate, fœditate, iniquitate illius memorem?

Vt verbis paucis omnia, quæ in vituperium illius dici aut cogitari poſſunt, complectar, ſupremum illud argumentum, quo Paulus, Sanctiſſimus Apoſtolus, in re atroci ſimili (*c*) uſus eſt, &, quo nullum aliud ad pudorem horroremque extorquendum efficacius credidit, meum faciam oportet: πορνεία ἥτις οὐδὲ ἐν τοῖς ἔθνεσιν ὀνομάζεται: *Pravitas hæc, ne nominatur quidem inter Gentiles.*

Certe nulla gens tam fera, tam a vero veri Dei cultu aliena, tam expers rationis, aut extitit unquam, aut extat, quæ ob nullam, certe leviſſimam plurimum, cauſam, inter ingenuos & bonis artibus operantes Adoleſcentes, ex condicto, auſuque privato, armis digladiandi morem, aut probaverit, aut probet.

(a) *Lucret.* (b) *Sen. ep.* 14. (c) *Rom.* 5, 1.

Quod res est, proloquor. Haud ulla, præter nostras Academias, haud ulla omnino, quæ

(a) -- *nascentem videt ora Solem,*
Quæq; ad occasus jacet ora seros,
Si qua ferventi subjecta Cancro est,
Si qua majoris glacialis Ursæ
Semper errantes patitur colonos,
Novit hos æstus juvenum feroces.

Dei, hominumque fidem! Est sane Turcarum natio, cæteris omnibus,

(b) *Sævior ingeniis, & ad horrida promtior arma:*
Nec scelerata tamen

tantopere, ut, vel ipsis militibus, arma aliter quam pro Republica sumere concedat.

Quanquam scio, si in aliorum manus ista perveniant, surdis me fabulam narraturum, narrabo tamen, quod in literas retulit Augerius Busbequius, cordatus Vir, & Ferdinandi I. Cæsaris ad Solymannum Turcarum Imperatorem Legatus, cum forte fieri queat, ut ipsam Megæram, quæ nostrorum Juvenum animos ita fascinavit, ut illos piacula nulla resolvant, criminis sui pudeat. *Exponam*, inquit ille, (c) *quid Turcæ sentiunt de Monomachia, unico apud nos præclaræ fortitudinis testimonio. Fuit in regione Hungariæ, nobis contermina, magna virium fama Singiaccus Arslambegus. Nemo eo validius intendebat arcum: nullius ferrum altius penetrabat, neq; hostibus erat formidolosius. Huic se æmulum comparaverat Velibegus, ejusdem laudis affectator, finitimorum locorum & ipse Singiaccus. Æmulatio, aliis forte rebus aucta, ad summum odium, insidias, & vulnera processit. Hac,* an

(a) *Sen. in Hippol. a. 1.* (b) *Ovid. l. 1. Metam.* (c) *Epist. 3.*

an alia de causa, arcessitus Constantinopolin Velibegus, mihi incompertum, venit certe, ex quo, cum alia multa quæsivissent in Divano Bassæ, postremo de dissidio ipsius cum Arslambego audire voluerunt. Tum prolixe recitavit totam illarum simultatum scenam, causas, progressum, & quo deniq; evasissent, &, ut causam suam faceret meliorem, subjunxit, se ex insidiis ab Arslambego vulneratum: quibus nihil opus fuisset, si se dignum suo nomine Arslambegus præstare voluisset: quandoquidem ipse pugnam cum eo nunquam subterfugisset, ut quem ad singularem pugnam multoties provocasset. Hoc Bassæ aversantes, Tune commilitoni tuo singulare certamen denunciare ausus es? deerant quippe Christiani, in quos pugnares. Vivit uterq; vestrum pane nostri Imperatoris, nihilominus inter vos de vita decernere parabatis. Quo jure, quonam exemplo? An ignorabatis, utercunq; vestrum cecidisset, Imperatoris damno casurum? Quo dicto, duci eum in carcerem jusserunt, in quo multis mensibus maceratus, vix tandem liberatus est, existimatione valde diminuta.

Subjungit post ista Busbequius, eleganter & præclare: *Apud nos multi, hoste publico nunquam conspecto, quod in civem & contubernalem strinxerunt ferrum, clari & memorabiles habentur. Quid iis moribus facias, ubi virtutis locum vitia occupant, &, quod pœnam meretur, gloriæ & honori vertitur?*

Ego hic ad vota me converto, & te, Deus Summe, propter vulnera Filii tui, (a) *cujus nomen vocatur Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri seculi, Princeps Pacis*, oro, obtestor: concede propitius,

(a) *Es. 9, 6.*

ut tandem, (a) *deteſtabilis Duellorum uſus, fabricante Diabolo introductus, ut, cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex Chriſtiano orbe penitus exterminetur.*

(b) *Votum ſecunda, qui potes, noſtrum, DEVS, Rebusq; laſſis adſis.*

REMEDIA TIMORIS.

MI FILI:

(c) -- *Pelle fœmineos metus,*
Et inhoſpitalem Caucaſum mente indue.

Namque

(d) *Degeneres animos timor arguit.*

quia, (e) *timidus, natura etiam ad inanes ſonos pavidus:*

eique (f) *nihil non ſtrepit.*

(g) *Pavor ſapientiam omnem ex animo expectorat:*

Eſt quippe (h) *timiditas, corruptio legitimi judicii, de rebus metuendis, aut non metuendis: aut ignorantia terribilium, non terribilium, & neutrorum.*

Vt proinde merito ſuaſerit M. Tullius Torquato ſuo: (i) *Non adhibeas in conſilium cogitationum tuarum deſperationem aut Timorem.*

(k) *Vita* enim *mollis, & mala cupiditas, neq; domum, neq; civitatem recte gubernaverint.*

(a) In

(a) *Concil. Trident. Seſſ. 25. de Reform. c. 19.* (b) *Sen. Herc. Fur. a. 3.* (c) *Sen. in Medea.* (d) *Virg. 4. Æn.* (e) *Ennius apud Cic. l. 3. de Orat.* (f) *Sen. l. 4. de Benef. c. 26.* (g) *Sophocles apud Stob. ſerm. 6.* (h) *Hierocles apud Stob. l. c.* (i) *Lib. 6. famil. ep. 1.* (k) *Euripid. apud Stob.*

(a) *In pugna vero, viri timidi nullum habent numerum, sed præsentes absunt.*

Certe, (b) *timidos fortuna non juvat.*

Solosque (c) *fortes adjuvat, ut est in veteri proverbio.*

Affligit quoque corpus Timor. Scilicet,

(d) *refugit timido sanguen, atq; albescit metu:*

(e) *Totus tremit, horretq;.*

Quin & Timor (f) *os ipsum coram hominibus obstupefactum reddit, & animum, quæ libet dicere, non permittit.*

Sic ergo plerunque (g) *plus in metuendo mali est, quam in illo ipso, quod timetur.*

Cæterum, hominibus (h) *Timor incutitur, aut ex ipsorum periculis, aut ex communibus.*

Amplius, (i) *aut præsentibus torquemur, aut futuris, aut utrisq;.*

Enim vero, ad Præsentia mala haud proprie Timor attinet: attinent Fuga, Tristitia, Desperatio, quibus quomodo medendum sit, jam edoctus es.

Circa Futura, (k) *in tutum nos reducamus, excogitantes subinde, quibus possint timenda depelli.*

Quapropter, (l) *primum dispice, an certa argumenta sint venturi mali; ac subinde hoc in animo volve, majorem partem mortalium, cum illi nec sit quidquam mali, nec pro certo futurum sit, æstuare ac discurrere. Nemo enim resistit sibi, cum cœperit impelli, nec Timorem suum redigit ad verum. Nemo dicit*

(a) *Euripid. apud. Stob.* (b) *Sophocles ib.* (c) *Cic. 2. Tusc.* (d) *Ennius apud Cic. loco dicto.* (e) *Ter. in Eun. a. 1. s. 2.* (f) *Cic. l. 6. Famil. ep. 4.* (g) *Euripides apud Stob.* (h) *Cic. l. 2. de Orat.* (i) *Sen. ep. 13.* (k) *Idem ep. 14.* (l) *Idem ep. 13.*

dicit, Vanus auctor est, vanus: aut finxit, aut credidit. Damus nos referentibus, & expavescimus dubia pro certis, non servamus modum rerum, statim in timorem venit scrupulus.

(a) *Talis est animorum nostrorum confusio, qualis Lucretio visa est:*

Nam veluti pueri trepidant, atq; omnia cæcis
In tenebris metuunt: ita nos in luce timemus.

Imo, (b) *nescio quomodo magis vana perturbant. Vera enim modum suum habent: quicquid ex incerto, conjecturæ, & licentiæ paventis animi traditur. Nulli itaq; tam perniciosi, tam irrevocabiles, quam lymphatici metus sunt. Cæteri enim sine ratione; hi sine mente sunt. Inquiramus itaq; in rem diligenter.*

Nonnunquam, nullis apparentibus signis, quæ mali aliquid pronuncient, animus sibi falsas imagines fingit, aut verbum aliquod, dubiæ significationis, detorquet in pejus, aut majorem sibi offensam proponit alicujus, quam est, & cogitat, non quantum iratus ille sit, sed quantum liceat irato. Nulla autem causa vitæ est, nullus miseriarum modus, si timetur, quantum potest.

Felices vero brutas pecudes, quibus natura id tribuit, ut nullis vanis terroribus inquietentur, & tantum ea, quæ vere sibi adversa, metuant. Nam (c) *quid est, quare pavonem, quare anserem gallina non refugiat, cum tanto minorem, & ne notum quidem sibi, accipitrem fugiat? quare pulli felem timent, canem non timent? Apparet, illis inesse scientiam nocituri, non experimento collectam. Nam, antequam possint experiri, cavent. Deinde, ne hoc casu existimes fieri, nec metuunt alia, quam debent, nec unquam oblivi-*

scuntur

(a) *Sen. ep. 110.* (b) *Idem ep. 13.* (c) *Idem ib.*

ſcuntur hujus tutelæ & diligentiæ; æqualis eſt illis a pernicioſo fuga. Præterea, non fiunt timidiora vivendo.

Quanto durior noſtra præ illis conditio, quos falſæ & inanes res attonitos habent? Non oculos intendimus, non judicium adhibemus, non, quid timeamus, novimus, & ſæpe tantum (a) *metum alter alteri tradidit.*

At, inquies, non de nihilo eſt, quod ego ſic timeo. Omnino (b) *veriſimile eſt, aliquid futurum mali.*

Sed ehodum! *Non ſtatim verum eſt. Quam multa non exſpectata venerunt, quam multa exſpectata nunquam comparuerunt? Etiam ſi futurum eſt, quid juvat dolori ſuo occurrere? ſatis cito dolebis, cum venerit: interim tibi meliora promitte. Quid facies lucri? tempus. Multa intervenient, quibus vicinum periculum, vel prope admotum, aut ſubſiſtat, aut deſinat, aut in alienum caput transeat.*

(c) *Ergo & Spem ac metum examina: &, quoties incerta erunt omnia, tibi ſave, crede, quod mavis. Si plures habebis ſententias metus, nihilominus in hanc partem potius inclina, & perturbare te deſine.*

Sapienter admodum (d) *Epicurus cenſuit, ſtultam eſſe meditationem futuri mali, aut fortaſſe ne futuri quidem: ſatis eſſe odioſum malum omne, cum veniſſet.*

Atque ſane, (e) *eſt ſine dubio ſtultum, quia quandoq; ſis futurus miſer, eſſe jam miſerum.*

Vnde, mi Fili, (f) *illud tibi præcipio, ne ſis miſer ante tempus: cum illa, quæ velut imminentia expaviſti, fortaſſe nunquam ventura ſint, certe nondum venerint.*

Va-

(a) *Sen. ep. 110.* (b) *Idem ep. 13.* (c) *Idem ib.* (d) *Cic. 3. Tuſcul.* (e) *Sen. ep. 24.* (f) *Idem ep. 13.*

Valetque de certo venturis insuper illud:

(a) *Stultum est timere, quod vitare non potes.*

(b) *Sed ego alia te ad securitatem via ducam. Si vis omnem solicitudinem exuere, quidquid vereris, ne eveniat, eventurum utiq; propone: & quodcunq; est illud malum, tecum ipse metire, ac timorem tuum taxa.*

(c) *Præmeditatio futurorum malorum, lenit eorum adventum.*

(d) *Tolerabilius feret incommodum, qui cognoverit, necesse esse, homini tale quid accidere.*

Scilicet, (e) *omnes, cum secundæ res sunt maxime, tum maxime secum meditari oportet, quo pacto adversam fortunam ferant: pericla, damna, exilia.*

(f) *Quicquid fieri potest, futurum cogitemus:*

& (g) *purgemus animum, sequamurq; naturam, a qua aberranti cupiendum timendumq; est.*

(h) *Ea lege sumus nati, ut nemo in perpetuum esse possit expers mali.*

Cæterum, cum te, mi Fili, mala jam invadunt, actutum (i) *deme rebus tumultum, deme personam, redde singulis faciem suam: nihil in illis terribile esse videbis, præter ipsum timorem.*

(k) *Multa, per noctem habita terrori, dies vertit ad risum.*

Terribiles visu formæ, letumque, labosque; egregie *Virgilius noster. Non re dixit terribiles esse, sed visu: id est, videri, non esse.*

(a) *Quæ-*

(a) Publ. *Syrus.* (b) *Sen. ep.* 24. (c) *Cic.* 3. *Tusc.* (d) *Idem ib.* (e) *Ter. in Phorm. a.* 2. *s.* 1. (f) *Sen. ep.* 24. (g) *Idem ep.* 98. (h) *Cic.* 3. *Tusc.* (i) *Card. Bona manud. c.* 17. (k) *Sen. ep.* 104.

(a) *Quædam ergo nos magis torquent, quam debeant: quædam ante torquent, quam debeant: quædam torquent, cum omnino non debeant.*

Porro, interdum (b) *contemptum periculorum assiduitas periclitandi dabit. Sic sunt nauticis corpora, ferendo mari dura: agricolis, manus tritæ: ad excutienda tela, militares lacerti valent: agilia sunt membra cursoribus. Id in quodq; solidissimum est, quod exercuit.*

Idcirco:

(c) *Perfer & obdura: dolor hic tibi proderit olim.*

Atque poteris, hac ratione, (d) *dolores, quocunq; modo corpus invaserint, perferre, & fortunæ dicere: Cum viro tibi negotium est: quære, quem vincas.*

Apud Hecatonem invenitur etiam, (e) *cupiditatum finem ad Timoris remedia proficere.* Desines, *inquit*, timere, si sperare desieris. *Dices, quomodo ista tam diversa pariter sunt? Ita est, mi* Fili, *cum videantur dissidere, conjuncta sunt. Quemadmodum eadem catena & custodiam & militem copulat: sic ista, quæ tam dissimilia sunt, pariter incedunt. Spem metus sequitur.*

(f) *Simus igitur ea mente, quam ratio & veritas præscribit, ut nihil in vita nobis præstandum, præter culpam, putemus: eaq; cum careamus, omnia humana placate & moderate feramus.*

RE-

(a) *Sen. ep. 13.* (b) *Idem lib. de provid. c. 4.* (c) *Ovid. lib. 3. amor. el. 10.* (d) *Sen. ep. 98.* (e) *Idem ep. 5.* (f) *Cic. lib. 6. famil. ep. 1.*

REMEDIA IRÆ.

MI FILI:

Ira nobis propulſanda eſt, Affectus, quo alius nullus atrocior: quam Stoici apud Ciceronem (a) *ſic definiunt, ut Ira ſit libido puniendi ejus, qui videatur læſiſſe injuria.*

Sed magis convenit iſta Ariſtotelis, apud Stobæum, (*b*) deſcriptio: *Ira eſt perturbatio immanis affectione, dura & violenta potentia, cædium cauſa, calamitatis ſocia, jacturam concilians & dedecus, pecuniarum pernicies, ad hæc perditionis origo.*

Eſt ergo, ceu dixi, Ira ex omnibus affectibus affectus maxime teter ac rabidus. (c) *Cæteris enim aliquid quieti placidiq; ineſt; hic totus concitatus, & in impetu doloris eſt: armorum, ſanguinis, ſuppliciorum, minime humana fervens cupiditate: dum alteri noceat, ſui negligens; in ipſa irruens tela, & ultionis, ſecum multa tracturæ, avidus.*

(e) *Cæteri affectus dilationem recipiunt, & curari tardius poſſunt: hujus incitata, & ſe ipſa rapiens violentia, non paullatim procedit, ſed, dum incipit, tota eſt. Nec, aliorum more vitiorum, ſolicitat animos, ſed abducit: nec in ea tantum, in quæ deſtinavit, ſed in occurrentia obiter furit. Cætera vitia impellunt animos: ira præcipitat. Alia vitia a ratione, hæc a ſanitate deſciſcit. Alia acceſſus lenes habent, & incrementa fallentia: in Ira dejectus animorum eſt; ne repulſa quidem in tædium acta, ubi adverſarium fortuna ſubduxit, in ſeipſam morſus ſuos vertit.*

Cum-

(a) *Cic. 3. Tuſcul.* (b) *Serm. 18.* (c) *Sen. lib. 1. de ira c. 1.*
(d) *Idem l. 3. c. 1.*

Cumque (a) *cætera vitia liceat abscondere, & in abdito alere, Ira se profert, & in faciem exit:*

(b) *ac velut ignis omnia corripit; quantoq; studiosius eam tegere conaris, eo amplius effervescit.*

(c) Accedit, quod *nullam transit ætatem: nullum hominum genus excipit. Quædam gentes, beneficio egestatis, non novere luxuriam: quædam, quia exercitæ & vagæ sunt, effugere pigritiam. Nulla gens est, quam non ira instiget, tam inter Grajos, quam barbaros potens.*

Vitia (d) *cætera singulos corripiunt: hic unius affectus est, qui interdum publice concipitur. Nunquam universus populus unius fœminæ amore flagravit: nec in pecuniam aut lucrum tota civitas spem suam misit: ambitio viritim singulos occupat: Impotentia, non est malum publicum. Sæpe in iram uno agmine itum est: Viri, fœminæ, senes, pueri, principes, vulgusq; consensere: & tota multitudo, paucissimis verbis concitata, ipsum concitatorem antecessit. Ad arma protinus ignesq; discursum est, & indicta finitimis bella, aut gesta cum civibus: totæ cum stirpe omni crematæ domus.*

Ad hæc, (e) *in omnes personas hic exardescit affectus.*

(f) *Irascimur & hostibus, & amicis, liberis, parentibus, atq; adeo etiam Diis, bestiis, anima carentibus instrumentis, ut Thamyris,*

Auro illigatum cornu rumpens,
Rumpens harmoniam tendifidis lyræ.

& Pandarus, sese exsecrans, nisi arcum combureret,

Confractum manibus. -- --

(a) *Sen. l. 1. de ira c. 1.* (b) *Card. Bona manud. c. 7.* (c) *Sen. l. 3. de ira c. 2.* (d) *Idem ib.* (e) *Idem ep. 18.* (f) *Plut. lib. de cohib. ira t. 2. Op. p. 455.*

Xerxes autem & mari stigmata ac verbera ingessit, & ad montem epistolam misit: Atho divine, cœlum tangens vertice: noli meis operibus lapides facere magnos & intractabiles; alioqui te excisum in mare deturbabo.

Sic nos vulgo (a) *vestimenta sæpe scindimus, vasa projicimus, frangimus calamum, laceramus chartam; cum his uti ex animi sententia non valemus.*

(b) *Cœlum ipsum petimus iracundia. Hinc blasphemiæ; hinc querimoniæ adversus Deum; hinc de ejus providentia motæ ab impiis controversiæ.*

Exemplum e gentilibus præbet (c) *Cajus Cæsar, qui iratus cœlo, quod obstreperet pantomimis, quos imitabatur studiosius quam spectabat, quodq; comessatio sua fulminibus terreretur, prorsus parum certis, ad pugnam vocavit Jovem, & quidem sine missione, Homericum illum exclamans versum:*

Ἤ μ' ἀνάειρ', ἢ ἐγὼ σε.

Quanta dementia fuit? putavit, aut sibi noceri ne a Jove quidem posse, aut se nocere etiam Jovi posse.

Adde, quod Ira (d) *tam ex amore nascitur, quam ex odio: non minus inter seria quam inter lusus & jocos.*

Quodque (e) *irascimur sæpe non illis, qui læserunt, sed his, qui læsuri sunt.*

(f) *Nec interest, ex quam magna causa nascatur.*

(g) *Nam, ne initia quidem semper habet magna & valida: cum & dicterium, & jocus, & risus, & nutus, & multa id genus alia, multis iræ causa fuerint.*

Sic

(a) *Card. Bona man. c. 7.* (b) *Idem ib.* (c) *Sen. l. 1. de ira c. ult.* (d) *Plut. l. de coh. ira p. 455.* (e) *Sen. l. 1. de ira c. 3.* (f) *Idem ib.* (g) *Plut. lib. de cohib. ira p. 454.*

Sic in furorem sæpe nos agit (a) *parum agilis puer, aut tepidior aqua potui, aut turbatus torus, aut mensa negligentius posita.*

(b) *Sic refractarius equus & contumax; sic canis oblatrans, & perstrepentes aviculæ; sic importunus muscarum volatus, aut culicum morsus bilem concitant, & impatientiæ nostræ pœnas luunt.*

(c) *Vt ille, qui cum agasonem vellet ferire, & is exclamasset, Athenienſem se esse, ad asinum conversus, ac fatus, tu vero Atheniensis non es, multis verberibus bestiam obruit.*

(d) *Vt Ctesipho pancratiasta, mulam calce referiendam sibi existimans.*

(e) *Crede mihi: levia sunt, propter quæ non leviter excandescimus, qualia, quæ pueros in rixam & jurgium concitant.*

(f) *Indicia autem amarulentorum & morosorum hominum possis conspicere in faciebus servorum, stigmatis, compedibus:*

Semperque solus iracundi in ædibus
Auditur ejulatus cantor:

dum intus dispensator flagellatur, torquentur ancillæ.

(g) *Itaq; nullus animi motus perinde & in odio est, & contemnitur.*

(h) *Videmus, etiam servos, nuper emtos, non quærere, an superstitiosum, vel invidum, sed an iracundum nacti sint dominum.*

(a) *Sen. l.2. de ira c.24.* (b) *Card. Bona man. c.7.* (c) *Plut. de coh. ira p.461.* (d) *Idem p.457.* (e) *Sen. l. 3. c.36.* (f) *Plut. l. c. p. 454.* (g) *Idem ib. p. 455.* (h) *Idem p. 462.*

Enim vero, proh pudor! (a) *Nos, qui feras cicuramus, lupos demulcemus, ac leonum catulos in ulnis circumgestamus:*
Nos, quorum ingenium & industria eo profecere,

(b) *picto quod juga delicata collo*
Pardus sustinet, improbæq; tigres
Indulgent patientiam flagello:
Mordent aurea quod lupata cervi;
Quod frænis Libyci domantur ursi;
Et, quantum Calydon tulisse fertur,
Paret purpureis aper capistris;
Turpes esseda quod trahunt bisontes,
Et molles dare jussa quod choreas
Nigro bellua nil negat magistro.

At, iidem nos, tales tantique, iræ nostræ tam impotentes sumus, ut nulla prope res cicurare nos, aut mederi nobis possit.

(c) *Cæcus est ignis stimulatus Ira,*
Nec regi curat, patiturve frænos.

Interim, certum nihilo secius est, (d) *iis, qui operam navare velint, iram non esse incurabilem.*

Quanquam, ex Heracliti apud Aristotelem (e) pronunciato, *difficile est iræ resistere:*

atque, quod Menander apud Stobæum (*f*) asserit, semel conceptam *cohibendi magnus est iram labor.*

Itaque ergo, (g) *ad iram recte moderandam, diligentia & studium requiruntur.*

Vnde, tu Fili, (h) *te ante componas, quotidie meditere, resistendum esse iracundiæ.*

Nam-

(a) *Plut. lib. de cohib. ira p. 462.* (b) *Martial. l. 1. epigr. 105.* (c) *Seneca in Medea.* (d) *Plut. l.c. p. 454.* (e) *Lib. 2. Eudem. c. 7.* (f) *Serm. 18.* (g) *Ibid.* (h) *Cic. l. 1. ep. 1. ad Q. Fr.*

Namque, (a) *quemadmodum, qui obsidionem exspectant, desperatis externis auxiliis, intro necessaria congerunt atq; deponunt: ita maxime oportet, quæ adversus iram faciunt, eminus e Philosophia desumta, in animum comportare. Quippe non facile facultas dabitur ea inferendi, cum eorum usum tempus postulabit.*

Duo autem discenda sunt: scilicet, & quibus mediis penitus ab Ira tibi cavere possis: &, quomodo subortam cohibere conveniat.

Atque (b) *quamvis Iram vincere, tum magna res videatur, tum revera sit: majus tamen est, cavere & providere, ne in ipsam incidamus.*

(c) *Nam, si cœperit ferre transversos, difficilis ad salutem recursus est.*

Quapropter (d) *dicam primum, quemadmodum in iram non incidamus: deinde, quemadmodum ab illa liberemur.*

Novissime, obiter adjiciam aliqua, velut ex abundati, eo facientia, (e) *ut irascentem retineamus, placemusq;, & ad sanitatem reducamus.*

Cæterum, (f) *ne irascamur, præstabimus, si omnia vitia iræ nobis subinde proposuerimus, & illam bene æstimaverimus. Accusanda est apud nos, damnanda: perscrutanda ejusmala, & in medium protrahenda sunt, ut, qualis sit, appareat.*

Est vero Ira (g) *monstrum rabidum & execrabile, affectus maxime implacidus, & turbulentus: qui, si semel invaserit hominem, vix in eo humanæ naturæ vestigia relinquit.*

(a) *Plut. p.454.* (b) *Dion. Halic. apud Stob. Serm. 18.* (c) *Sen. l. 1. de ira c. 8.* (d) *Idem l. 3. c. 5.* (e) *Idem ib.* (f) *Idem ib.* (g) *Card. Bona man. c. 7.*

Hinc rectissime (a) *quidam e Sapientibus Viris iram dixerunt brevem insaniam:*

sive (b) *iratum ab insano tempore tantum distare.*

Iidemque argute dixerunt, (c) *iratos exisse de potestate, id est, de consilio, de ratione, de mente.*

(d) *Quid est enim, quo non progrediatur eodem ira, quo furor?*

(e) *Æq; impotens sui est, decoris oblita, necessitudinum immemor, in quod cœpit pertinax & intenta, rationi consiliisq; præclusa, vanis agitata causis, ruinis simillima, quæ super, id quod oppressere, franguntur.*

Proinde, (f) *Pyrrhum, maximum præceptorem certaminis gymnici, solitum ajunt, his, quos exercebat, præcipere, ne irascerentur.*

Vt vero amplius, mi Fili, (g) *scias, non esse sanos, quos ira possedit,* ipsum illorum habitum intuere.

Nam, ut furentium certa indicia sunt, audax & minax vultus, tristis frons, torva facies, citatus gradus, inquietæ manus, color versus, crebra & vehementius acta suspiria: ita irascentium eadem signa sunt.

Flagrant, & micant oculi, multus ore toto rubor, exæstuante ab imis præcordiis sanguine: labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac subriguntur capilli, spiritus coactus ac stridens, articulorum seipsos torquentium sonus, gemitus mugitusq;, & parum explanatis vocibus sermo præruptus, & complosæ sæpius manus, & pulsata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnasq; minas agens, fœda visu & horrenda facies, depravantium se, atq; intumescentium.

(a) *Sen. l. 1. de ira c. 1.* (b) *Cato apud Stob. serm. 18.* (c) *Cic. 4 Tusc.* (d) *Id. ib.* (e) *Sen. l. 1. de ira c. 1.* (f) *Idem l. 2. c. 14.* (g) *Idem l. 1. c. 1.*

tium. Nescias, utrum magis detestabile vitium sit, an deforme.

Nempe, (a) *liquit decor omnis iratos;*

(b) *Nunc subito, retrorsum sanguine fugato, pallentes, nunc, in os omni calore ac spiritu verso, subrubicundos, & similes cruentis, venis tumentibus, oculis nunc trepidis & exsilientibus, nunc in uno obtutu defixis & hærentibus. Adjice dentium inter se arietatorum, & aliquem esse cupientium, non alium sonum, quam est apris, tela sua attritu acuentibus. Adjice articulorum crepitum, cum se ipsæ manus frangunt, & pulsatum sæpius pectus, anhelitus crebros, tractosq; altius gemitus, instabile corpus, incerta verba subitis exclamationibus, trementia labra, interdumq; compressa, & dirum quiddam exsibilantia. Ferarum, mehercules, sive illas fames exagitat, sive infixum visceribus ferrum, minus tetra facies est, etiam cum venatorem suum semianimes morsu ultimo petunt, quam hominis ira flagrantis.*

Prorsus, (c) *qualia Poëtæ inferna monstra finxere, succincta serpentibus, & igneo flatu: quales ad bella excitanda, discordiamq; in populos dividendam, pacemq; lacerandam, teterrimæ inferum exeunt Furiæ: talem nobis iratum hominem figuremus, flamma lumina ardentia, sibilo mugituq; & gemitu & stridore, &, si qua his invisior vox est, perstrepentem.*

Atque, heus tu! (d) *Qualem intra putas esse animum, cujus extra imago tam fœda est? quanto illi intra pectus terribilior vultus, acrior spiritus est, intensior impetus, rupturus se, nisi eruperit?*

(a) *Sen. l. 2. de ira c. 35.* (b) *Idem l. 3. de ira c. 4.* (c) *Idem l. 2. c. 35.* (d) *Idem ib.*

Quod si turpitudo, quam in homine efficit Ira, non te satis movere potest, ut ab Ira tibi temperes; moveat te illud ***summum, quod valetudini tuæ infert, detrimentum.***

Etenim (a) *affectus Iræ, nisi curentur & castigentur, in naturalem morbum abeunt:*

(b) *Et ideo Ira vitanda est, non moderationis causa, sed sanitatis.*

Audi, quæso, quid in hanc rem nobis de Nicolao Peireskio, Insigni Viro, in vita ejus, Gassendus (c) narret: imo penitus clavis trabalibus illud menti tuæ infige, prout a me quoque factum esse, serio tibi testor. Erat Peireskius *suapte natura subiracundus: dicebat vèrò nihil sibi unquam animi regendi persuasionem æq; fecisse, ac spectaculum casu quodam exhibitum in microscopio. Quippe, cum in eo conclusisset pediculum ac pulicem, observavit, pediculum lucta instituta sic commotum fuisse, ut sanguis a capite in caudam, itu, redituq; continenti, distraheretur. Hinc nempe est argumentatus, quanta fieri per iram debeat humorum, spirituum, facultatum omnium perturbatio; quantam declinet perniciem, qui illi non fecerit locum.*

Et, profecto, ita res est, in irato homine (d) *tumescunt venæ, concutitur crebro spiritu pectus, rabida vocis eruptio colla distendit: tunc artus trepidi, inquietæ manus, totius corporis fluctuatio.*

Proinde, quidam (e) *nimio fervore rupere venas; & sanguinem supra vires elatus clamor egessit, & luminum suffudit aciem in oculos vehementius humor egestus.*

Mul-

(a) *Apollonius Macedo, apud Stob. serm. 18.* (b) *Idem ep. 18.* (c) *pag. 214.* (d) *Sen. l. 2. de ira c. 35.* (e) *Idem l. cit. c. 36.*

(a) *Multi continuaverunt iræ furorem; nec, quam expulerant, mentem unquam receperunt. Ajacem in mortem egit furor, in furorem ira.*

(b) *Multos iracundia mancos, multos debiles fecit.*

At, quid ego, quam singulis & privatim nociva Ira sit, multis persequor?

(c) *Si effectus ejus, damnaq; intueri velis, nulla pestis humano generi pluris stetit. Videbis cædes ac venena, & reorum mutuas sordes, & urbium clades, & totarum exitia gentium, & Principum sub civili hasta capita venalia, & subjectas tectis faces, nec intra mœnia coërcitos ignes, sed ingentia spatia regionum hostili flamma relucentia. Aspice nobilissimarum Civitatum fundamenta vix notabilia: has ira dejecit. Aspice solitudines, per multa millia sine habitatione desertas: has ira exhausit. Aspice tot memoriæ proditos Duces, mali exempla fati. Alium ira in cubili suo confodit; alium inter sacra mensæ ira percussit; alium inter leges, celebrisq; spectaculum fori, lancinavit; alium filii parricidio dare sanguinem jussit; alium servili manu regalem aperire jugulum; alium in cruces membra dividere.*

Porro, (d) *Ira abstinendum est, sive par est, qui lacessendus est, sive superior, sive inferior. Nam, cum pare contendere, anceps est: cum superiore, furiosum: cum inferiore sordidum.*

Imo, si inimicus (e) *imbecillior, parce illi; si potentior, tibi.*

(a) *Sen. l. cit. c. 36.* (b) *Idem l. 3. c. 28.* (c) *Idem l. 1. de ira c. 2.* (d) *Idem l. 2. de ira c. 34.* (e) *Idem 2. de ira c. 5.*

Adde, quod (a) *te alius non lædet, nisi ipse velis. Tum autem læsus eris, cum te lædi existimaris.*

Nulla igitur causa est offensionis, præter opinionem,

Proinde (b) *tolle damni* **opinionem**, *& nihil nocebit tibi. Nulla res attingit, aut movet animum, aut ad ipsum intrat: solus ipse se ipsum movet; & quale tulerit judicium, talia fiunt ea, quæ accidunt.*

Sed & simul (c) *tollenda ex animo* **suspicio & conjectura**, *fallacissima irritamenta Iræ.*

(d) *Mendacium subtiliter limandum a radicibus:*

(e) *Quandoquidem & illi peccant, quos minime putes:*
Et, qui non peccant, impugnantur fraudibus.

Quædam mera (f) *interpretatio eo producit, ut videantur injuriæ.*

(g) *Ille me parum humane salutavit; ille osculo meo non adhæsit; ille inchoatum sermonem cito abrupit; ille ad cœnam non vocavit; illius vultus aversior visus est.*

(h) *Quod accidere vides in animalibus mutis, idem in homine deprehendes: frivolis turbamur, & inanibus. Taurum color rubicundus excitat; ad umbram aspis exsurgit; ursos leonesq; mappa proritat. Omnia, quæ natura fera ac rabida sunt, consternantur ad vana. Idem & stolidis ingeniis evenit: rerum suspicione feriuntur: adeo quidem, ut interdum injurias vocent modica beneficia.*

Por-

(a) *Epictet. Enchir. c. 37.* (b) *Card. Bona manud. c. 7. §. 9.* (c) *Sen. l. 2. de ira c. 24.* (d) *Phædrus l. 3.* (e) *Idem ib.* (f) *Sen. l. 3. de ira c. 11.* (g) *Idem l. 2. c. 24.* (h) *Idem l. 3. c. 29. 30.*

Porro &(a) *his, quæ narrata sunt, non debemus cito credere. Multi ementiuntur, ut decipiant: multi, quia decepti sunt: alius criminatione gratiam captat, & fingit injuriam, ut videatur doluisse factam. Est aliquis malignus, & qui amicitias cohærentes diducere velit: est suspicax, & qui spectare ludos cupiat, ut ex longinquo tutoq; speculetur, quos collisit.*

(b) *Causa iracundiæ, opinio injuriæ est, cui non facile credendum est; nec apertis quidem manifestisq; statim accedendum. Quædam enim falsa veri speciem ferunt. Dandum semper est tempus: veritatem dies aperit. Ne sint aures criminantibus faciles. Hoc humanæ naturæ vitium suspectum, notumq; nobis sit: quod, quæ inviti audimus, libenter credimus: &, antequam judicemus, irascimur.*

(c) *Ergo exploranda est Veritas multum prius,*
Quam stulta prave judicet sententia.

(d) *Non deerit suspicioni argumentatio: simplicitate opus est, & benigna rerum æstimatione. Nihil, nisi quod in oculos incurret, manifestumq; erit, credamus: &, quoties suspicio nostra vana apparuerit, objurgemus credulitatem. Hæc enim castigatio consuetudinem efficiet non facile credendi.*

Amplius: (e) *Non vis esse iracundus? ne sis curiosus. Qui inquirit, quid in se dictum sit, qui malignos sermones, etiamsi secreto habiti sint, eruit, se ipse inquietat.*

Non expedit, omnia videre, omnia audire. Multæ nos injuriæ transeant: ex quibus plerasq; non accipit, qui nescit.

Quin

(a) *Sen. l. 2. de ira c. 29.* (b) *Idem l. 2. c. 22.* (c) *Phædrus l. 3.* (d) *Sen. l. 2. de ira c. 24.* (e) *Idem l. 3. c. 10.*

Quin & ex cognitis (a) *alia differenda sunt, alia deridenda, alia donanda.*

Præcipue illud (b) *reputandum est, ab hominibus multa crimina per ignorantiam ac imperitiam committi, de quibus, si moneantur, mox desistunt.*

Nimirum, Sapiens (c) *scit, neminem nasci sapientem, sed fieri: scit, paucissimos omni ævo sapientes evadere, quia conditionem humanæ vitæ perspectam habet: nemo autem naturæ sanus irascitur. Quid enim, si mirari velit, non in sylvestribus dumis poma pendere? quid si miretur, spineta sentesq; non utili aliqua fruge compleri? nemo irascitur, ubi vitium natura defendit.*

Ante omnia vero lædentis animus (d) *intuendus est, an voluerit, an inciderit: coactus sit, an deceptus: odium secutus sit, an præmium: sibi morem gesserit, an manum alteri commodaverit.*

Sed & Sapiens (e) *dimittit sæpe eum, cujus peccatum deprehendit; si pœnitentia facti spem bonam pollicetur; si intelligit, non ex alto venire malitiam, sed summo, quod ajunt, animo inhærere.*

Apud illum quoque (f) *puerum ætas excusat, fœminam sexus, extraneum libertas, domesticum familiaritas.*

Atque hac moderatione, & æquanimitate tanto magis in rebus, quæ te proprie non concernunt, utendum.

(g) *Accurate consectari & scrutari inquirendo omnia, atq; in medium protrahere omnia servi negotia, omnes amici actiones, omnia aliorum studia & susur-*

(a) *Sen. l. 3. de ira c. 2.* (b) *Stob. serm. 17.* (c) *Sen. l. 2. de ira c. 11.* (d) *Idem l. 3. c. 12.* (e) *Idem l. 1. c. ult.* (f) *Idem l. 3. c. 24.* (g) *Plut. de ira cohib. p. 461.*

susurros: ea vero res iras gignit multas atq; continuas, & quotidianas, quarum summa eo redit, ut morosi intractabilesq; reddamur. Euripidis est, Deum res magnas curare; exiguas fortunæ dimissas sinere.

Præterea, (a) *corpus frugalitate ad facilitatem est assuefaciendum.*

Haud enim (b) *mente recte uti possumus, multo cibo & potione completi:*

(c) -- -- *simul assis*
Miscueris elixa, simul conchylia turdis,
Dulcia se in bilem vertent:

(d) *distendentur corpora, & animi cum corpore tumescent:*

Maxime vero (e) *Vinum incendit iram, quia calorem auget, pro cujusq; natura.*

Idcirco (f) *profuerit, ut calentibus ingeniis subtrahatur vinum, quod pueris Plato negandum putat, & ignem vetat igne incitari.*

Velim quoque, (g) *Fili memineris, quod pœnitudo damnumq; te sequutura sint, si quicquam immane commiseris* ex iracundia.

Fieri aliter nequit:

(h) *Exemplo quodcunq; malo committitur, ipsi*
Displicet autori, prima hæc est ultio, quod se
Judice nemo nocens absolvitur.

Vnde (i) *Iracundiæ tristitia comes est: & in hanc omnis Ira, vel post pœnitentiam, vel post repulsam, resolvitur.*

Seve-

(a) *Plut. de ira cohib. p. 461.* (b) *Cic. 5. Tusc.* (c) *Horat. l. 2. Serm. sat. 2.* (d) *Sen. l. 2. de ira c. 20.* (e) *Idem lib. cit. c. 19.* (f) *Idem c. 20.* (g) *Epictetus apud Stob. serm. 18.* (h) *Juven. Sat. 13.* (i) *Sen. l. 2. de ira c. 6.*

Severis, ad præcavendam iram, remediis, lepidum aliquod miſcere, quid prohibet, a Dialogiſta apud Plutarchum, in de cohibenda ira libello, (a) in hanc ſententiam ſuggeſtum: *Proclivi ad iram cavendum eſt a rebus raris & curioſe elaboratis, qualia ſunt pocula, ſigilla, & pretioſi lapides. Hæc enim perdita, magis furorem cient, quam paratu facilia & quotidiana. Neronem, cum is octangulam ſcenam, ob ſumtus magnitudinem pulcritudinemq; ſpectaculum admirabile, conſici curaſſet, Seneca reprehendit, dicens: nunc te pauperem eſſe demonſtraviſti: hac enim ſcena amiſſa, ſimilem aliam nullam adipiſceris.*

Ridebis, Fili, & dices, hoc remedium tuæ conditioni non convenire. Sed, quid ſcis ergo tu, quæ tibi olim evenient? Bono animo ſis:

(b) *Prudens futuri temporis exitum*
Caliginoſa nocte premit Deus,
Ridetq; ſi mortalis ultra
Fas trepidat.

(c) *Quod hodie non eſt, cras erit: quod non exſpectas, ex transverſo fit: ſic vita truditur: & ſuper nos fortuna negotium curat.*

(d) -- *Sors omnia verſat.*

Ego quoque, (e) *duro initio uſus adoleſcentiæ*, nunc non omnino nullum locum occupo in Literaria, (quæ mihi Civili potior; nam,

(f) *Regnare nolo, liber ut non ſim mihi,*)

Republica.

Fra-

(a) *Pag.* 461. (b) *Horat. l.* 3. *Carm. Od.* 29. (c) *Petron. in Satyr.* (d) *Virgil. Ecl,* 9, (e) *Corn, Nep. in Cimone.* (f) *Phædrus l.* 3.

Frater germanus (a) *gloriam armis belli repperit*, & Dux Militaris Venetis operam locat.

Verum, ludo te tantum, nec illorum parentum similis sum, qui, (b) *sicut omnia, Spes quoq; suas ambitione donant.*

Interea loci, si tute his non egebis, licebit ea cum aliis communicare: (c) *nam, vetus verbum hoc quidem est: communia esse amicorum inter se omnia.*

Nec defuere, qui hoc remedium valde commendatum haberent.

Quæ, cum dico, Cotyn Regem dico: (d) *Is erat natura celer ad iram, sævusq; castigator eorum, qui in ministerio deliquissent. Hospes quidam ad illum detulit vasa fragilia tenuiaq;, sed scite curioseq; torno elaborata. At is hospiti quidem dedit munera; cæterum vascula omnia confregit. Demirantibus, & quærentibus, cur id faceret? Ne, inquit, sævirem in servos, si forte vascula frangerent.*

Dico item Cæsarem Augustum: Hic enim, (e) *cum cœnaret apud Vedium Pollionem, fregerat unus ex servis ejus crystallinum. Rapi eum Vedius jussit, nec vulgari periturum morte: murænis objici jubebatur, quas ingens piscina continebat. Evasit e manibus puer, & confugit ad Cæsaris pedes, nihil aliud petiturus, quam ut aliter periret, nec esca fieret. Motus est novitate crudelitatis Cæsar, & illum quidem mitti, crystallina autem omnia coram se frangi jussit, compleriq; piscinam.*

Offendas apud Plutarchum alia averruncandæ Iræ remedia, pol! præclara, & quantivis facienda.

Vult

(a) *Ter. Heaut. a. 1. s. 1.* (b) *Petron. in Satyr.* (c) *Terent. in Adelph. a. 5. s. 3.* (d) *Plut. in Apohth.* (e) *Sen. l. 3. de ira c. 40.*

Vult enim (a) ut Anaxagoram imitemur, *utq; is, narrata filii morte, respondit: sciebam me genuisse mortalem: ita irritantibus identidem nos delictis hoc accinere: Sciebam, me, cum emerem servum, non emisse sapientem: sciebam, me parasse amicum, cujus animus motibus esset obnoxius: sciebam, mulierem mihi esse, cum acciperem mulierem.*

Addit prudenter: *Quod si quis Platonicum istud: Numnam & ego talis sum? subinde insusurrans, intro rationem avertat, ac aliorum reprehensionibus de cavendo peccato cautionem sibi inserat: næ is non magno vitiorum in aliis odio indulserit, seipsum venia plurima indigere sentiens.*

Nempe (b) *omnes inconsulti & improvidi sumus, omnes incerti, queruli, ambitiosi. Quid levioribus verbis ulcus publicum abscondo? omnes mali sumus. Quicquid itaq; in alio reprehenditur, id unusquisq; in suo sinu inveniet.*

(c) *Alia fecimus, alia cogitavimus, alia optavimus, aliis favimus: in quibusdam innocentes sumus, quia non successit.*

(d) *Placidiores itaq; invicem simus: mali inter malos vivimus.*

(e) *Sed ubi tam æquum judicem invenies? Fidei acerrimus exactor est perfidus; & mendacia persequitur, ipse perjurus; & litem sibi inferri ægerrime calumniator patitur. Aliena vitia in oculis habemus: a tergo nostra sunt.*

(f) *Peras imposuit Jupiter nobis duas;*
Propriis repletam vitiis post tergum dedit;
Alienis

(a) *pag.* 463. (b) *Sen. l.* 3. *de ira c.* 26. (c) *Idem l.* 2. *c.* 28. (b) *Idem l.* 3, *c.* 26. (e) *Idem l.* 2. *c.* 28. (f) *Phædrus l.* 4.

Alienis ante pectus suspendit gravem.
Hac re videre nostra mala non possumus:
Alii simul delinquunt, Censores sumus.

Hinc adeo, (a) *quivis nostrum iratus & puniens, Aristidis & Catonis voces ingerit: Noli furari, mentiri, socors esse: &, quod est omnium turpissimum, iratos irati ipsi objurgamus, & quæ per iram sunt peccata, ea per iram vindicamus.*

(b) *Quanto melius est abire in diversum, nec vitia vitiis componere? Nam quis sanus constare sibi videatur, si mulam calcibus repetat, & canem morsu?*

Nunquam (c) *committet Virtus, ut vitia, dum compescit, imitetur.*

Illud vero Dialogistæ apud Plutarchum (d) institutum, quod postremis verbis ipse enarrat, modusq;, quem tenuit, tam sapiens, tam ad Iræ, omnibusq; vitiis, si recte tractetur, aditum præcludendum, in vita utile est ac salutare, ut nihil supra. Fecit probe: nec fieri potest, ut quis melius rebus suis consulat. Arrige aures, Fili, & imitare!

Magnum, inquit, *& divinum mihi illud Empedoclis visum est:*

-- -- Esse velis abstemius improbitatis.

Quin & ista pacta sive vota, ut non inelegantia, neque aliena a Philosopho probavi, cum per annum pollicebantur se velle re Venerea & vino abstinere, Deumq; continentia sua venerari. Itemq; per certum tempus mendacio vacare, ut animadvertere possent, quomodo & in jocis, & in seriis omnibus veritatem tenerent. His ego animis meum comparans, pietate illis nihilo inferiorem, sacros quosdam initio dies, quibus ira va-

(a) *Plut. de ira coh. p. 463.* (b) *Sen. l. 3. de ira c. 27.* (c) *Idem l. 2. c. 6.* (d) *p. 464.*

carem, paucos institui, tanquam vini & ebrietatis vacuas, ac si Nephalia (id est sobria) Sacra, & libationes mellis agerem. *Deinde mensem, mox duos, eandem tenui rationem.* *Atq; hoc pacto me ipsum expertus, successu temporis magnos feci ad patientiam progressus, temperanter meipsum attendens atq; custodiens, cum boni ominis comprecationibus, immunem Iræ, & purum omnis pravi sermonis, absurdæq; actionis ac perturbationis, quæ, propter voluptatem exiguam atq; ingratam, turbas magnas, turpissimamq; adferret pœnitentiam.*

Heus, Fili, iterum hoc dico, cape hinc quod imiris exemplum tibi, (a) *nunquam videbis melius consilium dari.*

Hoc autem dum agis, quotidie cum jam noctescit, animus ad rationem reddendam vocandus est, & dispiciendum, annon aliquid voto tuo adversum commiseris. Sic facile (b) *desinet ira, & erit moderatior, quæ sciet sibi quotidie ad judicem esse veniendum.*

Poterant ea, quæ adversus Iram ingessi, remedia sufficere: sed, cum aliud ex alio occurrat, juvat illorum quoq; mentionem injicere;

(c) *quamvis materiæ tanta abundet copia,*
Labori faber ut desit, non fabro labor.

Strictim tamen, quæ amplius ad Iram ab animo propulsandam conducunt, Senecam præceptorem sequutus, inculcabo,

(d) *ut exequamur cœptum propositi ordinem.*

Nempe, multum (e) *proderit* **cogitatio mortalitatis.** *Sibi quisq; ut alteri dicat: Quid juvat, tanquam in*

(a) *Ter. in Eun. a. 2. s. 3.* (b) *Sen. l. 3. de ira c. 36.* (c) *Phædrus l. 4.* (d) *Idem ib.* (e) *Sen. l. 3. c. 42.*

in æternum genitos iras indicere, & brevissimam ætatem dissipare? Quid juvat, dies, quos in voluptatem honestam impendere licet, in dolorem tormentumque transferre?

(a) *Ira, ob alienum peccatum, sordida & angusti pectoris est:*

(b) *Nec magis quisquam eodem tempore & iratus potest esse, & vir bonus, quam æger & sanus.*

Nihil valde proficit Ira, & eos quos occupavit, ludibrio exponit. Nemo enim facile (c) *credit irascentium verbis, quorum strepitus magni, minaces sunt, intus mens pavidissima.*

(d) *Quicquid terret, & trepidat.*

Et Ira adeo tantum (e) *fere in morsum labiorum, stridorem dentium, vanas incursiones, maledicta stultas habentia minas insumitur, ac deinde ridicule, antequam ad finem, ad quem festinabat, perveniatur, ultro concidit.*

Atq; hinc merito deridetur,

(f) *qui sine virtute vanas exercet minas.*

Iram *damna* comitantur. (g) *Ira, patri luctum, marito divortium attulit, Magistratui odium, Candidato repulsam.*

(h) *Dat pœnas, dum exigit.*

Insuper Ira (i) ***naturam hominis mutat***. *Illa, in amorem hortatur, hæc in odium: illa, prodesse jubet, hæc nocere.*

Iam, (k) *bonus vir est, qui injuriam fecit? noli credere. Malus? noli mirari. Dabit pœnas alteri, quas debet tibi: & jam sibi dedit, qui peccavit.*

(a) *Sen. l. 2. de ira c. 6.* (b) *Id. ib. c. 12.* (c) *Id. l. 1. c. 16.* (d) *Sen. l. 2. c. 11.* (e) *Plut. lib. de coh. ira p. 458.* (f) *Phædrus l. 3.* (g) *Sen. l. 3. c. 5.* (h) *Idem ib.* (i) *Idem ib.* (k) *Idem l. 2. c. 30.*

(a) *Quid novi est, si inimicus nocet, amicus offendit, filius labitur, servus peccat?*

Hoc age: Elige in *societatem* (b) *simplices, faciles, moderatos, qui iram tuam nec evocent, & ferant.*

(c) *Non tantum exemplo melior fit, qui cum quietis hominibus vivit: sed & causas irascendi non invenit, nec vitium suum exercet. Fugere itaq; debebis omnes, quos irritaturos iracundiam scies.*

Cæterum, (d) *est levamentum malorum ingentium, pati, & necessitatibus suis obsequi.*

Vt vero (e) *quietus esse possit animus, non est jactandus, nec multarum rerum actu fatigandus, nec magnarum, supraq; vires appetitarum.*

Nulli fortuna tam dedita est, ut multa tentanti ubiq; respondeat. Sequitur ergo, ut is, cui contra, quam proposuerat, aliqua cesserunt, impatiens hominum rerumque fit: ex levissimis causis irascatur, nunc personæ, nunc negotio, nunc loco, nunc fortunæ, nunc sibi.

Nec minus uni negotio intentum, oportet (f) *æque cavere lassitudinem corporis. Consumit enim, quicquid in nobis mite placidumq; est, & acria concitat. Ideo, quibus stomachus suspectus est, processuri ad res agendas majoris negotii, bilem cibo temperant; quam maxime movet fatigatio: sive quia calorem inedia compellit, & nocet sanguini, cursumq; ejus, venis laborantibus, sistit: sive quia corpus attenuatum & infirmum incumbit animo. Certe, ob eandem causam, iracundiores sunt valetudine aut ætate fessi. Fames quoq; & sitis ex eisdem causis vitanda est: exasperat enim & incendit animos. Vetus dictum est: A lasso rixam quæri: æque autem & ab esuriente, & a sitiente, & ab omni homine, quem aliqua res urit.*

Trans-

(a) *Sen. l. 2. de ira c. 31.* (b) *Idem l. 3. c. 8.* (c) *Id. ib.* (d) *Id. l. 3. c. 16.* (e) *Id. ib. c. 6.* (f) *Id. c. 9.*

Transfer, Fili, dicta ista nostra, in succum ac sanguinem, & robur ac æs triplex circa pectus habebis, ne ulla unquam Ira, ex qualicunq; re, in illud queat introrumpere. Sed tamen, dum ætatem, dum genus vitæ, quod nunc te tenet, reputo, operæ pretium est, ut adversus duo, e quibus Ira inter æquales tibi potissimum prognasci solet, peculiariter te muniam. *Contumelias* innuo, & illud de *rebus literariis, aut iis, quæ in Orbe forte accidunt*, recte, an secus gesta fuerint, contendendi studium.

Equidem non diffiteor: (a) *Hominis animus in auribus habitare videtur: bonis enim auditis corpus gaudio repletur: contrariis autem, ira inflatur.*

Interea loci, utiq; (b) *nihil est jucundius, & docto viro dignius, quam ferre posse convicianten. Quoniam si ille, cui convicium fit, dissimulaverit, in ipsum autorem redundat.*

Scit Sapiens, quod illi,

(c) *sinistra quos in lucem Natura extulit,*
Non quicquam possunt nisi meliores carpere.

Quapropter (d) *nihil magis suaserim, quam sumere ingentem animum.*

Namque (e) *hujus est, injurias despicere. Vltionis contumeliosissimum genus est, non esse visum dignum, ex quo peteretur ultio. Multi leves injurias altius sibi demisere, dum vindicant: ille magnus & nobilis est, qui, more magnæ feræ, latratus minutorum canum securus exaudit.*

(a) *Herodotus apud Stob. serm.* 18. (b) *Philemon apud eundem eodem loco.* (c) *Phædrus l.* 2. (d) *Sen. l.* 3. *de ira c.* 32. (e) *Idem l.* 2. *c.* 32.

(a) *Ut tela a duro resiliunt, & cum dolore cædentis solida feriuntur: ita nulla magnum animum injuria ad sensum sui adducit, fragilior eo quod petit.*

(b) *Quare fers ægri rabiem, & phrenetici verba? puerorum protervas manus? nempe, quia videntur nescire, quid faciant. Quid interest, quo quisq; vitio fiat imprudens? imprudentia par in omnibus patrocinium est.*

Quin tu igitur hoc mihi observa:

(c) *Dicetur aliquis male de te locutus, cogita, an prior feceris: cogita, de quàm multis loquaris. Cogitemus, inquam, alios non facere injuriam, sed reponere: alios pronos facere, alios coactos facere, alios ignorantes: etiam eos, qui volentes scientesq; faciunt, ex injuria nostra non ipsam injuriam petere.*

Des quoque hoc, si potes, potes autem si periculum feceris, effectum, ut, (d) *si quis nunciarit, quendam tibi maledicere, ne refutes, quæ dicta sunt, sed respondeas, eum nescisse cætera tua vitia; nam alioqui non illa sola fuisse dicturum.*

Cæterum, in *Disputando*, (e) *noli studium cognoscendi in libidinem contendendi vertere.*

(f) *Quoties disputatio longior & pugnacior erit, in prima resistamus.*

Ante omnia (g) *vide, non tantum, an verum sit, quod dicis, sed, an ille, cui dicitur, veri patiens sit.*

Hoc pacto (h) *noli congredi cum imperitis. Nolunt discere, qui nunquam didicerunt.*

(i) *Ea tenent, quæ invaserunt, & eripi sibi judicium suum, etiamsi pravum est, non sinunt;*

.Sem-

(a) *Sen. l. 3. de ira c. 5.* (b) *Idem ib. c. 26.* (c) *Idem l. 2. c. 28.* (d) *Epictet. enchir. c. 48.* (e) *Plut. de ira cohib. p. 462.* (f) *Sen. l. 3. de ira c. 8.* (g) *Idem c. 37.* (h) *Idem ib.* (i) *Idem l. 1. c. 14.*

Semperque (a) *pro judicio stant erroris sui.*

Maxime vero a conviviorum sodalitatibus abesse debent altercationes.

(b) *Neq; enim ebrius aliquis sobrium quicquam docebit, neq; sobrius ebrio quicquam persuadebit. Vbi autem sobrietas abest, inanis & irritus est contentionis labor.*

(c) Ἀγαθὴ δ' ἔρις, *cum invicem se mutuis exhortationibus amici ad amorem immortalitatis exacuunt.*

In eruditis vero placidisq; disputationibus, (d) *non est levitas, a cognito & damnato errore discedere; & ingenue fatendum est;* aliud putavi, deceptus sum. *Hæc vero superbæ stultitiæ perseverantia est:* Quod semel dixi, qualecunque est, fixum ratumque sit. *Non est turpe, cum re mutare consilium.*

Mi Fili! (e) *Nunc eorum, qui placide & leniter se gesserunt adversus iram, pulcerrimas voces, pulcerrima facta ad contemplandum proponam.*

Juvat enim (f) *inspicere, tanquam in speculum,* in **exempla moderata & lenia;**

præcipue illorum, (g) *quibus nec ad irascendum causa defuit, nec ad ulciscendum potestas.*

Primum in scenam producam (h) *Socratem, perpessitium senem, per omnia aspera jactatum, invictum tamen.*

(i) *A palæstra secum duxerat ad cœnam Euthydemum. Ibi cum Xanthippe irata accurrisset, ac, factis conviciis, mensam ad extremum subvertisset, surgens* Eu-

(a) *Phædrus l.4.* (b) *Epictet. apud Stobæum.* (c) *Plin. l.3. ep.7.* (d) *Sen. l.4. de benef. c.38.* (e) *Plut. l. de ira coh. p.457.* (f) *Ter. in Adelph. a.3. s.3.* (g) *Sen. l.3. de ira c.22.* (h) *Id. ep.104.* (i) *Plut. lib. de ira coh. p.461.*

Euthydemus, magno concepto dolore, abitum parabat. Tum Socrates: nonne, inquit, nuper apud te gallina quædam involans idem hoc fecit, nihil me indignante?

Eundem, (a) *ajunt, colapho percussum nihil amplius dixisse quam*, Molestum esse, quod nescirent homines, quando cum galea prodire deberent.

M. Catonem quidam in balneo percusserat: (b) *Postea satisfacienti, Cato*, non memini, *inquit*, percussum me.

(c) *Bonus ille Phocion, injuria uxori suæ facta, tantum ab autoris accusatione abfuit, ut, cum ille sponte, metu perculsus, Phocionem accederet, & veniam postularet, inquiens, ignorasse, quod ejus uxor fuisset, in quam injuriosus fuerat; hoc sermone sit usus: Mea quidem uxor nihil abs te affecta est; sed fortassis alia: proinde non est, cur excusationem apud me dicas.*

(d) *Lycurgi Lacedæmonii facinus quis nostrum non miretur? qui, a cive quodam, altero mulctatus oculo, eum a populo sibi traditum, ut suo arbitratu mulctaret, nulla quidem pœna affecit, sed instituit. Cumq; jam virum bonum effecisset, in theatrum produxit. Admirantibus autem Lacedæmoniis, Hunc, inquit, cum a vobis superbum & injustum accepissem, vobis æquum & popularem restituo.*

(e) *Quid facilius fuit Antigono, quam duos manipulares duci jubere, qui incumbentes regio tabernaculo, faciebant, quod homines & periculosissime & libentissime faciunt, de Rege suo male existimant? Audierat omnia Antigonus, utpote cum inter dicentes & audientem palla interesset, quam ille leviter commovit, &*, Longius, *inquit*, discedite, ne vos Rex audiat.

(a) *Idem*

(a) *Sen. l. 3. de ira c. 11.* (b) *Id. l. 2. c. 32.* (c) *Stob. serm. 18.* (d) *Epict. apud Stob. serm. 18.* (e) *Sen. l. 3. de ira c. 22.*

(a) *Idem, tam miti animo hostium suorum maledicta, quam civium tulit. Itaq; cum in parvulo quodam castello Græci obsiderentur, & fiducia loci contemnentes hostem, multa in deformitatem Antigoni jocarentur, & nunc staturam humilem, nunc collisum nasum deriderent:* Gaudeo, *inquit*, & aliquid boni spero; si in castris meis Silenum habeo. *Cum hos dicaces fame domuisset, captis sic usus est, ut eos, qui militiæ utiles erant, in cohortes describeret, cæteros præconi subjiceret: id quoq; se negavit facturum fuisse, nisi expediret his dominum habere, qui tam malam haberent linguam.*

(b) *Haberem alios multos Veterum proponendos, qui contumeliose tractati, sive verbis conviciosis, sive aliis modis, nullo pacto re ultionem exequuti sunt, sed oratione fortassis admonuerunt, aut aliter æquo leniq; animo improbitatem hominum tulere.*

Sed modus servandus est, atque (c) *id arbitror adprime in vita esse utile, ut ne quid nimis.*

Ideo (d) *pauca ex ingenti turba exempla protuli.*

Quod superest, postremo nunc, mi Fili, (e) *te illud admoneo, ut, si plene iram vitare non potes, quod ante occupatur animus ab iracundia, quam providere ratio potuit, ne occuparetur;* mature ei resistas, & male conciliatum affectum ex animo ejicias.

(f) *Quæ quidem mihi virtus non interdum minor videtur, quam omnino non irasci.*

Atque, quia (g) *sæpe ad nos Ira venit, sæpius nos ad illam,*

consultissimum est, (h) *ipsis repugnare seminibus,*

(a) *Sen. l. 3. de ira c. 22.* (b) *Stob. serm. 18.* (c) *Ter. in Andr. a. 1. s. 1.* (d) *Sen. l. 3. de ira c. 14.* (e) *Cic. lib. 1. ep. 1. ad Q. Fr.* (f) *Idem ib.* (g) *Sen. l. 3. de ira c. 12.* (h) *Idem l. 1. c. 8.*

atque (a) *vires ejus, antequam spatientur, opprimere.*

(b) *Sicut ergo flammam, pilis leporis, ellychnio, aut paleis accensam, facile est inhibere: ubi vero solidas ac crassas res corripuit, celeriter absumit,*

Sublime fabrorum sibi subjiciens opus,

ut ait Æschylus: ita qui iram ab initio adnimadvertit, sensimq; intelligit, eam a sermone aliquo aut promiscua scurrilitate incensam fumare, is non magno opus habet labore, sed plerunq; ipso silentio & contemtu oppressit. Vt enim ignem exstinguit, qui materiam ei non suggerit: ita Iram præcavet & arcet, qui eam initio non alit, neq; sese inflat.

Est vero (c) *prima quædam excandescentiæ, tanquam tyranni, opprimendæ ratio, non parere, neq; obtemperare ei jubenti vociferari, torvum tueri, cædere seipsum; sed quiescere, neq; affectum morbi intentiorem jactatione & clamore facere.*

(d) *Quamobrem optimum est, ut placide nos contineamus, aut fugiamus, occultemusq; nos, & in quietem tanquam portum confugiamus, ubi Iræ quasi morbi comitialis accessionem præsensimus: ne cadamus, aut in alios potius incidamus.*

(e) *Vultus remittatur, vox lenior sit, gradus lentior: paulatim cum exterioribus interiora formentur.*

Nempe, (f) *in Ira nihil magis decet quam quies, ut Sappho præcipit:*

Ira cum pectus rapida occupavit,
Futiles linguæ jubeo cavere
Vana latratus jaculantis.

Enim

(a) *Sen. l. 1. c. 8.* (b) *Plut. lib. de ira coh. p. 454.* (c) *Idem p. 455.* (d) *Idem ib.* (e) *Sen. l. 3. de ira c. 13.* (f) *Plut. l. de ira coh. p. 456.*

Enim vero, (a) *optimum est quidem ita assuescere domare iracundiam, ne facile ad ipsam accendaris. Sin minus, saltem ne quod ipsa imperat, statim irrationalis animæ pars ad finem perducat.*

(b) *Hæc namq; concitata, nihil unquam providenter agere novit, sed litigandi studio quasi ebria, temere quovis rapitur.*

Ergo, (c) *maximum remedium Iræ, dilatio est; ut primus ejus fervor relanguescat, & caligo, quæ premit mentem, aut residat, aut minus densa sit. Quædam ex his, quæ te præcipitem ferebant, hora, non tantum dies, molliet.*

Imo, nec vel tam longo spatio opus videtur. Vnde Athenodorus (d), valedicturus Augusto Cæsari, *volens aliquod philosopho dignum monumentum apud illum deponere, adjecit: Cæsar, cum iratus fueris, ne quid dixeris, feceris ve, priusquam Græcarum literarum XXIV. nomina apud te recensueris.*

Porro, (e) *Iram sæpe misericordia retro agit*, imprimis quando eos, quibus irascimur, de admissis serio dolere deprehendimus.

(f) *Sævi quoq; implacabilesq; domini, crudelitatem suam impediunt, si quando pœnitentia fugitivos reduxit: & dedititiis hostibus parcimus.*

Interdum (g) *faciet nos mitiores, si cogitaverimus, quid aliquando nobis profuerit ille, cui irascimur, & meritis offensa redimetur.*

(h) *Illud quoq; occurrat, quantum commendationis nobis allatura sit, clementiæ fama, & quam multos venia amicos utiles fecerit.*

Pro-

(a) *Euseb. apud Stob. ser. 17.* (b) *Theoprastus apud eund. illo loco.* (c) *Sen. l. 3. de ira c. 1[illegible].* (d) *Plut. in Apophth.* (e) *Sen. l. 1. de ira c. 16.* (f) *Petron. in Satyr.* (g) *Sen. l. 2. de ira c. 34.* (h) *Idem ib.*

Proderit quoque, si molliter delicateque tractetur iratus animus. (a) *Si Lectio illum carminum obleniat, & historia fabulis detineat.*

Mirum quoque est, quam *Musicæ* modulationibus mens resolvatur. Orpheus

(b) *immites potuit flectere cantibus*
Vmbrarum dominos:

ad ejusque lyræ sonum,

(c) -- *lacrymis victarum carmine fama est*
Eumenidum maduisse genas.

Atque sic (d) *Pythagoras perturbationes animi lyra componebat.*

Ejus alumnus & disciplinæ sectator Clinias, (e) *si quando in iram delapsus esset, atq; ad iracundiam se præcipitem ferri sensisset, confestim, prius quam prorsus invaderetur ab ira, & elucesceret in ipso mentis affectu, chordis adaptatis, citharam pulsavit. Interrogantibus autem, ob quam causam id faceret? Quoniam, inquit, mitigor animo.*

(f) *Videtur autem mihi Achilles etiam in Iliade, quum accinit citharæ, veterumq; res gestas cantando sibi ipsi in memoriam accersit, furorem & indignationem sopire.*

Sic (g) *Graccho Oratori, quod & moribus esset austerioribus, & in dicendo vehementior, fistula fuit concinnata, quali Musici vocem paulatim in utramq; partem per tonos deducunt. Hanc, eo orante, servus tenens a tergo adstabat, tonumq; lenem suggerebat. Itaq; herum a vociferatione revocabat, asperitatemq; & iracun-*

(a) *Sen. l. 3. de ira c. 9.* (b) *Sen. Herc. Fur. a. 2.* (c) *Ovid. lib. 10. Metam.* (d) *Sen. l. 3. de ira c. 9.* (e) *Ælian. l. 14. Hist. c. 23.* (f) *Idem ib.* (g) *Plut. l. de ira cob. p. 456.*

iracundiam vocis auferebat. Ita is iram dicentis demulcebat atq; sedabat.

(a) *Quibusdam, ut ait Sextius, iratis, profuit aspexisse* **speculum.** *Perturbavit illos tanta mutatio sui: velut in rem præsentem adducti non agnoverunt se.*

Nempe, sic (b) *fertur, Minervam, cum fistula caneret, Satyro his verbis castiganti,*

Non te decet forma isthæc, pone fistulas,
Et arma capesse componens recte genas,

non obtemperasse: cum autem in flumine faciem suam esset contuita, indignatam fuisse, ac missas fecisse fistulas.

Statim:

(c) *I procul hinc, dixit, non est mihi tibia tanti.*

At, veræ deformitatis, quam Ira gignit, (d) *quantulum imago illa speculo repercussa reddit? Animus si ostendi, & si in ulla materia perlucere posset, intuentes nos confunderet, ater maculosusq;, æstuans, & distortus, & tumidus. Nunc quoq; tanta deformitas ejus est per ossa carnesq;, & tot impedimenta effluentis: quid si nudus ostenderetur?*

Verum enim vero Menandro (e) visum fuit, *haud aliud esse iræ pharmacum, quam gravem* orationem *amici viri.*

Atque sane negari nequit, magna vis est eloquentiæ, & adeo

(f) -- *magno in populo cum sæpe coorta est*
Seditio, sævitq; animis ignobile vulgus,
Jamq; faces & saxa volant, furor arma ministrat.

Tum

(a) *Sen. l. 2. de ira c. 36.* (b) *Plut. l. de ira coh. p. 456.* (c) *Ovid. 3. de arte.* (d) *Sen. l. c.* (e) *Apud Stob. serm. 18.* (f) *Virg. l. 1. Æn.*

Tum pietate gravem ac meritis, si forte virum quem
Conspexere, silent, arrectisq; auribus adstant.
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Quanquam cauto hic opus est: neque enim omnibus eadem dicere convenit. (a) *Quædam non nisi decepta sanantur.*

Itaque, mi Fili, iratos placare cum volueris, (b) *alteri dices: vide, ne inimicis iracundia tua voluptati sit. Alteri: vide, ne magnitudo animi tui, creditumque apud plerosq; robur, cadat. Indignor mehercule, & non invenio dolendi modum: sed tempus exspectandum est: dabit pœnas. Serva istud in animo tuo, cum potueris, & pro mora reddes. Castigare vero irascentem, & ultro obviam ire ei, incitare est.*

(c) *Varie aggredieris, blandeque:* &, si insignis homo sit, dicas ei licet, quod Phœnix Achilli apud Homerum.

(d) *Reprime iracundiam tuam Achilles, haud te decet animi crudelis esse.*

Quomodo & (e) *Aristoteles Alexandrum, excandescentem ira, placare volens, & sedare summam indignationem, hæc ad eum scripsit: Excandescentia & ira non erga pares, sed erga superiores & potentiores existere solet; tibi vero nemo par est.*

De cætero, (f) *quod in luctu dici solet, efficacissime & in Ira dicetur: Vtrum aliquando desines, an nunquam? si aliquando; satius est, iram relinquere, quam ab Ira relinqui. Sin semper hæc cogitatio durabit; vides, quam impacatam tibi denuncies vitam. Qualis enim*

(a) *Sen. l. 3. de ira c. 40.* (b) *Idem ib.* (c) *Idem ib.* (d) *Il, 10.* (e) *Ælian. l. 12. Hist. c. 54.* (f) *Sen. l. 3. de ira c. 28.*

enim erit semper tumentis? Adjice nunc, quod nisi bene te ipse succenderis, & subinde causas quibus stimuleris, renovaveris, sua sponte ira discedet, & vires illi dies subtrabet. Quanto satius est, a te illam vinci, quam a se?

Summe vero æstuantes stimulisque quasi furoris actos, & nil nisi vindictam spirantes sic interdum alloquaris: *Quid ruimus in pugnam? quid certamina nobis accersimus: quid imbecillitatis obliti, ingentia odia suscipimus, & ad frangendum fragiles consurgimus? jam istas inimicitias, quas implacabili gerimus animo, febris aut aliud malum corporis vetabit geri. Jam par acerrimum media mors dirimet. Quid tumultuamur, & vitam seditiosi conturbamus? stat super caput fatum, & pereuntis dies imputat, propiusque ac propius accedit. Istud tempus, quod alienæ destinas morti fortasse citra tuam est.*

Aristoteles (a) *tradit, si quis irascenti large aquam frigidam; infuderit, illum iram sedaturum.*

Ipsus addit quoque causam, *sic enim*, inquit, *calor extinguitur:*

Dialogista vero apud Plutarchum (b) non tantum experientiam in fidem allegat, sed & superaddit bina ejusmodi remedia alia, aitque: *Vidi non modo frigida affusa iram sedari, ut Aristoteles narravit: sed & Metu oblato extinctam; & subito etiam mehercule Gaudio delinitum (ut est apud Homerum) multis pacatumq; animum.*

Memini, apud Philippum Melanchthonem legisse, ipsum aliquando Lutherum, (c) *cum ferveret maxime, tam placidum quam ovem reddidisse,*

in

(a) *Problemat. sect.* 8. (b) *l. de ira coh. p.* 454. (c) *Ter. in Adelph. a.* 4. *s.* 1.

in aurem ejus insusurrando illud Ovidii:

(a) *Vince animos iramq; tuam, qui cætera vincis.*

(b) *Nempe, omnia hæc nunc verba huc redeunt denique:*

(c) *Consilium pro moribus cujusq; capiendum erit. Quosdam enim preces vincunt: quidam insultant, instantq; submissis. Quosdam terrendo placabimus: alios objurgatio, alios confessio, alios pudor cœpto dejecit.*

(d) *Pro cujusq; morbo medicina quæratur.*

Voto finienda est, de Ira, extremo affectu, Dissertatio. OPTIME MAXIME DEUS, qui Christiani (e) *Imperii molem, in amplissimum terrarum Orbis fastigium extulisti, te publica voce obtestor atq; precor, custodi, serva, protege hunc statum:*

eique Reges, Principes, ac Magistratus semper destina, quorum cervices, oneri subjectos populos regendi fortiter sustinendo, sufficiant: quiq; potestate sua benigne utantur:

Qui (f) *procedant in tribunal, non furentes, nec infesti, sed vultu legis:*

Qui firmiter persuasum teneant, quod nihil æque pulchrum sit, quam

(g) *Consulere patriæ, parcere afflictis, fera*
Cæde abstinere, tempus atq; iræ dare,
Orbi quietem, seculo pacem suo.

Quodque,

(h) *Hæc summa virtus, petitur hac cœlum via.*

Postre-

(a) *Ep. 3. Horoid.* (b) *Ter. in Adelph. a. 1. s. 2.* (c) *Sen. l. 3. de ira c. 1.* (d) *Idem l. 1. c. 16.* (e) *Vellej. in fine hist.* (f) *Sen. l. 1. de ira c. 16.* (g) *Sen. in Octav.* (h) *Idem ibid.*

Postremis verbis ad te, Mi Fili, sermo redit, tibiq; voveo, (a) *ut, dimotis fallacium affectionum tenebris, splendorem veræ lucis possis agnoscere.*

Enim vero:

(b) *Nubibus atris*
Condita, nullum
Fundere possunt
Sidera lumen.
Si mare volvens
Turbidus Auster
Misceat æstum;
Vitrea dudum,
Parq; serenis
Vnda diebus,
Mox resoluto
Sordida cœno,
Visibus obstat.
Quiq; vagatur
Montibus altis
Defluus amnis,
Sæpe resistit,
Rupe soluti
Objice saxi.
Tu quoq;, si vis
Lumine claro
Cernere verum,
Tramite recto
Carpere callem;

(a) Boeth. l. 1. de consol. philos. (b) Id. ib.

Gaudia pelle,
Pelle Timorem,
Spémq; fugato,
Nec Dolor adsit.
Nubila mens est,
Vinctaq; frænis,
Hæc ubi regnant.

SYNOPSIS
METAPHYSICÆ.

PRÆFATIO.

QVodnam Metaphyſicæ objectum ſit, & cui fini inventa fuerit, non una omnium eſt ſententia; quos ego opinionibus ſuis libens abundare permitto. Atq; utinam olim quoq; nihil mihi commercii fuiſſet cum illorum tricis, quibus nimis implicitus eram, cum bonarum horarum diſpendio. Quia vero, præ cæteris, ii ſententiam ſuam mihi veriſimilem reddidere, qui, Ariſtotelis autoritate (verene, an perperam, non diſputo) ſeſe munientes, contendebant, hoc Metaphyſicæ proprium munus eſſe, ut prius Ens generatim, ſecundum communem naturam, & generales affectiones, declaret, deinde ad nobiliſſimas ejus ſpecies, Deum, Angelos, & Humanam Animam conſiderandas, progrediatur; nec abſurdi quoq; quicquam hæc aſſeveratio continet: ſic Filium quoq; inſtitui. Servant ergo illam methodum ea, quæ ſequuntur, præcepta: & ad Metaphyſicam revocavi, quæ alii in peculiari diſciplina, cui Pneumaticæ nomen dedere, docent. Nuſpiam oneravi infirmitatem diſcentis, ſubtilitate quæſtionum, aut diſtinctionum parum profuturarum; ſed ad intellectum, quin & utilitatem illius deſcendi, qui paucis, non omnino, in Metaphyſica philoſophari, eamq; diſciplinam, utpote aliis ſtudiis conſecratus, deguſtare potius, quam illa ingurgitare

ſeſe

ſeſe debebat. Inter cætera hoc imprimis mihi curæ fuit, ut Dei exiſtentiam, & Animæ immortalitatem ſedulo inculcarem; in quibus prora puppisque conſiſtit omnis humanæ eruditionis: &, qua doctrina, ob ſeculi, in quo, proh! eheu! vivimus, perverſitatem, & ἀθεΐσμον, bene præparatum pectus habere, ſalus eſt adoleſcentibus.



SYNOPSIS METAPHYSICÆ.

CAPUT I.

De Natura & Partibus Metaphysicæ.

Quid est Metaphysica?

METaphysica, sive Scientia Prima, aut Prima Philosophia, est disciplina communissima & generalissima, considerans Ens quatenus Ens, est, & nobiliores ejus species. Sive: Metaphysica est scientia generalissima, contemplans ea, quæ res Physicas, aliarumque scientiarum objecta transcendunt, nempe Ens, quatenus Ens, ejusque Affectiones, & prima, universalissimaque Principia, & quoq; præcipuas Species.

Quæ sunt Partes Metaphysicæ?

Partes Metaphysicæ duæ sunt, una Generalis, altera Specialis. Atque *Pars Generalis* agit de natura Entis in communi: *Specialis* agit de Speciebus, Deo, Angelis, & Anima humana.

CAPUT II.

De Ente.

Quot modis Ens accipitur?

ENs accipitur vel Generalissime, vel Generaliter, vel Stricte.

Quid est Ens Generalissime acceptum?

Ens, Generalissime acceptum, notat omne illud, de quo aliquid, vel quod de aliquo potest enunciari. Vel, est omne id, quod quovis modo est, & quod cogitari potest

potest aut dici. Hæc significatio comprehendit omnia, quæ sub conceptum humanum cadere possunt, sive sint *Vera*, sive *Ficta*, sive *Possibilia*, sive *Impossibilia*.

Quid est Ens Generaliter acceptum?

Ens, Generaliter acceptum, notat omne illud, quod esse obtinet, sive in se, sive in suis causis: atque vulgo hoc vocant *Ens Nominale*, quatenus nimirum significat essentiam veram, non fictam, præcisam ab actu existendi exercito. Ad realitatem enim sufficit, ut quid esse possit, licet revera non existat.

Quid est Ens Stricte acceptum?

Ens, Stricte acceptum, notat omne illud, quod revera in rerum natura obtinet esse positivum & reale, quocunque modo: atque vulgo hoc vocant *Ens Participiale*, quia notat actum essentiæ secundum, per quem in rerum natura existentiam obtinere, & in aliquo entium gradu constitui dicitur.

Quid est Existentia?

Existentia est id, quo primo & formaliter constituitur essentia in latitudine entis positivi & realis atque actualis, sive extra suas causas.

Quid est Essentia?

Essentia, est radix & principium realium operationum, atque primo in re vel objecto aliquo cognoscitur, non quidem primitate inchoationis, sed ordine causalitatis. Nimirum, essentia objecti est, quod ita primo in eo concipitur, ut nulla ratio a priori reddi possit, cur tali objecto conveniat; ipsum vero potius est ratio & causa, cur alia objecto conveniant, & a quo oriuntur alii conceptus.

Quid est Ens Positivum?

Ens Positivum est, quod habet essentiam veram, positivam, sibi debitam.

Quid est Ens Negativum?

Ens Negativum est, quod Essentiam negat & tollit. Atque cum hoc fit citra subjecti aptitudinem, & conditionem ad formam recipiendam requisitam, dicitur *Ens pure Negativum:* Cum vero notat tantum carentiam rei vel essentiæ positivæ in subjecto, rem negatam recipere apto, dicitur *Ens Privativum.*

Quid est Ens Reale?

Ens Reale est, quod extra fictionem intellectus, vere esse obtinet, ut *Homo.*

Quid est Ens Rationis?

Ens Rationis est, quod, non habet vere esse, nisi per mentis fictionem, ut *Chimæra*, *homo irrationalis:* hæ enim res in se entitatem non habent; a ratione tamen ut entia cogitantur.

Quid complectitur Ens Generaliter acceptum?

Ens Generaliter acceptum complectitur Ens, quod est Actu, & Ens, quod est Potentia.

Quid est Ens Actu?

Ens Actu est, quod per sese subsistit, seu in sese actum essendi obtinet, & vere persistit in rerum natura.

Quid est Ens Potentia?

Ens Potentia est, quod actu essendi caret, habet tamen aliquam realitatem in suis causis, a quibus produci, & in esse actuali collocari, nullam involvit contradictionem: ut *Rosa in hyeme.*

Quid

Quid est Accidens?

Accidens, est quod est extra rationem quidditatis: ut *Albedo*, respectu hominis: estque vel Reale seu Physicum, vel Logicum.

Quid est Accidens Reale seu Physicum?

Accidens Reale seu Physicum est, cujus totum esse, est inhærere subjecto, a quo realiter distinguitur. Vti, *Virtus* in homine; *Calor* in igne.

Quid est Accidens Logicum?

Accidens Logicum est, quicquid contingenter advenit alteri, deque illo accidentaliter prædicatur. Sic, *esse vestitum*, prædicatur accidentaliter de homine; *rationale*, de animali.

Quid est Nihilum?

Nihilum est, quod nullum esse reale habet. Atque dividitur in Negativum stricte tale, & Privativum.

Quid est Nihilum Negativum stricte tale?

Nihilum Negativum stricte tale, est absentia realitatis alicujus in quovis subjecto. Dicitur *Negatio negans*; item *Pura negatio*. Vt, *non-Deus*, *non-Homo*.

Quid est Nihilum Privativum?

Nihilum Privativum, est absentia certæ entitatis in subjecto hujus capace. Vocatur alias *Privatio*, eiq; opponitur *Habitus*.

Quotuplex est Conceptus Entis?

Conceptus Entis duplex est: unus Formalis, alter Objectivus.

Quid est Conceptus Formalis?

Conceptus Formalis, est actus intellectus, repræsentans objectum.

Quid est Conceptus Objectivus?

Conceptus Objectivus, est ipsum objectum, prout ab intellectu cognoscitur.

Quid est Abstractio?

Abstractio, est actio intellectus agentis, quo objectum e statu objectivo & fundamentali, elevatur in statum universalem, sive ideæ, ut distincte cognoscatur.

CAPVT III.

De Principiis Meraphysicæ.

Quæ sunt Principia Metaphysicæ?

PRincipia Metaphysicæ duplicis sunt generis: Generalissima, & minus Communia.

Quæ sunt Principia Generalissima?

Principia Generalissima sunt, quæ a totali Metaphysicæ subjecto, adeoque toto ejus ambitu, petuntur, ac possunt generaliter applicari rebus omnibus, quæ in Metaphysica tractantur. Talia habentur: 1. *Impossibile est, idem simul esse & non esse.* 2. *Quodlibet est, vel non est.* 3. *Quicquid est, quam diu est, necesse est esse.* 4. *De quavis re vera est affirmatio, vel negatio.*

Quæ sunt Principia minus Communia?

Principia minus Communia sunt, quæ ab aliquo particulari Metaphycæ subjecto desumuntur. Vt:

Omne

Omne totum majus est sua parte: Posita causa in actu, ponitur effectus.

CAPUT IV.
De affectionibus Entis in Communi.

Quid est Affectio Entis?

AFfectio Entis, est conceptus generalissimus, Ens transcendentaliter denominans, & cum eo reciprocans.

Quotuplices sunt Affectiones Entis?

Affectiones Entis sunt duplices: Simplices, & Disjunctæ.

Quid est Affectio Entis Simplex?

Affectio Entis Simplex est, quæ prædicatur de Ente in sensu simplici, nec includit conceptus oppositos. Vt: Omne ens est bonum, &, Omne Bonum est Ens.

Quid est Affectio Entis Disjuncta?

Affectio Entis Disjuncta est, quæ prædicatur de Ente sub duplici conceptu, eoque disjuncto. Vt: Omne Ens est causa vel causatum, &, Omne, quod est causa vel causatum, est Ens.

Quot sunt Affectiones Entis Simplices?

Affectiones Entis Simplices sunt tres: Vnum, Verum, Bonum.

CAPUT V.
De Vno.

Quid est Vnitas?

VNitas, est attributum transcendentale, quo ens denominatur incommunicabile & indivisum entita-

titative, divisumque est a quovis alio. Ita lignum est unum, si non sit divisum: quod si dividatur, non manet unum, sed plura fiunt ligna.

Quotuplex est Vnum?

Vnum duplex est, vel Per se, vel Per Accidens.

Quid est Vnum Per Se?

Vnum Per Se est: quod essentiam habet integram & indivisam, estque in uno prædicamento, ut, *Deus, Homo:* nihil enim refert, utrum unum hoc simplex sit, an compositum, dummodo inter partes componentes arcta conjunctio existat.

Quid est Vnum per Accidens?

Vnum per Accidens est, quo plures res ex se completæ, ex naturis diversis & divisis, in indivisionem quandam, sine tamen arctissima partium conjunctione, coalescunt; atque hoc per se non est in uno prædicamento: v. c. *Acervus lapidum, Exercitus, Domus, Respublica.* Cohærent autem partes, vel beneficio artis, ut Domus; vel beneficio naturæ, uti concretum naturale ex substantia & accidente.

Quid est Vnitas Singularis?

Vnitas Singularis, est rerum, quatenus extra mentem in se indivisæ, & ab aliis divisæ existunt.

Quid est Vnitas Vniversalis?

Vnitas Vniversalis, est rerum, quatenus, uno conceptu communi, plures earum inter se similes apprehenduntur.

Quid est Multum?

Multum est, quod ex plurium entium collectione constat.

CAPUT VI.
De Vero.

Quid est Veritas?

VEritas, est conformitas intellectus cum re, sive objecto, quando nimirum res intellectui repræsentatur, prout est. Sive: Veritas entis, est ejus convenientia cum sua idea, quam de ea format intellectus, sive divinus, sive humanus; ratione cujus proinde illud ipsum est, quod eo nomine, quo appellatur, significari solet. Hinc; quia Veritas non inest enti, sed tantum intellectui de ente, non est proprie affectio entis, sed illud tantum extrinsece denominat.

Quid est Falsitas?

Falsitas, est difformitas intellectus cum re, quæ est extra eundem; sive, cum id intellectui verum apparet, quod tale non est.

Unde provenit Falsitas?

Falsitas, provenit ex ignorantia, quæ duplex est: Ignorantia puræ negationis, &, Ignorantia pravæ dispositionis.

Quid est Certitudo?

Certitudo, est firma adhæsio intellectus ad objectum.

Quotuplex est Certitudo?

Certitudo triplex est: Moralis, Physica, & Metaphysica?

Quid est Certitudo Moralis?

Certitudo Moralis est, quæ habetur ex causis physice quidem fallibilibus, infallibilibus tamen moraliter loquen-

loquendo, hoc est, propemodum infallibilibus. Sic nobis certum est, esse Americam, ex dictis nimirum tot prudentum & veracium hominum.

Quid est Certitudo Physica?

Certitudo Physica est, quæ nititur principiis physicis, quæ ex natura rei non possunt aliter se habere: ut certitudo de cursu Petri, quem currentem video.

Quid est Certitudo Metaphysica?

Certitudo Metaphysica est, qua ita proponitur objectum, ut in ordine ad omnem potentiam non possit aliter esse: ut certitudo, quam habemus de Dei existentia; aut de primis & universalissimis Principiis.

CAPUT VII.
De Bono.

Quid est Bonitas?

BOnitas, nimirum transcendentalis, est perfectio inesse debita: atque, hoc sensu, Bonum illud dicitur, quod habet perfectionem debitam inesse. Intelligitur vero *Perfectio Essentialis*, qua res omnia habet, quæ ad essentiam ejus constituendam requiruntur. Quomodo homo perfectus & bonus est, quia constat corpore & anima rationali, in quibus consistit essentialis ejus perfectio.

Quotuplex est Bonum?

Bonum duplex est: Vnum, quod tale est per Essentiam; alterum, quod tale est per Participationem.

Ecquod est Bonum tale per Essentiam?

Bonum tale per Essentiam est, quod perfectionem suam habet a seipso, & cujus bonitas necessario actu existit. Tale bonum est solus Deus.

Ecquod est Bonum tale per Participationem?

Bonum tale per Participationem est, quod perfectionem suam habet ab alio dependentem. Qua ratione omnia, excepto solo Deo, bona sunt, etiam Diabolus.

Quid est Perfectio Essentialis?

Perfectio Essentialis est, per quam quid absolute, aut certe in suo genere, plenam habet integritatem, adeo ut res per se vera & bona censeatur.

Quid est Perfectio Accidentalis?

Perfectio Accidentalis est, quæ non tam ad esse, quam ad melius esse pertinet, reique decus & ornamentum adjicit.

Quid est Perfectio Simpliciter talis?

Perfectio Simpliciter talis est, quæ omnem imperfectionem cujuscunque generis excludit.

Quid est Perfectio Secundum Quid?

Perfectio Secundum Quid talis est, quæ quidem in certo rerum genere est perfectio, ita tamen, ut imperfectionis cujusdam sit indicium.

Quid est Malum?

Malum in abstracto, est carentia perfectionis essentialis inesse debitæ; ac proinde *Malum in concreto*, est res, quæ caret aliqua perfectione, ad essentiam suam requisita. Sic vero nullum ens malum est, quippe non esset ens, si careret aliqua perfectione essentiali.

CA-

CAPUT VIII.

De Actu & Potentia.

Quid est Actus?

Actus est, qui dirigitur ad potentiam, eamque perficit: sive, importat ordinem & respectum ad potentiam, & per eum definit aliquid esse in potentia, si in ea fuit. Vt, *hic homo; iste Angelus.*

Quomodo Actus dividitur?

Actus varie dividitur. Est enim Actus alius Purus, vel Impurus; alius Primus, vel Secundus; alius Formalis, vel Entitativus; alius Signatus, vel Exercitus; denique alius est Elicitus, vel Imperatus.

Quid est Actus Purus?

Actus Purus est, qui excludit omnem potentiam passivam: uti *Deus*, qui ab omni passione immunis est.

Quid est Actus Impurus?

Actus Impurus est, cui semper aliquid potentiæ passivæ admixtum adhæret: ut *omnis creatura.*

Quid est Actus Primus?

Actus Primus, est ipsa rei forma, sive substantialis, sive accidentalis, quatenus ea involvit potentiam agendi vel patiendi: ut *Scientia. Anima.*

Quid est Actus Secundus?

Actus Secundus, est actio a forma procedens: ut *Contemplatio, Ridere.*

Quid est Actus Formalis?

Actus Formalis est, quo Ens existit per suam formam: ut *Homo per animam rationalem.*

Quid

Quid est Actus Entitativus?

Actus Entitativus, est ipsa rei, quæ non est corpus naturale, existentia: h. e. vera rei positio extra nihil: ut *Deus*, *Angeli*, *Materia prima*, *Forma*, *Accidentia*.

Quid est Actus Signatus?

Actus Signatus, est ratio formalis alicujus rei, in se considerata. Sive, est forma generalis, abstracta a suis accidentibus.

Quid est Actus Exercitus?

Actus Exercitus, est res substrata rationi formali. Sive, est forma, quæ cum certa specie concrevit. Sic Metaphysicus agit de *Causa* in actu signato, quia inquirit, quænam sit ratio formalis Causæ in genere, & quotuplex sit in specie. At Astronomus agit de Causa in actu Exercito, dum inquirit, quæ res sit causa Eclipseos.

Quid est Actus Elicitus?

Actus Elicitus est, qui immediate producitur a voluntate, & in ea manet: ut, *velle diligere Deum*.

Quid est Actus Imperatus?

Actus Imperatus est, qui producitur ab alia quadam facultate, tanquam principio proximo, sed voluntate illam facultatem movente ad exercitium; ut, *quando voluntas movet intellectum ad intelligendum*.

Quid est Potentia?

Potentia est, qua Ens esse posse intelligitur, quando nondum est; hoc est, licet actu nondum sit, non habet tamen repugnantiam ad existendum.

Quomodo Potentia dividitur?

Potentia varie dividitur: Est enim Potentia alia Activa, Passiva, & Objectiva; alia Vniversalis, vel Parti-

cularis; alia Proxima, vel Remota; alia Prima, vel Secunda; denique alia Naturalis, vel Obedientialis.

Quid est Potentia Activa?

Potentia Activa est, in cujus virtute aliquis continetur effectus, & per eam produci potest: quomodo est *in Deo potentia creandi; in Sole calefaciendi; in Architecto ædificandi.*

Quid est Potentia Passiva?

Potentia Passiva est, qua aliquid aptum est recipere aliquam formam: sicut *in aqua est potentia recipiendi calorem: in homine, potentia recipiendi eruditionem.*

Quid est Potentia Objectiva?

Potentia Objectiva, est non repugnantia rei, ad hoc, ut fiat & existat. Ita *mundus*, antequam creabatur a Deo, erat in potentia objectiva; quia ante sui creationem non erat, nec tamen ipsi repugnabat existere.

Quotuplex est Potentia Activa?

Potentia Activa, est vel Rationalis, vel Irrationalis.

Quid est Potentia Rationalis?

Potentia Rationalis, sive Intellectualis est, quæ, positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere, & non agere. Sicut *homo potest scribere, vel non scribere. Voluntas eandem rem potest amare, & odisse.*

Quid est Potentia Irrationalis?

Potentia Irrationalis, sive non-rationalis est, quæ, positis omnibus ad agendum requisitis, non potest non agere; sicut *frigus necessario frigefacit; calor tantum calefacit.*

Quo-

Quotuplex est Potentia Rationalis?

Potentia Rationalis, est vel Ordinata, vel Absoluta.

Quid est Potentia Ordinata?

Potentia Ordinata, est principium exequendi aliqua conformiter legi rectæ, secundum ordinem præfixum ab illa lege. Sic *Princeps, jubens furem suspendi*, agit per potentiam ordinatam: quia id facit, ex præscripto legis de furibus suspendendis.

Quid est Potentia Absoluta?

Potentia Absoluta, est principium, posse agere præter illam legem institutam; ut, si Princeps pœnam suspendii in fure in aliam commutet. Atque sic Potentia Dei quoque dividitur in Ordinatam, & Absolutam. *Potentia Dei Ordinata*, est ipsa Dei potentia, quatenus accommodata est, & quasi debita, exequendæ alicui communi legi, ab ipsomet institutæ. Ita, cum Sol perpetuo movetur cursu, fit hoc per potentiam Dei Ordinatam. *Potentia Dei Absoluta*, est ipsa Dei potentia, quatenus nulli communi ordini, a se in rebus instituto, addicta est, & suo modo eum exequi tenetur, sed extra illum ordinem nonnunquam operatur; uti, cum Deus, ad Josuæ preces, *Solis cursum cobibuit*. Vtramque hanc Dei potentiam sub se complectitur *Omnipotentia*, per quam Deus omne illud efficere potest, quod, ut fiat, contradictionem nullam implicat. Sic contradictionem implicat, Deum, quatenus talem, mori, Deum esse injustum.

Quid est Potentia Vniversalis?

Potentia Vniversalis est, quæ ad plures & diversos actus se porrigit: qualis potentia est *Dei*, quoad actiones omnium creaturarum; *Cœli*, quoad generatio-

nem plantarum, aliarumque rerum naturalium; *Materiæ Primæ*, ad recipiendum quaslibet formas.

Quid est Potentia Particularis?

Potentia Particularis est, quæ ad unum actum est determinata: qualis potentia est in *magnete*, ad attrahendum ferrum; neque enim, uti ferrum, ita aurum quoque ac argentum, aut alia metalla attrahit.

Quid est Potentia Proxima?

Potentia Proxima est, cui proxime & immediate respondet actus. Sic in *pane*, in ventriculo animalis concocto, est potentia proxima ad chylum.

Quid est Potentia Remota?

Potentia Remota est, inter quam, & actum ultimum, alius mediat & intercedit actus. Sic in *Pane* potentia remota est ad Sanguinem.

Quid est Potentia Prima?

Potentia Prima, est naturalis quædam habilitas: uti *puer adhuc rudis*, in potentia prima, est Poëta; habet enim aptitudinem ad poësin discendam.

Quid est Potentia Secunda?

Potentia Secunda, est habitus, quo quis præditus, potest bene promteque operari: ut, qui *Poësin didicit*, potest poëmata jam effingere.

Quid est Potentia Naturalis?

Potentia Naturalis est, quæ viribus naturæ creaturarum, cum generali Dei concursu, potest perduci ad actum. Talis potentia naturalis est *in vite*, ut producat vinum.

Quid est Potentia Obedientialis?

Potentia Obedientialis est, per quam creatura apta est, ad actum aliquem supernaturalem, sed cum concursu Dei speciali, producendum. Talis potentia obedientialis erat in Aqua, cum Christus ex ea efficeret Vinum.

Quid est Impossibilitas?

Impossibilitas, est repugnantia ad existendum, in eo, quia attributa contradictoria involvit, vel minimum ab hac vel illa causa creata fieri nequit.

CAPVT IX.

De Principio & Principiato.

Quot modis sumitur vox Principii?

VOx Principii duobus modis accipitur, Late, & Stricte.

Quomodo accipitur Vox Principii Stricte?

Stricte accipitur vox Principii, cum idem significat, quod Causa.

Quomodo accipitur Vox Principii Late?

Late accpitur vox Principii, cum latius patet, quam causa, & designat primum, unde aliquid est quocunque modo: atque hoc sensu omnis quidem causa est principium, sed; non omne principium est causa: Sic, *in Divinis, Pater est Principium Filii; Aurora, est Principium diei.*

Quot sunt Requisita Principii?

Requisita Principii duo sunt: 1. Vt principium quodammodo *prius* sit principiato, saltem secundum nostrum modum concipiendi. 2. Vt sit aliqua *con-*

nexio, vel consecutio, inter Principium & Principiatum.

Quomodo dividitur Principium?

Principium aliud est Essendi, aliud Cognoscendi: aliud Causale, aliud non Causale: denique, aliud Incomplexum, aliud Complexum.

Quid est Principium Essendi?

Principium Essendi est, quod ad alicujus rei constitutionem sive essentiam concurrit. Sic *Materia* est principium essendi corporis: *Anima rationalis* est principium essendi hominis.

Quid est Principium Cognoscendi?

Principium Cognoscendi est, quod ita rei cognitioni inservit, ut simul haud concurrat ad illius constitutionem. Sic se habet *Effectus*, respectu suæ causæ; *Accidens*, respectu subjecti; nam ex effectu causa, & ex accidente subjectum, cognoscuntur.

Quid est Principium Causale?

Principium Causale est, quod ita est Principium, ut simul habeat verum influxum causalem in aliud. Sic *Materia* & *Forma* sunt Principia corporis naturalis, in Physicis.

Quid est Principium Non-Causale?

Principium Non-Causale est, quod ita est principium, ut non simul habeat influxum causalem. Sic *Privatio* est Principium non-causale corporis naturalis; *Pater Filii, in Divinitate.*

Quid est Principium Incomplexum?

Principium Incomplexum appellatur medius terminus, in demonstratione.

Quid

Quid est Principium Complexum?

Principium Complexum, est integra Propositio, per quam aliquid demonstratur. Ita in hac demonstratione: *O. Extensum est divisibile: O. Quantum est extensum: E. O. Quantum est divisibile;* Principium incomplexum est *Extensum*, est enim medius terminus: Complexum Principium est hæc Propositio: *O. Quantum est extensum;* quia per eam demonstratur, Quantum esse divisibile.

Quotuplex est Principium Complexum?

Principium Complexum duplex est, vel primo verum, vel ex eo ortum.

Quodnam est Principium Complexum primo verum?

Principium Complexum primo verum est, quod per seipsum fidem habet: uti, *Suum cuiq; est tribuendum.*

Quodnam est Principium Complexum ex primo ortum?

Principium Complexum ex primo ortum, sive Secundum est ,quod ex primo aliquo probatur seu demonstratur, ut: *Furtum non est faciendum.*

Quid est Principiatum?

Principiatum est, quod habet principium: vel, quod aliunde est; ut *Mundus* respectu Dei; *Dies*, respectu Solis.

CAPUT X.

De Causa & Causato in communi.

Quid est Causa?

CAusa, est principium, per se influens esse in aliud: Vel, definiente ita Galeno: Causa est, quæ suapte natura ei, quod fit, partem aliquam generationis confert. Sic *Architectus* est causa domus; *Æs*, numi.

Quid est Causalitas?

Causalitas est id, quo mediante causa producit effectum; ut *Actio*, respectu efficientis.

Quid est Ratio Causandi?

Ratio Causandi, est id, per quod res constituitur causa in actu primo, potens in effectum influere; ut *Calor in igne*.

Quot sunt Causæ?

Aristoteles 5. Metaphys. quatuor constituit Causarum genera: Efficientem, Finem, Materiam, & Formam: Quas ipse ad divisionem bimembrem revocat, cum Causam aliam dicit esse Internam, aliam Externam.

Quid est Causa Interna?

Causa Interna est, quæ intra rei, cujus est causa, essentiam continetur: uti *Materia*, & *Forma*.

Quid est Causa Externa?

Causa Externa est, quæ essentiam causati non ingreditur, sed extra eam est constituta; uti *Efficiens*, & *Finis*.

Quomodo dividitur Causa?

Causa alia est Actu, vel Potentia; alia Vera, vel Sine qua non; alia Totalis, sive Solitaria, vel Partialis, sive

Socia;

Socia; alia Remota sive Mediata, vel Proxima sive Immediata; alia Procatarctica vel Proëgumena; denique alia Subordinata, alia non-Subordinata.

Quid est Causa Actu?

Causa Actu est, quæ actu & revera influit in effectum, ut *Architectus actu ædificans.*

Quid est Causa in Potentia?

Causa in Potentia est, quæ actu non influit in effectum, habet tamen potentiam influendi; ut *Architectus dormiens*, vel aliquid aliud agens, respectu ædificii.

Quid est Causa Vera?

Causa Vera est, quæ vere & realiter influit esse in effectum: sive, quæ est aliqua ex quatuor causarum generibus.

Quid est Causa Sine qua non?

Causa Sine qua non est, quæ non quidem est vera causa, nec enim physice vel moraliter influit, sed habetur tamen ab imperitis pro causa, quia effectus sine ea esse vel fieri nequit. Vti, *si pater mittat filium in forum, atq; contingat filium labi in platea*; pater dicitur causa sine qua non hujus lapsus; si enim non misisset filium, non fuisset ille lapsus.

Quid est Causa Totalis?

Causa Totalis est, quæ ita influit in effectum, ut non concurrat alia causa ejusdem ordinis, in eodem genere: ut *Vnus equus trahens currum.* Sunt autem *Causæ ejusdem ordinis* omnes in eodem genere æque mediatæ, vel immediatæ; æque universales, vel particulares; &c. *Causæ ejusdem generis* dicuntur omnes

causæ Efficientes, omnes Materiales, omnes Formales, omnes Finales.

Quid est Causa Partialis?

Causa Partialis est, quæ ita influit in effectum, ut simul concurrat alia causa ejusdem ordinis, in eodem genere: ut, *quando duo equi simul trahunt currum*, tum quilibet equus dicitur tantum causa partialis.

Quid est Causa Remota?

Causa Remota sive Mediata est, quæ influit in effectum, interveniente alia causa ejusdem generis. Sic *herus, jubens famulum calefacere hypocaustum*, est causa mediata calefactionis. *Frumentum*, est materia remota panis.

Quid est Causa Proxima?

Causa Proxima sive Immediata est, quæ ita influit in effectum, ut non intercedat alia causa ejusdem generis: uti *famulus* est causa immediata calefactionis; *farina*, est materia proxima panis.

Quid est Causa Procatarctica?

Causa Procatarctica est, quæ extrinsecus impellit ad agendum.

Quid est Causa Proëgumena?

Causa Proëgumena est, quæ intrinsecus movet ad agendum.

Quid sunt Causæ Subordinatæ?

Causæ Subordinatæ, sunt plures causæ, ita inter se invicem comparatæ, ut una, vel ex sua natura, vel alio modo, ab altera dependeat in causando. Sic *creatura* in agendo dependet a Deo: illa vocatur *Causa secunda*; Deus autem vocatur *Causa prima*.

Quid

Quid sunt Causæ non-Subordinatæ?

Causæ non Subordinatæ, sunt plures causæ, quarum una, nec ex sua natura, nec alio modo, dependet ab altera in causando: ut *duo equi*, simul trahentes currum unum, aut quorum quisque currum trahit peculiarem.

Quid est Causatum?

Causatum, est omne, quod dependet a causa: ut *domus* respectu architecti.

CAPUT XI.

De Causa Efficiente & Effectu.

Quid est Causa Efficiens.

Causa Efficiens, est causa, unde primum mutationis & quietis est principium. Etsi enim finis primum est in intentione, non tamen primum est in reali causatione; neque materia potest recipere formam, nisi prius ab efficiente alteretur; neque forma, nisi ab efficiente, uniri potest materiæ. *Causalitas Efficientis*, est Actio; quia ab hac agens formaliter dicitur agens, seu efficiens. *Ratio Causandi*, est potentia activa; quia per hanc aliquid aptum est, ut sit efficiens.

Quid est Effectus?

Effectus est id, in quod influit efficiens per suum influxum: ita *Mundus* est effectus Dei; *Domus*, architecti.

Quomodo dividitur Causa Efficiens?

Causa Efficiens alia est per Se, vel per Accidens: alia Physica, vel Moralis; alia Principalis, vel Instrumentalis; alia Naturalis vel Libera; alia Interna, vel Ex-

Externa; alia Vniversalis, vel Particularis; denique alia Vnivoca, vel Æquivoca.

Quid est Causa Efficiens Per Se?

Causa Efficiens per se est, a qua, ut tali, effectus procedit: ut, *Musicus est causa per se cantionis.*

Quid est Causa per Accidens?

Causa per Accidens est, a qua, ut tali, effectus non procedit: Sive, quæ habet quidem influxum per se Physicum, sed agit sine influxu morali; vel habet influxum per se moralem, sed sine influxo Physico. Vt, *Musicus est causa per accidens statuæ: vinitor, fodiens terram, causa thesauri inventi.*

Quid est Causa Efficiens Physica?

Causa Efficiens Physica est, quæ producit effectum, per influxum Physicum: ut *Carnifex*, cum facinorosum capite plectit.

Quid est Causa Moralis?

Causa Moralis est, quæ imputative tantum influit esse in effectum, h. e. quæ, licet realiter non producat effectum, ita tamen se habet in ordine ad mores, ac si actu influeret, & ideo non minus imputatur ei effectus, ad culpam, vel meritum, ac si revera & per se eum produxisset: uti *Judex, cum jubet, ut carnifex facinorosum capite plectat.* Sunt ergo Causæ morales omnes, quæ applicant agens ad patiens: item præcipientes, consulentes, rogantes, non impedientes, cum possint, ac teneantur.

Quid est Causa Efficiens Principalis?

Causa Efficiens Principalis est, quæ influit in Effectum, virtute non ignobiliore, quam ad ipsum producen-

ducendum requiritur; ut *Faber, respectu operis, quod efficit.*

Quid est Causa Instrumentalis?

Causa Instrumentalis est, quæ influit in effectum, virtute ignobiliore, quam ad eum producendum requiritur. Sic, *malleus causa instrumentalis est fabri.*

Quomodo dividitur Causa Principalis?

Causa Principalis, est vel Prima, vel Secunda.

Quid est Causa Prima?

Causa Prima est, quæ a nulla alia causa dependet, ab ipsa vero dependent aliæ omnes: ut Deus. Dicitur *prima*, quia & natura, & tempore, & dignitate prior est omnibus agentibus.

Quid est Causa Secunda?

Causa Secunda est, quæ ab alia causa in agendo dependet, & esse, fieri, ac conservari, ab eadem accipit: quales sunt *omnes Causæ, excepto Deo.*

Quid est Causa Efficiens Naturalis?

Causa Efficiens Naturalis, est causa, quæ agit per potentiam naturalem, & ad unum oppositorum est determinata: ita *Ignis urit, Magnes trahit ferrum.*

Quid est Causa Libera?

Causa Libera seu Voluntaria est, quæ agit per potentiam liberam, estque Indifferens ad opposita: ut *Deus, Angeli, Homines.* Præter hos vero, omnes aliæ causæ efficientes agunt ex naturæ necessitate, non ex proposito voluntatis.

Quomodo dividitur Causa Naturalis?

Causa Naturalis, est vel Necessaria, vel Sufficiens tantum.

Quid

Quid est Causa Necessaria?

Causa Necessaria est, sine qua non potest esse effectus, nec ipsa sine effectu: ita se habet *ortus Solis*, respectu diei.

Quid est Causa Sufficiens tantum?

Causa Sufficiens tantum est, quæ sine effectu esse non potest, sed bene effectus sine ipsa; ut, *jugulatio*, respectu mortis.

Quid est Causa Efficiens Interna?

Causa Efficiens Interna est, cujus effectus est in eodem subjecto, in quo est ipsa. Sic, *intellectus* est causa interna actus intelligendi: quia actus intelligendi in anima, in qua est intellectus, producitur.

Quid est Causa Efficiens Externa?

Causa Efficiens Externa est, quæ non est in eodem subjecto, in quo est effectus. Sicut *ignis, producens calorem in aqua*, est causa caloris externa.

Quid est Causa Efficiens Vniversalis?

Causa Efficiens Vniversalis est, quæ influit in effectum, actione ita illimitata & indifferenti, ut simul in plures & specie differentes effectus influere possit. Ita *Deus* est causa universalis, ad omnium rerum productionem concurrens.

Quid est Causa Particularis?

Causa Particularis est, quæ cum causa universali influit in effectum, actione ita determinata, ut simul, ad plures specie differentes effectus producendos, concurrere non possit. Vt *homo*, producens alium hominem.

Quid

Quid est Causa Vnivoca?

Causa Vnivoca est, quæ producit effectum sibi similem in specie: uti, cum *homo generat hominem.*

Quid est Causa Æquivoca?

Causa Æquivoca est, quæ producit effectum sibi dissimilem in specie: uti, cum *Sol producit Ranam, vel Murem.*

Quid est Actio Immanens?

Actio Immanens est, quæ recipitur in ipso supposito, a quo elicitur. Vt *Intellectio.*

Quid est Actio Transiens?

Actio Transiens est, quæ recipitur in subjecto, distincto ab agente. Vt *ferrum calefit ab igne.*

Quid est Actio Instantanea?

Actio Instantanea est, quæ fit in instanti; seu, quæ non coëxtenditur certis partibus temporis: ut *Creatio.*

Quid est Actio Successiva?

Actio Successiva est, quæ coëxtenditur certis partibus temporis; seu, quæ fit in tempore. Sic *Aqua sensim calefit ab igne.*

Quid est Antiperistasis?

Antiperistasis, est intensio qualitatis, propter circumstantem, seu obsistentem contrariam: uti *intensio frigoris in aqua puteali, propter calorem æstivum.*

Quid est Exemplar Externum?

Exemplar Externum, est res, quam sibi proponit artifex, ut ejus similitudinem exprimat, vel imitetur.

Quid

Quid est Exemplar Internum?

Exemplar Internum, est intellectualis forma, quam imitatur effectus, ex intentione agentis, determinantis sibi finem: ut *idea domus faciendæ*, in mente architecti.

Quid est Emanatio?

Emanatio, est naturalis resultantia accidentis a subjecto, cui debetur connaturaliter, tanquam ejus proprietas & modus. Vt *productio Intellectus & Voluntatis, in Anima: Frigoris, in Aqua.*

CAPVT XII.

De Causa Materiali, & Materiato.

Quid est Materia?

MAteria, est causa interna, quæ per potentiam passivam influit in rem: ut *Aurum*, respectu poculi. *Causalitas Materiæ* in fieri, est generatio; in facto esse, est unio inter materiam & formam. *Ratio causandi* materiæ, est potentia passiva: quippe hujus ratione materia cum forma unitur.

Quid est Materiatum?

Materiatum, est omne id, quod ex materia constat, & intrinsece componitur.

Quomodo dividitur Materia?

Materia alia est Prima, vel Secunda; alia Necessaria, vel non-Necessaria; alia Permanens, vel Transiens; alia Proxima, vel Remota; denique, alia Sensibilis, vel Intelligibilis.

Quid

Quid est Materia Prima?

Materia Prima, est Materia, considerata sine omni forma, ex eaque omnia corpora naturalia constant, ipsa vero ex nulla constat materia.

Quid est Materia Secunda?

Materia Secunda, est Materia, considerata cum certa forma, quam actu habet. Sive, quæ ita est materia alterius, ut ipsa constet ex alia materia. Talis est omnis materia, quæ sensibus percipi potest.

Quid est Materia Necessaria?

Materia Necessaria est, quæ est adæquata effectui, ita ut effectus ex alia re naturaliter fieri non possit: ut *Farina*, respectu panis: quia panis ex alia materia fieri non potest, quam ex farina. Sic *Vinum* tantum fit ex uvis compressis.

Quid est Materia non-Necessaria?

Materia non-Necessaria est, quæ effectui non est unice adæquata; cum effectus etiam ex re alia fieri possit. Vt *Aurum*, respectu Poculi. Potest enim æq; bene poculum ex argento, aut alio metallo fieri.

Quid est Materia Permanens?

Materia Permanens est, ex qua aliquid fit, salva manente materiæ hujus essentia. Talis materia est *Aurum*, *cum ex eo fit poculum aureum.*

Quid est Materia Transiens?

Materia Transiens est, ex qua mutata, nec essentiam suam retinente, aliquid fit. Talis materia est *Farina*, *cum ex ea fit panis.*

Quid est Materia Proxima?

Materia Proxima est, ex qua aliquid immediate est, vel fit, ita ut non sit prius materia alterius. Vt *Chylus* est materia proxima sanguinis.

Quid est Materia Remota?

Materia Remota est, ex qua aliquid est vel fit, ita ut sit prius materia alterius. Sic *Panis* est materia remota sanguinis: quia prius ex pane chylus fit, quam sanguis.

Quid est Materia Sensibilis?

Materia Sensibilis, est corpus naturale, quatenus ex eo aliquid est vel fit: ut *Æs*, *Lignum*.

Quid est Materia Intelligibilis?

Materia Intelligibilis est, quæ magis intellectu, quam sensu percipi potest: uti *Res Mathematicæ*.

CAPVT XIII.

De Forma & Formato.

Quid est Forma?

FOrma, est causa interna, quæ materiam, per communicationem propriæ suæ entitatis, actuat, ac, eam informando, compositum constituit. *Causalitas Formæ*, est unio inter materiam & formam, prout ea dicit actuationem & informationem materiæ. *Ratio causandi* Formæ, est potentia informandi materiam.

Quid est Formatum?

Formatum est, quod dependet ab aliquo intrinsece id actuante: ut *Homo*, respectu animæ rationalis.

Quo-

Quomodo dividitur Forma?

Forma alia est Physica, vel Metaphysica; alia Materialis, vel Immaterialis; alia Substantialis, vel Accidentalis; alia Informans, vel Assistens; alia Generica, vel Specifica; denique alia Totalis, vel Partialis.

Quid est Forma Physica?

Forma Physica, est altera pars compositi naturalis, materiæ contradistincta: ut *Anima rationalis.*

Quid est Forma Metaphysica?

Forma Metaphysica, est essentia totius: ut *Humanitas* hominis, *Animalitas* animalis forma est.

Quid est Forma Materialis?

Forma Materialis est, quæ ita a materia dependet, ut naturaliter extra eam esse nequeat. Quales formæ sunt omnes *formæ physicæ*, præter animam rationalem.

Quid est Forma Immaterialis?

Forma Immaterialis est, quæ citra materiam subsistere apta est: uti *Anima rationalis*, quæ a corpore separata permanet.

Quid est Forma Substantialis?

Forma Substantialis est, quæ cum materia, quam informat, constituit compositum per se: ut *Anima rationalis*, quæ cum corpore, quod informat, constituit hominem, qui est ens compositum per se.

Quid est Forma Accidentalis?

Forma Accidentalis, est accidens in abstracto consideratum, constituens cum subjecto inhæsionis unum per accidens; ut *Albedo*, quæ cum corpore constituit corpus album, quod est unum per accidens.

Quid est Forma Informans?

Forma Informans est, quæ unione physica conjungitur subjecto, & cum materia efficit unum per se: ut *Anima*, & omnes reliquæ formæ corporum naturalium.

Quid est Forma Assistens?

Forma Assistens est, quæ nullam habet unionem physicam cum re, cui assistit, ac ideo nec unum per se cum materia efficit, sed tantum motum dirigit. Sic *Eques* forma est assistens equi; *Nauta*, navis, *Auriga*, carpenti.

Quid est Forma Generica?

Forma Generica est, quæ importat conceptum confusum, & aliis speciebus communem: ut *Anima Vegetativa & Sensitiva in homine.*

Quid est Forma Specifica?

Forma Specifica est, quæ conceptum importat proprium: ut *Anima rationalis in homine.*

Quid est Forma Totalis?

Forma Totalis est, quæ informat omnes partes alicujus continui heterogenei: ut *Anima rationalis*, quæ informat omnes partes hominis.

Quid est Forma Partialis?

Forma Partialis est, quæ non totum continuum heterogeneum, sed aliquam ejus partem informat, Ita *alia est forma Carnis, alia Ossis.*

CAPUT XIV.

De Fine, & Finito.

Quid est Finis?

FInis, est causa externa, quæ movet efficientem ad agendum, & propter quam, vel cujus gratia res est: ut *Conjugium* a Deo est institutum, propter sobolis procreationem: ergo sobolis procreatio est finis conjugii. *Causalitas finis*, in agente intellectuali creato, est ipsa voluntatis actio, h. e. motio voluntatis ad agendum. *Ratio causandi finis*, est bonum, quod a voluntate appetitur, sive id verum sit, sive apparens.

Quid est Finitum?

Finitum est, quod destinatur ad finem. Sic Finis rerum omnium est *Deus*; ergo omnes res sunt ad hunc finem destinatæ.

Quomodo dividitur Finis?

Finis alius est Per se, vel per Accidens; alius Cui, vel Cujus; alius Ultimus, vel Intermedius; alius Principalis, vel minus Principalis; alius Formalis; alius Objectivus; alius Efficiendus, vel Obtinendus; alius Adæquatus, vel Inadæquatus: denique alius Internus, alius Externus.

Quid est Finis Per se?

Finis Per se est, ad quem res sua natura ordinatur: uti *Insidiæ* ordinantur ad perniciem ejus, cui struuntur.

Quid est Finis per Accidens?

Finis per Accidens est, ad quem aliquid ordinatur ab hoc vel illo agente, ut tamen præter naturam talis

rei sit: uti, *cum quis furtum ordinat ad eleemosynas erogandas.*

Quid est Finis Cui?

Finis Cui est, cujus gratia aliquid expetitur, ita ut sit simul subjectum, cui aliquid expetitur: Sic *ægroti gratia medicamenta adhibentur*, ita ut sit simul subjectum, cui adhibentur.

Quid est Finis Cujus?

Finis Cujus, est forma quædam, cujus efficiendæ gratia agit causa efficiens. Sive, est finis, qui expetitur, ita ut non sit simul subjectum, cui aliquid expetitur. Vt, *sanitatis gratia medicamenta adhibentur*; sed, sanitas non est simul subjectum, cui adhibentur.

Quid est Finis Vltimus?

Finis Vltimus est, propter quem alia appetuntur, ipse vero propter nihil aliud appetitur. Vt, *Deus est finis ultimus omnium rerum*: ipse enim est propter seipsum, omnes vero creaturæ, cum omnibus operationibus suis, sunt propter gloriam Dei.

Quid est Finis Intermedius?

Finis Intermedius est, propter quem ita aliquid est, ut ipse etiam sit propter aliud: ut, *expulsio pravorum humorum finis est medicamenti*, quam Medicus procurat, sanitatis restituendæ gratia.

Quid est Finis Principalis?

Finis Principalis est, propter quem quis ita agit, ut, etsi nullum alium finem sibi haberet propositum, tamen ageret. Ita *proficiscitur mercator Lipsiam*, ut merces ibi vendat: quo utique proficisceretur, etiamsi non haberet, quem in illa urbe inviseret.

Quid

Quid est Finis Minus Principalis?

Finis Minus Principalis est, propter quem quis ita agit, ut, si ad nullum alium finem referretur actio, non ageret. Sic *Mercator Lipsiam proficiscitur*, ut invisat filium literis ibidem incumbentem; is autem finis est minus principalis; nec enim ob hunc solum institueret profectionem.

Quid est Finis Formalis?

Finis Formalis, vocatur actio circa aliquod objectum: ut *clara Dei visio*, hominis finis formalis est.

Quid est Finis Objectivus?

Finis Objectivus, dicitur ipsum objectum, circa quod versatur actio: Vt ipse *Deus*.

Quid est Finis Efficiendus?

Finis Efficiendus est, qui, cum non existat actu, ita intenditur ab agente, ut producatur: qualis finis est *Sanitas*, respectu medici, vel curationis.

Quid est Finis Obtinendus?

Finis Obtinendus, est res actu jam existens, quatenus eam agens intendit acquirere vel possidere: ut *Pecunia*, respectu avari.

Quid est Finis Adæquatus?

Finis Adæquatus est, qui ita exhaurit speciem aliquam actionis, ut ipsa ad nihil inclinetur aut referatur, nisi quatenus id, ad quod actio refertur, sub illo continetur: ut *Oculi finis adæquatus est videre.*

Quid est Finis Inadæquatus?

Finis Inadæquatus est, ad quem actio quidem ordinatur, sed ita, ut aliæ etiam sint species boni, ad quas

agens naturaliter inclinat: ut, *Oculi finis inadæquatus est, videre nigredinem.*

Quid est Finis Internus?

Finis Internus est, qui ab eo, cujus finis est, attingitur, id est, acquiritur vel producitur. Est enim semper in potestate artificis; ut *in arte Medica* finis internus est præscriptio medicamentorum.

Quid est Finis Externus?

Finis Externus est, qui non est in potestate artificis, neque is, si fine illo excidat, illico nomen artificis amittit: *Sic finis externus medici, est sanitas.*

CAPUT XV.

De Necessario, & Contingente.

Quot modis sumitur Necessarium, & Contingens?

NEcessarium, & Contingens, sumitur vel in sensu Logico, quatenus est affectio propositionis, vel sensu Metaphysico, quatenus est affectio Entis.

Quid est Necessarium Metaphysicum?

Necessarium Metaphysicum est, quod non potest aliter se habere: Ita necessarium est, *Deum esse justum; Solem calefacere.*

Quotuplex est Necessitas?

Necessitas alia est Consequentis, vel Consequentiæ; alia Absoluta, vel Immutabilitatis ex suppositione; alia Antecedens, vel Comitans.

Quid

Quid est Necessitas Consequentis?

Necessitas Consequentis est, quando tam antecedens, quam consequens, in se necessarium est: ut, *si homo est animal, sentire potest*; ubi utrumque, & hominem animal esse, & sentire posse, est necessarium.

Quid est Necessitas Consequentiæ?

Necessitas Consequentiæ est, quando consequens non est necessarium, nisi posito antecedente; ita tamen, ut tam antecedens, quam consequens, sint in se contingentia: Vt: *Si homo æstivis diebus stat sub Sole, necessario incalescit*: nam, posito hoc, quod homo tum sub Sole stet, ipsum incalescere est necessarium.

Quid est Necessitas Absoluta?

Necessitas Absoluta est, quæ simpliciter rei convenit ex natura ejus, & secundum omnes temporis differentias: Vt, *hominem esse animal est necessarium.*

Quid est Necessitas Immutabilitatis ex suppositione?

Necessitas Immutabilitatis ex suppositione est, cum aliquid convenit rei contingenter, si ejus natura absolute consideretur; ex suppositione vero, id est, relata ad certam temporis differentiam, dicitur ei necessario convenire, quia tunc, pro tali temporis differentia, non potest non eidem convenire: Sic *necessarium est hominem currere, quando currit.*

Quid est Necessitas Antecedens?

Necessitas Antecedens est, quæ oritur ex causa antecedente, & necessario operante, atque ad unum determinata; ita, ut posita tali causa, necessario sequatur effectus: Hoc pacto *necessarium est cras Solem*

 oriri;

oriri; quia ortus Solis provenit a causa antecedente necessaria, & ad unum determinata, nempe a motu primi mobilis; quo posito, impossibile est Solem non oriri.

Quid est Necessitas Comitans?

Necessitas Comitans est, quæ non oritur ex causa antecedente & necessaria, sed ex ipsa oppositione effectus, etiamsi effectus contingens sit, & a causa libera proveniat Quomodo *necessarium est Petrum sedere*, posito quod sedeat; aut *sedisse*, posito quod sederit; aut *sessurum esse*, posito quod sessurus sit.

Quid est Contingens?

Contingens est, quod potest aliter se habere: Sic *aqua contingenter est calida*; quia potest esse frigida.

Quot modis aliquid dicitur Contingens?

Contingens aliquid dicitur tripliciter: Contingens æqualiter, ut plurimum, & raro.

Quid est Contingens Æqualiter?

Contingens Æqualiter est, quod æque potest contingere, ac oppositum: ut, *me loqui, aut scribere.*

Quid est Contingens ut plurimum?

Contingens ut plurimum est, quod frequentius est: ut, *hominem nasci quinq; digitis in manu una.*

Quid est Contingens raro?

Contingens raro est, quod raro accidit: ut, *cum tegula, de tecto decidens, percutit prætereuntem.*

CAPUT XVI.

De Ente a ſe, & ab alio: itemque Incorruptibili, & Corruptibili.

Quid eſt Ens a ſe?

ENs a ſe, ſive independens & increatum, eſt, quod non eſt cauſatum ab alio: ut *Deus*.

Quid eſt Ens ab alio?

Ens ab alio, ſive dependens & creatum dicitur, quod eſt cauſatum ab alio: ut *Creatura*.

Quid eſt Ens Incorruptibile?

Ens Incorruptibile eſt, quod de eſſe ad non eſſe tranſire nequit. Tale ens ſimpliciter eſt *Deus*; ſecundum quid vero *Creatura ſpiritualis*.

Quid eſt Ens Corruptibile?

Ens Corruptibile eſt, cui non repugnat non eſſe: ut *corpus naturale*.

CAPUT XVII.

De Simplici, & Compoſito.

Quid eſt Simplex?

SImplex eſt, quod nec actu diviſum eſt, nec dividi poteſt: ut *Deus*.

Quotupliciter aliquid Simplex dicitur?

Simplex aliquid dicitur vel abſolute, vel certo genere compoſitionis.

Quid est Simplex absolute?

Simplex absolute est, quod nullo genere compositionis compositum est: Vt *essentia divina.*

Quid est Simplex certo genere compositionis?

Simplex certo genere compositionis est, quod non est compositum certo genere compositionis, etiamsi alio genere compositum sit. Hoc modo *Angelus* dicitur substantia simplex, quia non constat ex materia & forma, aut partibus quantitativis, licet ex essentia & subsistentia componatur.

Quid est Compositum?

Compositum est, quod actu quidem divisum non est, aptum tamen est, ut dividatur; ut *Homo.* Compositum vero denominatur a compositione, quæ est conjunctio plurium rerum, unum tertium constituentium.

Quotuplex est Compositio?

Compositio est vel Physica, seu Realis; vel Metaphysica, seu Rationis; vel Modalis.

Quid est Compositio Physica, seu Realis?

Compositio Physica, seu Realis est, cujus extrema sunt realia, realiter a se invicem distincta. Quomodo componitur *Corpus ex materia & forma: Corpus hominis ex partibus integrantibus.*

Quid est Compositio Rationis?

Compositio Rationis est, cujus extrema sola ratione distinguuntur. Quomodo res creata componitur ex genere & differentia: ut *Homo ex animali & rationali.*

Quid

Quid est Compositio Modalis?

Compositio Modalis est ex pluribus partibus, quarum una res, altera vero modus rei est: quæ proin modaliter inter se differunt. Sic *Homo sapiens*, ex homine & sapientia; *Acus* e ferro, & certa longitudine, atque acumine componitur.

CAPUT XVIII.

De Toto, & Partibus.

Quid est Totum?

TOtum est, quod habet partes: ut *Homo, respectu corporis, & animæ rationalis.*

Quomodo dividitur Totum?

Totum aliud est Essentiale vel Integrale; item Similare vel Dissimilare: quibus addunt vulgo Totum Numerale, Potentiale, & Perfectionale.

Quid est Totum Essentiale?

Totum Essentiale est, cujus partium una est ut potentia, altera ut actus, constituentium unam essentiam: ut *Petrus, respectu corporis, & animæ rationalis.*

Quomodo dividitur Totum Essentiale?

Totum Essentiale dividitur in Physicum, & Metaphysicum.

Quid est Totum Physicum?

Totum Physicum est, cujus partes sunt realiter distinctæ: ut *Corpus, respectu materiæ & formæ.*

Quid est Totum Metaphysicum?

Totum Metaphysicum est, cujus partes sola ratione distinguuntur: ut *Species, respectu Generis & Differentiæ.*

Quid est Totum Integrale?

Totum Integrale est, cujus quantitas a quantitate partium constituitur: uti *Homo, respectu capitis, cordis, brachiorum.*

Quid est Totum Similare?

Totum Similare est, quod constat ex partibus ejusdem specie essentiæ: ut, *Aqua, Lapis, Aurum.*

Quid est Totum Dissimilare?

Totum Dissimilare est, cujus partes materiales essentia specifica differunt: ut *Oculus, qui constat ex diversis humoribus, tunicis, nervis, musculis.*

Quid est Totum Numerale?

Totum Numerale, est numerus comprehendens pluralitatem aliquorum: sicut *duodenarius* dicit numerum Apostolorum; *quaternarius*, numerum elementorum.

Quid est Totum Potentiale?

Totum Potentiale est, quod importat multas potentias, easque actu continet: ut *Anima rationalis,* quæ habet diversas potentias, visivam, auditivam, discursivam.

Quid est Totum Perfectionale?

Totum Perfectionale est, quod attenditur secundum complementum substantiæ individualis: quomodo dicimus, *totus Deus, totus Angelus.*

Quid sunt Partes?

Partes sunt, sine quibus totum esse non potest. Sive: Pars est, quæ continetur a toto: ut *Anima rationalis, respectu hominis.*

Quotuplices sunt Partes?

Partes sunt vel Essentiales, vel Integrantes; Principales item, vel minus Principales.

Quid sunt Partes Essentiales?

Partes Essentiales sunt, ex quibus totum componitur: ut *Materia & Forma*, respectu corporis; *Genus & differentia*, respectu speciei.

Quid sunt Partes Integrantes?

Partes Integrantes sunt, ex quibus materia totius constituitur: ut *Caput*, *Cor*, *Pulmo*, respectu hominis.

Quid est Pars Principalis?

Pars Principalis, est pars integrans totius dissimilaris, sine qua forma non potest absolvere suam speciem: quales in homine sunt *Caput, & Cor.*

Quid est Pars minus Principalis?

Pars minus Principalis, est pars integrans totius dissimilaris, quæ abesse potest a composito, manente forma illius: ut *Manus in homine.*

CAPUT XIX.

De Universali, & Singulari.

Quid est Universale?

Universale est, cujus entitas est divisibilis in plures entitates tales, qualis est ipsa: ut *Homo*, cum dividitur in Petrum & Paulum. Dividitur autem

Uni-

Vniverſale, *ratione materialis*, ſive rei ſubſtratæ, *non ratione formalis*, ſive univerſalitatis: ſecus enim univerſale divideretur in alia univerſalia; quod in ſpecie ſpecialiſſima fieri nequit.

Quid eſt Singulare?

Singulare eſt, quod eſt indiviſibile in plura talia, quale eſt ipſum adæquate, hoc eſt, in quibus tota illius ratio includatur. Vt *Petrus*, cujus eſſentia non dividi & communicari poteſt pluribus entibus, quæ participent entitatem Petrinam.

CAPVT XX.

De Identitate, & Diſtinctione.

Quid eſt Idem?

IDem, eſt res una, explicata pluribus conceptibus. Ita, *conceptus animalis & rationalis in homine*, revera idem ſunt.

Quotupliciter aliquid dicitur Idem?

Idem tale eſt, vel Genere, vel Specie, vel Numero, vel Proportione.

Quæ ſunt Eadem Genere?

Eadem Genere ſunt, quæ ſub eodem Genere ponuntur: ut *Homo* & *Brutum* ſub animali.

Quæ ſunt Eadem Specie?

Eadem Specie ſunt, quæ ſub eadem Specie ponuntur: ut *Petrus* & *Paulus ſub homine*.

Quæ ſunt Eadem Numero?

Eadem Numero ſunt, quæ ſunt una numero res: ut *Homo*, & *Animal rationale*.

Quæ

Quæ sunt Eadem Proportione?

Eadem Proportione sunt, quæ conveniunt in uno prædicato, secundum proportionem de iis dicto: quomodo eadem sunt, *Caput hominis*, & *Christus*.

Quid est Distinctio?

Distinctio, est divisio unius ab altero. Sic distincta sunt, *Lumen*, & *Animal*.

Quotuplex est Distinctio?

Distinctio est vel Realis, vel Rationis.

Quid est Distinctio Realis?

Distinctio Realis est, quæ competit rebus, citra mentis operationem: ut *Homo*, & *Brutum*, distinguuntur, nemine cogitante.

Quid est Distinctio Rationis?

Distinctio Rationis est, quæ non competit rebus, citra mentis operationem: quomodo *Animal*, & *Rationale*, in homine intellectus distinguit.

Quomodo dividitur Distinctio Realis?

Distinctio Realis dividitur, vel in Specie talem, vel Modalem.

Quid est Distinctio Realis in Specie talis?

Distinctio Realis in Specie talis est, quæ est inter Ens & Ens, vel inter Ens & non-Ens, aut inter non-entia omnino diversa: ut inter *Petrum & Paulum*, inter *visionem & cæcitatem*; inter *tenebras & cæcitatem*.

Quid est Distinctio Modalis?

Distinctio Modalis est, quæ est inter rem aut ejus modum, aut inter modos ejusdem rei. Dicitur autem *Modus*, certa essentiæ determinatio, in ordine

ad certum ſtatum præſentiæ, unionis, aut alterius ſpecialioris modificationis: talis diſtinctio eſt inter *Paulum*, & *præſentiam Pauli*; itemque inter *ſubſiſtentiam*, & *exiſtentiam Pauli*.

Quotuplex eſt Diſtinctio Rationis?

Diſtinctio Rationis, eſt vel Rationis Ratiocinantis, vel Rationis Ratiocinatæ.

Quid eſt Diſtinctio Rationis Ratiocinantis?

Diſtinctio Rationis Ratiocinantis eſt, quæ non habet fundamentum ex parte objecti, ac non fit varietate & diſſimilitudine conceptuum formalium, ſed geminatione & repetitione ejusdem conceptus formalis: quomodo diſtinguitur *Enſis* à *Gladio*; *Petrus* a *ſeipſo*.

Quid eſt Diſtinctio Rationis Ratiocinatæ?

Diſtinctio Rationis Ratiocinatæ eſt, cum intellectus rem unam diverſis conceptibus exprimit, permotus tamen fundamento & occaſione aliquâ in re: quomodo *Animal* in homine diſtinguitur *a rationali*; cui diſtinctioni fundamentum in homine præbent diverſi actus ſentiendi & diſcurrendi.

CAPVT XXI.

De Subjecto, & Adjuncto.

Quid eſt Subjectum?

SVbjectum eſt, quod alteri ſubſtat, vel aliud in ſe recipit. Sic *Subſtantia* eſt ſubjectum accidentium; *Paries*, coloris.

Quo-

Quotuplex est Subjectum?

Subjectum aliud est Inhæsionis, vel Tractationis; aliud Denominationis, vel Informationis.

Quid est Subjectum Inhæsionis?

Subjectum Inhæsionis est, cui adjunctum inexistit atque inhæret: ut *Homo* est subjectum doctrinæ; *Paries* albedinis.

Quid est Subjectum Tractationis?

Subjectum Tractationis, quod alias Objectum dicitur, est, circa quod aliquid occupatur: sive, est id, quod alicui potentiæ proponitur, ut circa illud, vel in illo, aliquid agat. *Sic objectum visus est color; sutoris, corium.*

Quomodo dividitur Objectum?

Objectum est vel Adæquatum, sive Totale; vel Inadæquatum, sive Partiale.

Quid est Objectum Adæquatum?

Objectum Adæquatum est, quod æque late patet cum suo occupante, sive eo, quod circa illud versatur: ut *Corpus naturale, quatenus naturale, Physicæ est objectum adæquatum.*

Quid est Objectum Inadæquatum?

Objectum Inadæquatum est, quod angustius est suo occupante: ut *Cœlum* est objectum Physicæ inadæquatum.

Quid est Subjectum Denominationis?

Subjectum Denominationis, est totum compositum, ab adjuncto suo denominatum: ut, *Homo, doctrinæ; Corpus, quantitatis* subjectum est. Dicitur alias *Subjectum Quod.*

Quid est Subjectum Informationis?

Subjectum Informationis, est pars aliqua totius, primo & directe affecta, atque informata ab aliquo adjuncto; Sic *Anima rationalis subjectum est eruditionis.* Dicitur alias *Subjectum Quo.*

Quid est Adjunctum?

Adjunctum est, quod rei essentiam consequitur vel ei supervenit. Sic *Color est adjunctum parietis.*

Quomodo dividitur Adjunctum?

Adjunctum dividitur in Commune, & Proprium.

Quid est Adjunctum Commune?

Adjunctum Commune est, quod ita alicui inest, ut etiam aliis diversis speciebus conveniat: uti *Albedo, respectu Hominis & Cygni.*

Quid est Adjunctum Proprium?

Adjunctum Proprium est, quod uni tantum per se convenit, & non pluribus: ut *Risibilitas respectu hominis.*

CAPUT XXII.

De Signo & Signato, Mensura & Mensurato.

Quid est Signum?

Signum est, quod potentiæ cognoscenti aliquid repræsentat: ut *Fumus* signum est ignis; *Hedera suspensa* vini venalis.

Quo-

Quotuplex est Signum?

Signum aliud est Proprium, vel Improprium; Necessarium, vel Contingens; Naturale, vel Arbitrarium; Rememorativum, vel Prænunciativum; Pure significativum, vel Exhibitivum; denique Doctrinale, vel non-Doctrinale.

Quid est Signum Proprium?

Signum Proprium est, quod ita in cognitionem alterius nos ducit, ut ad hoc a natura, vel ab alio sit ordinatum: ita *Conceptus* & *Voces* sunt signa propria; quia ad nihil aliud ordinata sunt, quam ut significent sive repræsentent aliquid. Sic *Imago* repræsentat suum exemplar, ad quod per imitationem est expressum.

Quid est Signum Improprium?

Signum Improprium est, quod signat quidem; non tamen vel a natura, vel aliunde, ad hoc signandum est ordinatum: quales sunt *effectus*, respectu causarum; ut *Eclipsis Lunæ*, significat terram esse interpositam inter Solem & Lunam.

Quid est Signum Necessarium?

Signum Necessarium est, quod rem, cujus est signum, necessario indicat: uti *respiratio in animali* signum est vitæ. Sic *miracula Christi* fuere signum ipsius Divinitatis.

Quid est Signum Contingens?

Signum Contingens est, quod non necessario signat: ut *gladius cruentatus* non est certum signum cædis humanæ, potest enim esse cruentus ex fera occisa.

Quid est Signum Naturale?

Signum Naturale est, quod naturali vi, aliud, tanquam signatum, repræsentat: sicut *Fumus* respectu ignis.

Quid est Signum Arbitrarium?

Signum Arbitrarium est, quod significat ex arbitrio & ordinatione extrinseca: uti *elevatio digitorum* signum est juramenti.

Quid est Signum Rememorativum?

Signum Rememorativum est, quod signat aliquid præteritum; sic *cineres relicti* significant adfuisse ignem.

Quid est Signum Prænunciativum?

Signum Prænunciativum est, quod signat aliquid futurum: ut *vulnus acceptum in corde*, mortem secuturam. Sic, *Pallida Luna pluit, rubicunda flat, alba serenat.*

Quid est Signum Pure-Significativum?

Signum Pure-Significativum est, quod tantum signat: ut *hedera suspensa* signum est vini venalis.

Quid est Signum Exhibitivum?

Signum Exhibitivum est, quod una exhibet id, quod signat: uti *Sacramenta* sunt signa visibilia invisibilis gratiæ, eamque simul fidelibus exhibent, ac in iis obsignant.

Quid est Signum Doctrinale?

Signum Doctrinale est, quo in docendo utimur; uti sunt *Voces, Scripta.*

Quid est Signum non-Doctrinale?

Signum non-Doctrinale est, quo in docendo non utimur: uti *Fumus* significat ignem.

Quid est Signatum?

Signatum, est res, quæ per signum potentiæ cognoscenti repræsentatur: ut *ignis* est signatum fumi; *vinum venale* hederæ suspensæ.

Quid est Mensura?

Mensura, est signum, quod notificat quantitatem sive perfectionis, sive extensionis, sive intensionis, sive successionis, sive denique multitudinis.

Quid est Mensuratum?

Mensuratum, est quantitas, quæ cognoscitur.

CAPVT XXIII.

De Finito, & Infinito.

Quid est Finitum?

FInitum est, quod habet terminos suæ perfectionis, & non includit omnem perfectionem possibilem: ut *creatura*.

Quid est Infinitum?

Infinitum est, quod non habet terminos suæ perfectionis, sed includit omnem perfectionem possibilem: ut *Deus*.

Quot modis Deus dicitur Ens infinitum?

Deus Ens infinitum dicitur 4. modis: 1. ratione Essentiæ: 2. ratione Perfectionis: 3. ratione Durationis: 4. ratione Præsentiæ.

CAPUT XXIV.

De Completo, & Incompleto, aliisque Entis Differentiis.

Quid est Ens Completum?

ENs Completum, est totum aliquod, vel eo modo concipitur: ut *Deus*, *Angelus*, *Homo*.

Quid est Ens Incompletum?

Ens Incompletum, est pars alterius, vel ad modum partis concipitur: ut, *Anima*, *Corpus*, *Rationalitas*.

Quid est Ens Absolutum?

Ens Absolutum est, quod non habet respectum ad aliud: ut *Homo*, *Albedo*.

Quid est Ens Respectivum?

Ens Respectivum est, quod involvit respectum ad aliud: ita *pater* dicit respectum ad filium; *potentia* ad objectum.

Quid est Ens Permanens?

Ens Permanens est, quod non habet partes sui esse fluentes: ut *Deus*, *Homo*, *Corpus*, *Quantitas*.

Quid est Ens Successivum?

Ens Successivum est, quod habet partes sui esse in fluxu, sive in successione, ita, ut non possit ejus tota essentia simul esse: ut *Annus*, *Dies*, *Hora*.

Quid est Ens Materiale?

Ens Materiale est, quod in longum, latum, & profundum est extensum: ut *Corpus naturale*.

Quid

Quid est Ens Intellectuale?

Ens Intellectuale est, quod intelligendo & volendo vivit.

PARS SPECIALIS.

De Deo, & Angelis, itemque Anima humana.

Quotupliciter accipitur vox Spiritus?

VOx Spiritus accipitur dupliciter: uno modo *Physice*, pro corpusculo subtili & tenui: & talis est spiritus, ex ore respirantis egrediens. Alio modo accipitur *Metaphysice*, pro substantia materiæ experte, quæ contradistinguitur corpori. Ea significatio est hujus loci.

Quid est Deus?

Deus est spiritus infinitus: sive, Deus est actus purus, omnis compositionis expers: quo nihil majus, nihil melius, aut præstantius excogitari potest: & in quo nulla penitus imperfectio, nec ullius veræ perfectionis defectus locum habent: quique omnes res condidit ac conservat: ipse factorem & conservatorem nullum agnoscens.

Unde probatur Dei existentia?

Quia, etiam secundum saniorum Gentilium effatum, omnes homines, ratione utentes, summa ope niti decet, ut Deum semper pura, integra, incorrupta, & mente, & voce venerentur, ideo quisque de illius existentia debet esse persuasissimus. Ea vero, inter cætera, sequentibus argumentis probatur indubie.

I. Deum esse, evincit ipsa illa, ceu Epicurus vocabat, προλήψις, hoc est, uti Cicero, 1. de Nat. Deor. interpretatur, *anticipatio sine doctrina*, omnium hominum mentibus de Dei existentia, alte infixa & implantata. Nec ulla gens tam fera & extra leges moresque projecta unquam fuit, quæ non esse vim aliquam & naturam divinam crediderit. *Cum igitur*, quæ Velleji Epicurei, apud Ciceronem, l. 1. de Nat. Deor. verba sunt, *non instituto aliquo, & more, aut lege sit opinio constituta, maneatq; ad unum omnium firma consensio, intelligi necesse est esse Deos; quoniam insitas eorum, vel potius innatas cognitiones habemus. De quo autem omnium natura consentit, id verum esse necesse est.* Quod si ullis unquam seculis, pauci quidam singulares homines reperti, qui Dei existentiam negarunt, id haud aliter ab iis factum, quam debellando prius, & cum violentia extrudendo illam connatam de Deo notitiam; quam tamen ita expellere non potuerunt, quin subinde, in calamitate aliqua, aut agone mortis constitutis, conscientia scilicet officium faciente, rediret. Nec fere alii Deum existere negarunt, quam quibus, Deum nullum esse, expediebat. Hinc tale profluit argumentum: *Quicquid omnium hominum mentibus naturaliter est impressum, illud verum sit, necesse est. Atqui, Deum existere, omnium hominum mentibus naturaliter est impressum. Ergo, Deum existere verum sit, necesse est.*

II. Tota *hujus mundi machina*, & partes ejus in cœli quasi sinu conclusæ, atque ordine admirabili dispositæ, satis loquuntur non casu hæc confluxisse, sed ab intellectu, & quidem excellentissimo, hoc est Deo, esse constituta. Nam, quis adeo stultus est, ut a casu aliquid tam accuratum exspectet? Quasi credat,

dat, casu lapides & ligna in domus speciem coalitura; aut rotarum in molendino hydraulico implicationes, & ab allapsu aquæ motum, illam infundibuli figuram, excussorii tremorem, granorum procidentiam, & lapidum molarium rotationes, a casu sic accidere: aut ex jactis forte literis, exstiturum poëma: cum & qui figuras geometricas in litore viderat, hominis se dixerit videre vestigia; satis perspiciens, a casu talia proficisci non potuisse. Collectio talis est: *Effectus excellentissimus arguit causam excellentissimam effectricem. Atqui mundus hic est effectus excellentissimus. Ergo mundus hic arguit causam excellentissimam effectricem.* Afferamus nunc Ciceronis huc pertinentia verba, ut intelligatur, veram esse hanc collectionem, & vim pridem eam habuisse in animis Gentilium. Sic vero ille, lib. 2. de Nat. Deor. *Quid potest esse tam apertum, tamq; perspicuum, cum cœlum suspeximus, cœlestiaq; contemplati sumus, quam esse aliquod Numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur? Quod qui dubitat, haud sane intelligo, cur non idem, Sol sit, an nullus sit, dubitare possit. Quid enim est hoc illo evidentius?* Idem amplius confirmant, quæ sequuntur, Aristotelis, apud eundem Ciceronem, illo ipso libro, verba: *Si essent, qui sub terra semper habitavissent, bonis & illustribus domiciliis, quæ essent ornata signis & picturis, instructaq; iis omnibus, quibus abundant ii, qui beati putantur, nec tamen exissent unquam supra terram; accepissent autem fama & auditione, esse quoddam Numen & vim Deorum; deinde aliquo tempore, patefactis terræ faucibus, ex illis abditis sedibus evadere in hæc loca, quæ nos incolimus, atq; exire potuissent: cum repente terram, & maria cœlumq; vidissent, nubium magnitudinem, ventorumq;*

vim cognovissent, aspexissentq; Solem, ejusq; tum magnitudinem pulchritudinemq;, tum etiam efficientiam cognovissent, quod is diem efficeret, toto cœlo luce diffusa; cum autem terras nox opacasset, tum cœlum totum cernerent astris distinctum & ornatum, Lunæq; luminum varietatem, tum crescentis, tum senescentis, eorumq; omnium ortus & occasus, atq; in omni æternitate ratos immutabilesq; cursus: hæc cum viderent, profecto, & esse Deos, & hæc tanta opera Deorum esse, arbitrarentur. E quibus patet clarissime, quam vere de Gentilibus dixerit Apostolus, Rom. I, 19. 20. *Quod notum est Dei, manifestum est in illis: Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoq; ejus virtus, & divinitas: ita ut sint inexcusabiles.*

III. Si *plantarum, animalium, rerumq; naturalium omnium, imprimis vero humani corporis admirabilem constructionem*, intus & extra quis respiciat; quomodo nihil desiat, nihil abundet, & ut omnia ibi, etiam minima, suos usus habeant, nullo agentis naturalis studio aut industria ita parata, liquido ea ostendunt, opificem istorum esse mentem excellentissimam. Ob finem enim agere, & habitudines rerum fini adaptare, non nisi intelligentis est naturæ. Sic argumentamur: *Cujuscunq; effectus pulchritudo exsuperat potentiam agentis finiti, illa arguit potentiam agentis infiniti. Atqui corporis humani pulchritudo exsuperat potentiam agentis finiti. Ergo pulchritudo humani corporis arguit potentiam agentis infiniti.*

IV. Cum *Anima nostra rationalis, utpote incorporea, suo corpori unita non sit per contactum quendam physicum*, neque etiam mediante vinculo, vel corporeo,

poreo, vel incorporeo; (hoc enim utramque partem uniendam deberet tangere; quod tamen fieri nequit,) neque adeo alia unionis ratio, aut vinculum aliud superſit, præter mutui illius commercii cauſam, h. e. vim illam, quæ animam noſtram in corpus, & hoc viciſſim in iſtud agere facit; hæc ipſa autem vis a corpore non ſit, utpote quod agere natura ſua nihil poteſt, niſi moveatur ab alio; nec ab anima, quæ, imbecillitatis ſuæ conſcia, ne pulviſculum quidem loco ſe movere poſſe, novit; nec denique a mutuo partium conſenſu dependeat, cum corporis nullus eſſe poſſit conſenſus: conſequens igitur eſt, mutuum hoc animæ cum corpore commercium, ab alia potentiore virtute pendere. Sic inferimus: *Quarumcunq; rerum conjunctio per naturæ vires fieri non potuit, illas causa infinita conjunxerit, neceſſe eſt. Atqui Animæ & Corporis conjunctio, per naturæ vires fieri non potuit. Ergo Animam & Corpus infinita cauſa conjunxerit, neceſſe eſt.*

V. Cum totus hic mundus aſpectabilis, ejusque partes univerſæ ac ſingulæ, ab uno momento ad alterum *continuent exiſtentiam ſuam, atq; ſic ſingulis momentis totæ quaſi producantur*, hanc vero continuationem a ſeipſis non habeant, neque etiam exiſtentiæ momentum anterius inferat neceſſario exiſtentiæ momentum poſterius, neceſſe eſt, exiſtere talem cauſam, res omnes conſervantem, quæ non opus habeat conſervari ab alia, & ſit a ſeipſa. Formalis illatio ſic ſe habet: *Quarumcunq; rerum conſervationem cauſa finita præſtare nequit, illa dependet a cauſa infinita. Atqui rerum creatarum conſervationem cauſa finita præſtare nequit. Ergo rerum creatarum conſervatio dependet a cauſa infinita.*

VI. Va-

VI. Vanum est, quod Athei nobis objiciunt, *illam essentiam Divinam, quam admittimus, esse incomprehensibilem*, & a nobis id concedi, quod intellectus non assequitur. Quippe, cum Divina essentia infinita sit, mirum nullum, eam finiti intellectus limites excedere. At, hac una & sola incomprehensibili essentia admissa, tota quasi natura fit comprehensibilis, & nullo negotio rationem reddere licet rerum infinitarum, quæ cæteroqui evadit prorsus inexplicabilis. Nimirum, *Materia* existit, quia Deus eam creavit. *Motus* inest rebus, quia Deus illum rebus indidit, & in iisdem conservat. *Montes* existunt, quia Deus, ut existerent, voluit. *Homines* extant, quia originem trahunt a viro & fœmina, Deum formatorem habentibus. *Bruta animantia* extant, quia Deus, cum crearet hanc mundi machinam, in ea, pecudes agere, & speciem suam assidue novis generationibus conservare jussit. Cæterum, rejiciendo unicam essentiam incomprehensibilem, simul eo ipso incomprehensibilis evadit mundus hic, cum omnibus suis partibus. Scilicet, qui sic animati sunt, coguntur in omnibus rebus admittere progressum in infinitum causarum ab invicem dependentium, ita ut nunquam ad causam primam & independentem proveniant: qua re nihil magis est incomprehensibile, nihilque magis rationi adversum. Nam, si quæras: Quare hic homo vitam vivit? respondeant, necesse est: quia a tali patre prognatus fuit, ejusque pater ab isto patre, & sic in infinitum. Si percunteris: Quare iste Leo reperitur in terra? dicant, oportet: quia genitus fuit a Leone alio, & sic in iufinitum. Vbique igitur, & fere in quaque re minima, hoc modo infinitas & incomprehensibilitas sese offerunt. Neque est: ut dicant, Mundum, &

in eo Viventia, resque cæteras, aliquando e materia forte fortuna sic prodiisse. Cum enim materia, rudis quippe indigestaque moles, seipsam movere non possit, æternumque quiescat, nisi ab alio moveatur: quæritur: Ecquæ ingentis illius commotionis materiei, qualis ad mundi machinam, quæque ejus sinu continentur, producenda requiritur, causa fuerit? Certe Motore infinito opus erat. Quam absurdum quoque est, negare Creatorem æternum, & ejus loco introducere materiam, quæ ex sese ab omni æternitate, sine causa & principio, extiterit? Et vero, finge, res aliquas inanimas, post varias materiæ undecunque tandem ortas alterationes, emergere potuisse; quomodo materia, quæ vita & intellectu priva est, quæ nihil cogitat, nihil perspectum habet, progignere potuit ex sese entia, quæ vivunt, quæ cogitant, & judicio fruuntur? Verset quis in omnes partes materiam, aut versandam aliis causis concedat, nunquam videbit inde prognasci taurum, aut leonem: cum adeo nullis quidem historiarum monumentis proditum sit, unquam vel montem aliquem prægrandem, coacervatione quadam materiæ, in quam proclivis illa est, iis in locis se exseruisse, ubi prius non fuerat.

Quomodo probatur, Deum esse Unum?

Deum esse Unum, probatur: I. Quia, si duo essent, aut plures Dii, libere agentes & volentes, possent contraria velle, ac impediretur alter ab altero, quo minus, quod vellet, efficeret: quæ Deo indigna sunt. II. Si plures Deos ponas, jam nihil causæ est, cur magis duo, quam tres, aut mille, quam decem, credantur. III. Si plures essent Dii, necesse foret, ponere in singulis diversis diversas quasdam proprietates, hoc est, perfe-

ctiones,

ctiones, quibus inter se discriminentur; quod Divina natura neutiquam admittit. IV. In toto hoc universo, nihil oculis nostris se offert, quod aliquam nobis præbeat occasionem existimandi plures esse Deos. V. Etiam Gentiles, vel, unum Deum esse, aperte dixerunt, vel, si plures fassi sunt Deos, omnes alios uni cuipiam subditos esse docuerunt. At, qui alteri subjectus est, Deus haberi non potest. Eminere enim, vel supra omnia esse, & Deum existere, reciprocantur. VI. Tanta est, tamque admirabilis omnium mundi partium conspiratio in unum finem, ut non modo ab uno opifice factus ac colligatus sit, sed etiam uno veluti spiritu, per ejus membra permeante, contineri ac vegetari videatur. VII. Si alius esset Deus, præter unum, oporteret, eum esse pariter interminatum, seu infinitum. Non possunt autem duo infinita simul consistere: permearent enim se invicem, non quidem penetratione dimensionum; cum in re immensa nulla dimensio sit: sed ita, ut duarum essentiarum infinitarum ex omni parte commixtio consequeretur; quo nihil absurdius cogitari potest.

Anne Deo conveniunt Affectiones?

Affectiones Deo conveniunt, non in rigore, sed latius acceptæ. Affectio enim, *in rigore* sumta, debet a subjecto realiter esse distincta. At, *late accepta affectio*, ea dicitur, quæ demonstrari potest de subjecto. Cum igitur Deus sit aliquid scibile, affectiones aliquo modo de eo prædicantur & demonstrantur.

Quotuplices sunt Dei Affectiones?

Affectiones Dei sunt vel Absolutæ, vel Respectivæ.

Quid

Quid sunt Affectiones Dei Absolutæ?

Affectiones Dei Absolutæ sunt, quæ Deo conveniunt, sine respectu ad aliquod extrinsecum; uti hæ *Negativæ:* Indepedentia, Infinitas, Immensitas, Immutabilitas: itemque hæ *Positivæ:* Omnipotentia, Omniscientia, Æternitas.

Quid est Independentia Dei?

Independentia Dei est, qua Deus concipitur ab alio non effectus.

Quid est Infinitas Dei?

Infinitas Dei est, qua Deus non habere terminos suæ perfectionis intelligitur.

Quid est Immensitas Dei?

Immensitas Dei est, qua Deus nullo spatio commensurari, aut includi posse significatur, sed in omni ubi, quod cogitabile est, existit.

Quid est Immutabilitas Dei?

Immutabilitas Dei est, qua Deus omnis mutationis expers esse concipitur.

Quid est Omnipotentia Dei?

Omnipotentia Dei est, qua Deus facere potest omne id, quod, ut fiat, contradictionem non implicat.

Quid est Omniscientia Dei?

Omniscientia Dei est, qua Deus omnia, simplici essentiæ suæ intuitu, præsentia, præterita, & futura, præsentissima habet.

Quid est Æternitas Dei?

Æternitas Dei est, qua Deus essentiæ suæ nec initium, nec finem habere intelligitur.

Quid sunt Affectiones Dei Respectivæ?

Affectiones Dei Respectivæ sunt, quæ Deo conveniunt, cum respectu ad creaturas: atque hæ sunt, vel Internæ, vel Externæ. *Internæ*, sunt Misericordia, Justitia, & Omnipræsentia. *Externæ*, sunt Creatio, Providentia, & Cooperatio.

Quid est Misericordia Dei?

Misericordia Dei est, qua Deus pronus est ad ignoscendum, & succurrendum.

Quid est Justitia Dei?

Justitia Dei est, qua Deus suum cuique tribuit.

Quid est Omnipræsentia Dei?

Omnipræsentia Dei est, qua Deus omnibus creaturis præsens esse intelligitur.

Quid est Creatio Dei?

Creatio Dei, est productio substantiæ ex nihilo.

Quid est Providentia Dei?

Providentia Dei est, qua Deus res a se conditas conservat.

Quid est Cooperatio Dei?

Cooperatio Dei est, qua causa prima cum omni actione causæ secundæ concurrit.

Quomodo dividitur Scientia Divina?

Scientia Divina dividitur in Naturalem, Liberam, & Mediam.

Quid est Scientia Dei Naturalis?

Scientia Dei Naturalis, seu Simplicis Intelligentiæ est, qua Deus cognoscit omnes res, sub objecto potentiæ suæ contentas, quæ esse actuale sive habuerunt, sive habent, sive habituræ sunt: quin etiam eas, quæ non

non ſolum nunquam eſſe habuerunt, aut habent, aut habituræ ſunt; produci tamen ſunt poſſibiles.

Quid eſt Scientia Dei Libera?

Scientia Dei Libera eſt, qua Deus cognoſcit eas res, quæ, per liberum voluntatis ſuæ arbitrium, eſſe actuale aliquando ſive obtinuerunt, ſive obtinent, ſive adepturæ ſunt.

Quid eſt Scientia Dei Media?

Scientia Dei Media eſt, qua Deus cognoſcit illas res, quæ eſſe actuale non habent, nec habituræ ſunt, nec etiam habuerunt; futuræ tamen eſſent, ſi tales vel tales circumſtantiæ aut conditiones in creaturis ponerentur.

Quomodo Deus eſt Perfectus?

Deus eſt Perfectus, quia non tantum nihil ei deeſt eorum, quæ ad eſſentiam ſuam exiguntur, ſed & perfectiones omnes, in genere entis poſſibiles, in ſe comprehendit, atque alias quidem *Formaliter* habet, alias *Eminenter*.

Quas Perfectiones Deus habet Formaliter?

Formaliter illas Perfectiones Deus habet, quæ de ſe nullam involvunt imperfectionem: ut *Sapientia, Bonitas*.

Quas Perfectiones Deus habet Eminenter?

Eminenter Deus illas Perfectiones habet, quæ, cum non ſimpliciter ſint perfectiones, ſed in certo tantum entis genere, atque adeo ignobiliores, quam ut in optimam ſubſtantiam cadere poſſint, poſſunt tamen a Deo virtute eminentiore produci, & in rerum natura collocari: ut *potentia edendi, bibendi, currendi*.

Quomodo demonstratur, inesse Deo Perfectiones formaliter, easq; infinite?

Cum a nihilo nihil fiat eorum, quæ sunt, sequitur, ut quæ in effectis apparent perfectiones, & quæ in causa sunt, ut secundum eas causa aliquid operetur; omnes fuerint in prima causa. Neque prima causa ulla perfectione postea orbari potuit: *non aliunde;* quia quod æternum est, aliunde non pendet, neque quicquam ab aliena actione patitur: *neq; vero a se,* quia natura omnis suam perfectionem appetit. Sunt vero hæ perfectiones *in Deo modo infinito:* quia attributum cujusque finitur, aut quia causa, per quam existit, tantum, nec plus, ei communicavit; aut quia ipsa tantum, nec amplius, capiebat. Deo autem nulla natura quicquam sui communicat: nec ipse aliunde capit quicquam. Cum vero apertissimum sit, perfectiora dici ea, quæ vivunt, iis, quæ non vivunt; quæ agendi pollentiam habent, iis, quæ non habent; quæ intelligunt, non intelligentibus; quæ bona sunt, his, quæ minus sunt talia; sequitur ex his quæ dicta sunt, hæc omnia attributa Deo convenire, & quidem infinite. Itaque esse eum vitæ infinitæ, id est, *Æternum:* pollentiæ immensæ, id est, *Omnipotentem:* sic & *Omniscientem*, & omnino, sine ulla exceptione, *Bonum.*

Quid est Angelus?

Angelus est Spiritus finitus, independens a corpore.

Quomodo probatur Existentia Angelorum?

Existentia Angelorum probatur a posteriori, hoc est ex effectibus quibusdam mirabilibus, qui, cum nonnunquam tales sint, ut potentiam & virtutem agendi huma-

humanam excedant, nec vero a ſubſtantiis homine inferioribus, quin nec ab ipſo Deo, (cum interdum mali ſint, aut cum malo conjuncti,) proficiſci queant, arguunt, dari diſtinctas ab his ſubſtantias; easque intelligentes, quæ tam inſignes & ſtupendos effectus edant.

Quomodo Angeli ſunt Simplices?

Angeli Simplices ſunt, propter abſentiam partis corporeæ, & partium quantitativarum; interim alias admittunt compoſitiones, quales ſunt, Eſſentiæ & Exiſtentiæ; Generis & Differentiæ; Subjecti & Accidentis. Quæ omnia dicunt compoſitionem aliquam, vel Realem, vel Rationis: Realem, quando inter extrema eſt diſtinctio realis: Rationis, quando extrema non niſi ratione diſtinguuntur.

Quòmodo probatur, Angelos eſſe incorruptibiles?

Cum Angeli non conſtent ex materia & forma, ſed ſint ſubſtantiæ ſimplices, non poſſunt corrumpi, nec a ſui natura, nec ab ullo agente creato. Nempe, quia nec pendent in fieri & conſervari ab ejusmodi agentibus: neque ab iis aliquid accipere poſſunt, quod illorum exiſtentiæ repugnet.

Ecquis eſt Angelorum numerus?

Angelorum numerum eſſe maximum, incertum tamen, patet ex illo Danielis 7. *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei.* Scilicet, ſicut terreni Reges, quo ſunt potentiores & ditiores, eo majore ſervorum & militum caterva ſtipati incedunt: ita etiam Deum, cum ſit Rex Regum, & Dominus Dominantium, & cujus poteſtas eſt infinita, æquum erat, innumeram Ange-

lorum multitudinem creare, qui ei assisterent, ejusque jussa capesserent.

Possunt ne Angeli assumere corpora?

Angeli possunt 1. assumere corpora animata; ut patet in dæmoniacis. 2. corpora emortua; cum hæc minus resistant. 3. possunt assumere corpora ex aëre, aliave materia confecta: valent enim condensare vapores & exhalationes in modum nubium, aliorumque corporum consistentium, & impedire, ne talis materia dissolvatur, aut diffluat. Neque necesse est, quod quidam volunt, ut Deus concurrat, ad confectionem corporum ejusmodi, concursu aliquo speciali; cum enim dæmones etiam ob malos fines corpora assumant, minime convenit dicere, Deum, ut causam specialem, ista præparare. Non fit autem ex Angelo & corpore ejusmodi unum compositum per se, aut unum suppositum: secus enim Angelus haberet rationem formæ, & corpus materiæ; quod est absurdum. Proinde, nec tale corpus Angelus informat substantialiter & vitaliter, sed tantum per accidens illi conjungitur, sicut motor mobili. Hinc, etsi ex Scriptura constat, Angelos in assumtis corporibus loqui, ambulare, comedere, aliasve operationes reales exercere, quæ, quoad entitatem & substantiam, magnam habent convenientiam cum actionibus, quas nos vitaliter exercemus, loquendo, ambulando, comedendo: nondum tamen sequitur Angelos vere operationes vitales exercere. Etenim, ut illæ operationes fiant modo vitali, debent procedere a potentia vitali, & exerceri per certa instrumenta, ad id a natura ordinata; quod hic neutiquam locum invenit. Etsi enim Angelus, in corpore assumto, profert sonos similes humanæ locutioni,

cutioni, non tamen proprie loquitur; ſicut etiam non proprie comedit, aut ambulat, etſi cibos deglutit, & corpus de loco in locum promovet. Iſtæ enim actiones proprie acceptæ, præter entitatem materialem, dicunt maxime ordinem ad virtutem quandam vitalem, in membris exiſtentem, per quam fiunt, & ad rationem, per quam diriguntur: quæ Angelis tribui non poſſunt, quando in corporibus aſſumtis tale quid operantur.

Qualis eſt præſentia Angelorum in loco?

De Corporibus ſciendum eſt, quod cum illorum ſubſtantia extenſa & quanta ſit, adeoque partes diverſas habeat, ita illa in aliis corporibus eſſe, ut magnitudo, & partes eorum, magnitudine & partibus loci commenſurentur. Vnde non tantum unum corpus proprie eſt in altero, cujus ambitu continetur, ſed ita loco ſuo ineſt, ut unaquæque pars ejus, loci certæ parti, ipſumque totum, toti loco adæquetur. Hinc fit etiam, ut nec plura corpora in uno corpore tertio, ſeu uno loco, nec unum idemque corpus, ſecundum diverſas partes ſuas, in una eademque parte loci contineri poſſit; ſicut nec plures homines in uno loco eſſe poſſunt, nec unus homo ita in uno loco, ut, ubi caput habet, ſimul & manus & pedes ſint. Ratio eſt: quia, quod corpori alicui exacte commenſuratur, illius magnitudinem ita corpus illud recipit, ut præter capacitatem, qua illud admittit, nullam præterea habeat, qua aliam magnitudinem ſuſcipere poſſit: & cum pars parti commenſuratur, ita pars loci, parti huic aut illi corporis contenti coëxtenditur, ut alii ſimul parti adæquari nequeat. Jam, de Angelis aliter ſe res habet. Quia enim quantitatem, ſeu extenſionem, & partes

non habent, ſic nec in rebus aliis, ſecundum extenſionem, aut partes has vel illas, eſſe poſſunt, ſed, ubicunque ſunt, inextenſe atque toti indiviſibiliter exiſtunt. Vnde fit, 1. ut Angelus non in minimo tantum corpore ſeu loco, & minima quaque corporis ſeu loci ejus parte, ſed in quovis etiam puncto indiviſibili, tota ſua ſubſtantia contineri poſſit. Nec enim certam magnitudinem loci, aut partium ejus expoſcit, quod magnitudinis expers eſt, & partes non habet. 2. Fit hinc, ut innumeri Angeli ſimul in uno loco aut ſpatio eſſe poſſint. 3. Fit quoque hinc, ut non tantum plures Angeli in uno loco, corporibus vacuo, ſed etiam corporibus pleno, eſſe poſſint. 4. Evenit denique inde, ut Angelus totus, non tantum in toto loco, ſed totus etiam in omnibus & ſingulis ejus partibus exiſtat: ubicunque enim eſt, totus eſt; quia partes non habet. Eſt autem in certo loco, & partibus illius: Ergo & totus in iſto, & in illis. Interim ſic uno loco continetur, ut ſimul & eodem tempore, vi naturæ ſuæ, in pluribus exiſtere nequeat. Scholaſtici locum corporum, proprie *locum circumſcriptivum*; Angelorum, *Vbi*, & *locum definitivum* appellant. Eſt enim Angelus in loco, per præſentiam ad locum, ſeu per indiſtantiam ſuæ ſubſtantiæ a ſpatio, in quo eſt.

Qualis eſt Cognitio Angelorum?

Cognitio Angelorum, non eſt tantum ſimplex rerum apprehenſio, verum etiam compoſitio atque diviſio, nec non ratiocinatio. Non enim una & prima apprehenſione ſtatim intelligunt, quæ poſſunt ſubjecto attribui, aut ab eo removeri. Poteſt autem Angelus naturaliter certo cognoſcere effectus, ex cau-

causis naturalibus contingenter futuros; non vero eos, qui ex libero arbitrio contingenter futuri sunt. Quod enim ad priores attinet, quia ejusmodi effectus sunt determinati in suis causis, ergo certo possunt cognosci ab Angelo, non minus quam ii, qui ex necessitate a causis naturalibus oriuntur. At, actiones, quæ ex mero libero arbitrio dependent, non possunt cognoscere Angeli; nec enim eas cognoscunt in suis causis, cum hæ sint indifferentes ad utrumlibet; neque etiam in seipsis, quia rem, quæ nondum ulla ratione existit, sic, ut aliquando in seipsa erit, cognoscere, proprium est intellectus infiniti.

Quomodo Angeli conceptus suos invicem manifestant?

Angeli conceptus suos invicem manifestant, & quodammodo loquuntur, dum voluntatem suam ita dirigunt, ut velint aliis sensa animi declarare. Vbi quidem Deus subsidio venit, & quam alter alteri vult cogitationem manifestare, per speciem intelligibilem, in alterius intellectu productam, veluti significat.

Quid est Anima Humana Separata?

Anima Humana Separata, est spiritus finitus, incompletus, præditus naturali propensione ad corpus, extra quod existit.

Vnde probatur Animæ nostræ Spiritualitas?

Animæ nostræ Spiritualitas seu Immaterialitas, probatur ab operationibus ejus, intellectione, & volitione: hæ enim sunt a corpore independentes. Quippe, *Intellectio* versatur circa res etiam spirituales,

Deum videlicet,& Angelos: quas percipere non posset, nisi aliquo modo illis esset proportionata, atque ipsa quoque spiritualis naturæ. *Voluntas* autem & ipsa a materia independens est, quia neque organis corporeis indiget, ad actus suos eliciendos, neque ab ullo agente materiali impediri directe in operationibus suis potest. Præterea, eadem voluntas nostra *naturaliter inclinatur ad bona immortalia*, & supra conditionem corporis posita: quod vel ipse innatus appetitus immortalitatis, & scientiæ rerum præclarissimarum indicat. Insuper Voluntas apta nata est, ut bonis mere spiritualibus, quæ corpus sensusque corporeos nec perficiunt, nec reficiunt, nec afficiunt, imo carni vel corpori sunt adversa, (in quem censum Fortitudo, Temperantia, Contemtus rerum mundanarum &c. referuntur,) sese oblectet. Non dependet ergo in his oblectamentis a corpore, quin potius illi, & appetitui sensitivo repugnat, huncque coërcet. Ac proinde, ut independens a corpore, & spiritualis sit, necesse est. Vnde vero insuper credamus, tot artes, tot scientias, tot inventa nasci potuisse, nisi a causa aliqua, mortali conditione longe superiore? Idem porro ostendit *insita omnium hominum mentibus notitia de Deo*, & Religione, conscientia admissorum scelerum, metus superstitis alicujus post mortem judicii. Quorum omnium consideratio convincit nos, convenire animæ nostræ alium aliquem statum, quam qui est brutorum, aut rerum aliarum materialium.

Vnde probatur Animæ nostræ Immortalitas?

Immortalitas Animæ humanæ liquido probatur, ex ipsa æterna permanentia corporum. Cum enim corpus ab anima separatum minime intereat, quamobrem

pari-

pariter fieri nequit, ut anima, a corpore separata, extinguatur. Et vero, omnimodam abolitionem rei alicujus existentis ne mente quidem concipere licet. Quippe, nullum ejus rei Natura exemplum exhibet, omnisque ratio illi reclamat. Ergo, quomodo fieri potest, ut, imaginationi & intellectui vim faciendo, abolitioni quis subjiciat rationalem Animam, a qua omnia, quæ semel extitere corpora, immunia sunt, & quorum nullum, modo semel cœperit, esse nunquam desinit. Hoc est, quomodo credat quis, Animam, quæ infinitis modis corpus antecellit, annihilationi esse obnoxiam, a qua, quicquid in natura est corporum, excipitur? Scilicet, cum Animam immaterialem esse probatum & evictum sit, similes alterationes & mutationes, quæ corporibus propriæ sunt, non admittit, sed aut qualis est semper permanet, aut omnino abit in nihilum. At, posteriori omnis rerum natura vehementer repugnat. Prius igitur ut verum sit, ex necessitate relinquitur.

Ex dictis hæ profluunt demonstrationes:

Quicquid existit, plane interire non potest.
Anima humana cogitans existit.
E. *Anima humana cogitans plane interire non potest.*

Porro:

Quicquid sua natura est immateriale, illud mutationi & alterationi, qualem corpora humana, post separationem ab anima, subeunt, non est obnoxium.
Atqui Anima humana cogitans sua natura est immaterialis.
E. *Anima humana cogitans, mutationi & alterationi, qualem corpora humana, post separationem ab anima, subeunt, non est obnoxia.*

Jam:

Jam:

Quicquid alterationi & mutatiani non est obnoxium, illud tale, quale est, æternum permanet.

Atqui Anima humana cogitans, alterationi & mutationi non est obnoxia.

E. *Anima humana cogitans, talis, qualis est, æternum permanet.*

Palmario argumento adducto, accedunt alia, idem persuadentia. Vti, quod *sententia de Animæ interitu peccat cum Dei justitia*, quæ utique vult, ut piis bene sit, malis vero male. Non fit autem hoc sæpe in hac vita, sed contra ii, qui scelere & maleficio pascuntur, rebus utuntur prosperis; virtuti studentes cum adversa conflictantur fortuna. Superest igitur alia, post solutionem animarum & corporum, vita, in qua divina justitia, quæ a Deo separari non potest, imo ipsissimus Deus est, piis virtutum præmia, impiis vitiorum pœnas conferet.

Porro, *sententia de Animæ interitu omnem adversus Deum religionem, omnemq; honestatem evertit*, atque impietati, malisque moribus patrocinatur: non potest igitur vera esse, quia sanam religionem, verumque veri Dei cultum, inter homines in orbe existere necesse est.

Tandem, sententiam de animæ humanæ immortalitate, valde confirmat, quod *in eam, ab omni ævo, omnes gentes consensere*, apud quas ratio & boni mores non plane extincti sunt, inducta feritate. Vna omnium vox fuit, estque etiamnum, illa Ovidii: *Morte carent Animæ.* Nam, cum, quæ ex hominum arbitratu veniunt, nec eadem sint apud omnes, & sæpe mutentur, hæc autem notio nusquam non reperiatur, neque temporum vicissitudine mutetur: omnino causam

ejus

ejus aliquam dari convenit, quæ se ad omne genus humanum extendat: quæ alia esse non potest, quam aut oraculum Dei ipsius, aut traditio, quæ a primis humani generis parentibus manarit. Quorum prius si admittimus, constat, de quo quæritur: nec enim Dei oraculum fallere aut falli potest. Sin posterius, nulla sane ratio assignari poterit idonea, cur primos illos parentes credamus falsum aliquod, in re momenti maximi, ad omnes posteros prodidisse. Recte Ludovicus Vives, l. 2. de anima, cap. de Immortalit. *Quocunque nos convertimus, sursum, deorsum, circum circa, omnia docent, clamant, testantur, immortalem esse animam. Natura & necessitas causarum, proportio & similitudo, vita & congruentia, dignitas hominis, Dei bonitas, utilitas nostra.*

Quæ est Origo Animæ Humanæ?

Quæstio de Origine Animæ Humanæ difficilis admodum est: duæ autem celebres habentut Opiniones: quarum una, Animam per Traducem a Parentibus ex se natis communicari; altera, Animam a Deo immediate embryoni infundi, tuetur. Notanda Lactantii verba, e libro de Opificio Dei: *Corpus ex corporibus nasci potest; quoniam confertur aliquid ex utroque: de animis anima non potest; quia ex re tenui & incomprehensibili, nihil potest decedere. Itaque serendarum animarum ratio uni ac soli Deo subjacet.*

Denique cœlesti sumus omnes semine oriundi:
Omnibus ille idem pater est;

ut ait Lucretius: nam, de mortalibus non potest quicquam nisi mortale generari. Et, post pauca: *Dei sunt omnia, scilicet conceptus ipsi, & corporis informa-*

formatio, & inspiratio animæ, & partus incolumis, & quæcunque deinceps ad hominem conservandum valent: illius munus est, quod spiramus, quod vivimus, quod vigemus.

Quid est Meditatio?

Meditatio est, cum, intellectus mysteria fidei attente considerat, ut veritatem eorum agnoscat.

Quid est Contemplatio?

Contemplatio est, quando anima in veritate jam acquisita, oculos defixos tenet, illamque in quiete & silentio admiratur, ac in ea pendet.

DEO GLORIA.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google